Montani.

1591

E. VII

4408

34500
1739
F. Florence
29/8/10

COMITIS MONTANI VICENTINI
DE MORBIS
EX GALENI SENTENTIA
Libri Quinque.

AD ILLVSTR. ET REVERENDISS.
MATTAEVM PRIOLVM
Vicentiæ Epiſcopum.



VENETIIS, M. D. XCI.
Apud Ioannem Guerilium.
Ad Signum Saluatoris.

19·1

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
MATTHAEO PRIOLO
VICENTIAE EPISCOPO.

COMES MONTANVS VICENTINVS S. D.

CVM *librum hunc meum de Morbis abſoluiſſem, eumq́; foras dare ſtatuiſſem, ac mecum cogitarem, cuius ille nomine prodiret in lucem, indicaui te Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Priole Epiſcoporum lumen & decus multas ob cauſas anteponendum eſſe omnibus. Primum enim ſi magnitudinem tuorum erga me meritorum conſidero, nemo mihi occurrit, cui pluſquam tibi debeam, qui me, amicos, & cognatos meos in mei gratiam tot, & tam magnis affeceris beneficijs, vt eorum cumulo obrui me ſentiam. Quamobrem cum omnis ſit mihi præcluſa via parem tibi referendi gratiam, putarem me vnum omnium eſſe ingratiſsimum, niſi hac vna, qua poſſum in præſentia, ratione animi erga te mei ſtudium, ac propenſionem declararem. Tum*

vero non ſolum propter tua in me ſingularia merita, ſed etiam propter diuina, atque immortalia beneficia in patriam meam collata, vt tibi plurimum debeam, neceſſe eſt. Etenim poſtquam illius fauſto, ac diuino omine creatus es Epiſcopus, aut vix, aut nullo modo referre licet, quot, & quanta abs te in eam profecta ſint commoda, atque ornamenta: nam ſedens tanquam in altiſsima ſpecula aſsidue, & diligenter intueris, & contemplaris, quæ in ea geruntur: ac quæ recta ſunt, prouehis: quæ obliqua corrigis, atque emendas, in id in primis perpetuo intentus, vt ab omnibus piè, ac ſanctè religio colatur. Quod ſanè cum præcipuum adminiſtrationis tuæ munus eſſe intelligeres, tanto animi ardore protinus in eos inquirere cœpiſti, qui, vt ſibi quod libet, liceat, antiquiſsima, eademq́ ſanctiſsima Eccleſiæ inſtituta detrectant, & deteſtantur, vt eorum, qui tanti criminis rei eſſent manifeſti, audaciam, & temeritatem ſtatim fregeris: alios, qui huius impietatis clam, & furtim participes erant, mira ſolertia, ac diligentia deprehenderis, ac repreſſeris: ita quidem, vt pertinacibus ſeueriſsime mulctatis, errorem ſuum agnoſcentibus, & deprecantibus in Eccleſiæ gremium clementiſsime receptis, hanc maculam ab vrbe noſtra adeo abſterſeris, atque elueris, vt in præſentia nuſquam alibi purius, nuſquam ſanctius diuina, & pontificia decreta obſeruentur. Poſt feliciſsimum ad nos aduentum tuum ſunt templa omnia inſtaurata, ſitu, & ſordibus expurgata, multisq́, ac inſignibus ornamẽtis decorata. Per te cærimoniæ tandẽ, et

ſacra omnia meritam & debitam dignitatem, & maieſtatem ſunt conſequuta. Poſt religionis inſtaurationem illud in primis tibi curæ fuit, vt miſerorum hominum rationem haberes, atque illorum inopiæ, & calamitatibus ſubſidium firmum comparares. Quare te authore exſtructa ſunt publica ædificia, quibus mendici omnes pie excipiuntur, & abunde nutriuntur. Te excitante, ac promouente cœtus nobilium, & diuitum tam virorum, quàm matronarum curam ſuſcipiunt, vt quicunque ſibi ope manuum victum quæritant, ſi quando aduerſa valetudine corripiantur, medicum, medicamenta, ac vnde ſe alant, in promptu habeant: primusq́; in huiuſmodi opera pecuniam libera liter erogas, ac tuo exemplo reliquos inuitas. Taceo quantum inuigiles ad ſeditiones, & inimicitias componendas. Quoties enim te vidimus ingredi ciuium domos, eos ad pacem hortando, cogendo, atque impellendo? Porrò ſi velim præclara omnia inſtituta proſequi, quæ ad totius populi ſalutem excogitaſti, non epiſtola opus eſſet, ſed oratione. Huc accedit, cum laboribus hiſce meis patrocinium ſit quærendum, nullum ſeſe mihi offerre poſſe firmius, & præſtantius, quàm tuum. Tu VENETIIS ciuitate ampliſsima, & potentiſsima, adeoq́; omni rerum varietate referta, vt ſit veluti totius orbis compendium, ex PRIOLA familia ortus es adeo clara, atque illuſtri, vt alij nulli ſit ſecunda: nã (vt ſuperiora prætereã) ANTONIVM patrem tuum D. MARCI PROCVRATOREM, duosque noſtra ætate DVCES

protulit omni genere laudum digniſsimos: tuque eodem tempore duos vidiſti CARDINALES *virtutibus omnibus inſignes, alterum auunculum, conſobrinum alterum. Quare ſi authoritate, & potentia indigeam; apud te vtranque inueniam quam maximam.*

Verùm quia non vi, aut opibus præceptiones artium defendendæ ſunt, ſed doctrina, & eloquentia, præſtare tu in hoc mihi potes ampliſsimum patrocinium, qui magna cum laude tam à Grecis, quàm à Latinis fontibus optimas diſciplinas hauſeris. Quamobrem mirum non eſt, te vel in quotidianis ſermonibus tantam habere vim, leporemq́; tantum, vt omnium animos quocunq́; velis, trahas, & rapias.

Eloquentiæ adiuncta eſt tam magna rerum agendarum cognitio, vt in alio maiorem nunquam ſim contemplatus: atque id quidem rationi valde eſt conſentaneum: nam ſi Homericus Vlyſſes vnus omnium eloquentiſsimus, & prudentiſsimus eſt habitus: quia Mores hominum multorum vidit, & vrbes, quis à teneris vſque annis orbem terrarum te ſæpius peragrauit? Tu annorum tredecim miſſus in Luſitaniam ampliſsimis Patris negotijs Olyſipponæ diu præfuiſti. Inde abſcedens Romã conceſsiſti, vbi diutius commoratus, tum rebus omnibus agendis, tum maxime in duobus Sanctorum Patrum concilijs, quibus Pontifex Maximus creatur (conclauia vocant) in captanda gratia, & beneuolentia candidatis tuis magnum prudentiæ, et induſtriæ ſpecimen dediſti. Interea laribus Regynaldi Poli Cardinalis celeberrimi,

rimi,

rimi, viriq́; doctiſsimi, atque optimi es receptus, qui cùm in Britanniam ad compeſcendos tumultus in ea inſula de Religione excitatos te contuliſti. Quanti autem te faceret maximus ille vir, euidentiſsima ea fuere indicia, quod & ad ſedandos eos tumultus tua potiſsimum opera vſus eſt: & cum a Summo Pontifice ſequeſter delectus eſſet inducias tractandi inter Carolum Quintum Cæſarem, & Franciſcum Primum Galliarum Regem, te ex Britannia in Galliam miſit cum mandatis ad Regem alliciendum, hortandumq́; ad eas pangendas: qua in re eximiam dexteritatem tuam fortuna etiam adiuuit: cum enim animum Regis ducum ſuorum conſilijs, & ſuaſionibus in eas propenſum nactus eſſes, tanti momenti negocium triduo feliciter confeciſti. In Hiſpaniam demum acutiſsimis, & ſolertiſsimis ingenijs fœcundam commeaſti, vbi grauiſsimis & honeſtiſsimis negotijs peragendis diu commoratus es. Quibus quidem rebus iure fit, vt minime mirum ſit, te vnum omnium eſſe prudentiſsimum. Qua de cauſa præſtantiorem partui meo tutorem ne à dijs quidem immortalibus petere, ac conſequi poſſem. Ea me poſtremo cauſa impulit, quod viderem, hoc meum ſcribendi genus inſtitutis tuis, ſi parua magnis, & prophana ſacris comparare licet, quadantenus eſſe ſimile: ſicuti enim tu animorum populi tui ſaluti proſpiciens ante omnia curas, vt qui prauis opinionibus ſunt imbuti, ad verum religionis cultum reuocentur: ita ego peruerſas opiniones, quæ ad humanorum corporum perniciem ſpe-

ctant, nitor euellere. Sed officium tuum longe eſt meo præſtabilius: quia tumulctam irrogas delinquentibus: ſcripta ea labe infecta igni mandas: & omni ſanctione caues, nequis hæc ſcribere audeat: quo factum eſt, vt impias omnes opiniones funditus ſuſtuleris. Id vero nec mihi licet, nec lege vlla cautum eſt, ne cuilibet liceat aduerſus probatos authores ſcribere, eorumq́; dogmata calumnijs inceſſere. Quod ſi leges huiuſmodi extarent, & humanæ vitæ ſaluti melius conſultum foret, & mihi ademptus fuiſſet hic ſcribendi labor. Itaque aggreſſus ſum pro viribus Galenum in morborum explicatione à morſibus imperitorum tutari, vt eius præcepta priſtinam authoritatem recipiant. Quod ſi id mihi ex voto ſuccedet, poterunt huius artis ſtudioſi ex hac vna accuſatorum Galeni refutatione coniectura aſſequi, alias etiam calumnias omnes, quæ in eum iactæ ſunt, eſſe falſiſſimas: atque inde eueniet, vt eum poſthac attentius lecturi ſint, atque imitaturi. His omnibus de cauſis librum ſub nomine tuo emittere volui: cum præſertim probe ſciam te medicos amare, atque eorum ſtudijs plurimum delectari. Quod ſi hunc meum primum partum tibi gratum, & charum eſſe cognouero, ſicuti me ipſum ſenſi perpetuo fuiſſe chariſſimum, putabo me omnium laborum meorum fructum vberrimum conſecutum eſſe.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

CVM mecum ipſe conſidero,optime Lector, cur in quacunque arte ac diſciplina pauci ſint egregij,& præclari ſcriptores, atque ita pauci, vt vnus tantum ſæpiſſime ſit in pretio, id maxime in cauſa eſſe comperio, quia rariſſime in vno concurrunt omnes illæ dotes,quæ ad recte tradendas artes ſunt neceſſariæ: & cùm artes ipſæ per additamenta fiant, non poſſunt primi inuentores omnia depromere, quæ eas abſoluant. Quare ſi quis tandem extet vir dotibus illis ornatus,qui rudia atque inchoata principia perpoliat, eaq; adiungat, quæ artem ad exitum perducant, hic reliquis omnibus palmam de manibus eripiet,vt nemo poſtea ſit eorum ſtudioſus futurus. Nec ſolùm obſoleſcent,qui ante eum ſcripſerunt,ſed nec audebit quiſpiam ſanæ mentis ſuccedente tempore artem eandem conſcribere.Quorſum enim operam perdat,cùm iam omnibus ſuis numeris eam abſolutam uideat? Sic in facultate diſſerendi ac demonſtrandi,in cognitione rerum humanarum, naturalium, & diuinarum tradenda vnus emicat Ariſtoteles:licèt enim ante eũ floruiſſẽt innumerabiles philoſophi, hic tamen quę in illis deerant addendo, falſa refellendo, & controuerſa cõponendo totam philoſophiam ita conſcripſit, ut eorum omniũ labores irritos reddiderit. Auſi ſunt quidem quamplurimi poſt eum eadem aggredi,ſed non feliciori euentu,quàm priores:cùm eorum omnium ſcripta interierint. Extant quędam Theophraſti, quia de eiſdem Ariſtoteles fortaſſe aut nihil ſcripſerat,aut ſtrictius. Non ſecus magnus ille Hippocrates ab Aeſculapio trahens originem,cùm florerent ea tempeſtate tres nobiliſſimæ medicorum familiæ, Rhodia, Italica, & Gnidia, multa detrahens, quæ erant ſuperuacanea,multa adijciens,quæ deerant perfecit,vt omnes in obliuionem ierint.

Verùm cùm artem hic mancam reliquiſſet,alij multi egregij eruditione uiri partim eius veſtigijs inhærentes,partim in contrariam uiam abeuntes, artẽ ad exitum perducere ſunt conati, Diocles in primis, Praxagoras, Herophilus, Eraſiſtratus, Mneſitheus, alijq; poſt eos multi,qui varias ſectas pepererunt perpetuis inter ſe contentionibus digladiantes: & progreſſa eſt ars hęreſeum controuersijs agitata, donec è cœlo demiſſus Pergamenus Galenus, lites diremit, & totam artem feliciſſime abſoluit. Erant in hoc viro ea omnia cumulate, quibus indigent,qui veritatis cognitionem indagant. Ingenio fuit adeo perſpicaci,vt puer adhuc in primis diſciplinis percipiendis condiſcipulos omnes ſuperaret: in adultiori verò ætate nemo fuit illi conferendus, tam cito,tam facile, & conſtanter ediſcebat omnia,ad quæ animum appellebat. Sed quoniam ingenium,niſi excolatur,nullos ſolet ferre fructus,ad Galeni felicitatem acceſſit,

Galeni laus.

quòd

quòd patrem habuit virum vnum omnium ea tempeſtate probiſſimum, linguæ Grecæ peritiſſimum, geometremq; egregium: quare à teneris optime fuit educatus, bonis moribus, ac primis diſciplinis, & mathematicis potiſſimum probe inſtitutus. Deinde cùm tempus aduentaſſet grauioribus ſcientijs operam dandi, Pergami primùm, poſtea Smyrnæ, tum Corinthi, demum Alexandriæ, in qua tunc magis quàm alibi, florebant ſtudia literarũ, à celeberrimis præceptoribus ſectarum omnium decreta percepit. Satyrum enim, Stratonicum, Ficianum, Pelopem, Aeſchriona ſenem, atque Empiricum, Heraclianumq; atque alios multos audiuit. Huc accedit laboris eum fuiſſe ſuſtinentiſſimum, vt ſtudium nunquam diu noctuq; intermitteret. Omitto longa, & difficillima itinera, ac repetitas nauigationes, nunc Romam, nunc in Cyprum, vt metalla videret: in Syriam Paleſtinæ, vt bitumen: & in Lemnum, vt terram Lemniam. Præterea flagrabat ingenti veritatis inueſtigandæ deſiderio, vt ob huius vnius ſtudium diuitias contemneret, voluptates, & quidquid aliud ſolet iuuenum animos allicere, atque irretire. Ac quoniam deſiderium illud inane eßet, niſi facultas adeſſet ad veritatem inueniendam idonea, demonſtrandi rationem ac viam ſibi comparauit, qua poſſet verũ à falſo facillime interſtinguere: in hac ſeſe exercuit aſſidue: nec ſolùm exercuit, ſed pulcherrimos de Demonſtratione ſcriptos reliquit commentarios, adeoq; eam ſibi reddidit familiarem, nihil vt vnquam ſine demonſtratione literis prodiderit. Nec ei defuit conditio, ſine qua dotes reliquę vanæ eßе ſolent: patrem enim habuit diuitem, & liberalem, qui nulli ſumptui parceret, vt ei large omnia ſuggereret, quę ad uſum ſtudiorum eßet neceſſaria.

Galeni præceptores

His facultatibus inſtructus, quarum omnium concurſum raro aut nunquam in alio reperias, cùm artem medicam iam conſtitutam inueniſſet, ſed in multas ſectas diſtractam, earum omnium dogmata non in populari quadam trutina, ſed in aurificis ſtatera expendit, & cùm Hippocratica vera & legitima, cętera falſa & adulterina deprehendiſſet, his repudiatis, illa iã fatiſcentia inſtaurauit: manca auxit, atque amplificauit: obſcura illuſtrauit: & confuſa redegit in ordinem: & ſic latius totam artem propagauit ex præceptionibus Hippocraticis deductam, quem paſſim omnium bonorum ſuorum authorem vocat: quæ ars cũ ab omnibus amplexaretur, hinc euenit, vt qui ante eum ſcripſerant, qui tot erant, vt nomina ſola authorum & librorum poſſent bene magnum volumen cõficere, cęperint ad vnum omnes de manibus deponi, iacere in puluere, in tenebris, & nunquam amplius ſint reuocati in lucem: immo verò niſi in Galeni ſcriptis eorum nomina viuerent, obliuioni tradita eſſent ſempiternæ. Et quanquam ex ijs, qui iam ediderat, poſſet Hippocrates ab vtriuſque ſtudioſis percipi, haud tamen his contentus Galenus, quo venerabilis illius ſenis oracula omnibus in aperto eſſent, edidit etiam in eius libros vberrimas ac dilucidiſſimas expoſitiones, in quibus id eſt conſecutus, quod in arte etiam conſcribenda, vt cæteri Hippocratis expoſitores, qui penè erant innumerabiles, omnes interierint.

Hinc factum eſt, vt ſicuti in reliquis facultatibus pauci extant ſcriptores antiqui, atque illuſtres, ita ex medicinæ ſcriptoribus ſolos habeamus Galenum, atque Hippocratem, quorum diſciplina coniuncta integram ferè conſtituit artẽ,

nam multa,quæ Hippocrati deſunt,apud Galenum inuenies:quædam,quæ in Galeno deſiderantur,ſubminiſtrat Hippocrates:quare dũ viuent literæ,et Galenus in Hippocrate, & Hippocrates in Galeno viuet. Eadem cauſa, quæ medicos Galeno antiquiores obſcuros reddidit,eos etiam, qui poſt eum ſunt auſi artẽ hãc ſcriptis tradere,fecit obſoleſcere: cùm enim ad eum prope nõ poſſent accedere, quippe qui ſummũ faſtigium occupauerat,relicti ſunt à medicinæ profeſſoribus, nec pauci fuerunt hi,vt licèt obſeruare apud Oribaſium,Paulum, & Aetium, qui ſæpe eos citant. Hic viuens,& iuuenis adhuc principatum inter medicos obtinuit: vnde cùm Romam annorum duorum & triginta veniſſet, orbis vniuerſi Reginam,omniumq; in ſe conuertiſſet oculos, ac in alijs admirationem, in alijs inuidiam atque odium excitaſſet,medici tamẽ omnes vno conſenſu primas ei deferebant, & cùm aliquid in artis operibus occurrebat rarum, ac difficile, Galeno cõmunicabant Quare haud mirum,ſi mortuus ad hæc vſq; tẽpora medicorum princeps ſit habitus. Quanta in eo ſemper fuerit authoritas, inde licet conijcere,quòd cùm deuaſtata Italia,ac Græcia Barbarorum armis,vſus Latinarum,Græcarumq; literarum interijſſet,& Arabicæ florere cœpiſſent,principatumq; diu,ac multum obtinuiſſent, Galenus tamen in eam linguã tranſlatus regnauit in eorum ſcholis,cumq; poſtea pacata Italia,diſciplinæ iterum cœpiſſent tollere oculos,ille ex malo Arabico idiomate in malum Latinum conuerſus, & propterea difficillimus atque obſcuriſſimus in maiori tamen honore eſt habitus, quàm reliqui omnes. Exortus eſt tandem ex noſtra ciuitate Nicolaus Leonicenus medicorum omnium poſt Galenum doctiſſimus, qui multa Galeni opera ſua lingua loquẽtis è tenebris eruit,multa latina fecit,ac præterea eius placita elegantiſſimis ſcriptis aperuit,cui multi præclari uiri in eum laborẽ ſucceſſerunt, & Galenum,eiusq; diſciplinam in priſtinum ſplendorẽ reſtituerunt. Quare qui ſupererant ſcriptores huius artis Mauri,aut Latini cœperant ſordeſcere, & merito, cùm felicius hauriatur hęc diſciplina ab uberrimo ac puriſſimo flumine, quàm à turbidis riuulis. Verùm dum ars medica magna cum totius humani generis utilitate magnos (duce Galeno) progreſſus facit, ei repente curſus eſt interceptus:nã ſicuti hac noſtra infelici ætate exorti ſunt homines nefarij,atq; impij, qui ſanctã orthodoxam religionem peruerſis, ac falſis opinionibus exagitarunt,ita exorti ſunt ſophiſtæ qui ſcribendo,uiua uoce docendo,& medicinam faciendo, Galeni præceptiones pro nihilo habere,proſternere,ac proculcare cęperunt. Hanc peſtem à paruis initijs ortam breui adeo uidemus inualuiſſe, ut orbẽ uniuerſum contagione infecerit.Cùm enim,ut dicebam antea, Galenus ex malo Arabico in malum latinum fuiſſet conuerſus,ut u x percipi poſſet,atque intelligi,idẽq; eueniſſet in Arabibus medicis,qui alicuius ſunt nominis, multę exortę ſunt difficultates,multę agitatę quæſtiones à Latinis hominib⁹ ſuperioris ætatis Apponenſi,Turiſano.Fulginate,Forliuienſi, & cęteris eius generis, vt abſtruſa reſerarent,& repugnantia cõciliarent:ſed cùm haud recte omnia obiecta diluerint,pleriſque anſam præbuerunt à Galeno deficiendi,tanquam manco, atque imperfecto, inconſtante, & mendace. Atque hinc Ioannes Fernelius Gallus primus librum de Abditis Rer.Cauſis edidit,in quo duo morborũ genera

inuexit,

inuexit,alterũ materię, alterum formę,de quibus nulla apud Galenum eſt mentio,& in reliquis libris ſuis de arte ſępe ab eo receſſit. At Argenterius totum Pandorę vas reſerauit, ut totum terrarum orbem contaminaret: libros enim ſcripſit Galeni placita euertentes, & cõtraria inuehentes,tantiq; ponderis fuit hęc innouatio, ut multos alios ſcriptores Galeni alioqui ſtudioſos in ſuã traxerit ſententiam. Teſtantur id inter cętera commentarij Andernaci de Vetere, & Noua Medicina; nam per nouam medicinam intelligit dogmata Fernelij,Argenterij, & aliorum conſimilium ſcriptorum. Corripuit hęc lues eos etiam, qui in publicis gymnaſijs docent,ut quandoq; percepi ex ſcriptis,quę ab eorum auditoribus excipiuntur,ex conſilijs quę pro ægris emittunt, & ex nuper huic arti initiatis: nullus enim domum reuertitur,qui nouis, futilibus,& falſis opinionibus imbutus non ſit,quippe qui præceptores ſortiti ſint,qui non ſolum Fernelium,& Argenterium ſectentur,ſed cum illis de dogmatum etiam innouatione certent. Quod ſi malum hoc longius ſerpat, periculum eſt,ne tota medicina corrumpatur, cùm ſoleant noua hęc homines non recte inſtitutos attrahere, atque allectare, qua de cauſa Hippocrates, & Galenus etiam falſas opiniones confutandas eſſe decreuerunt. Audiamus vtrunque,nihil enim adduci poteſt
» his temporibus accommodatius.Sic itaque Galenus. Ego melius eſſe exiſtima-
» bam,quę longo tempore indagaßem,& certo iudicio inueniſsem,ea ſola manda
» re literis,nec quenquam ex malis interpretibus reprehendere:ſed quoniam nõ
» nulli,qui puerilibus diſciplinis non ſunt imbuti,quique tardiore ingenio ſunt,cũ
» in nouas quorundam ſcriptorum explicationes incidũt,hac ſola capti nouitate,
» eas concelebrant: ideo melius eſſe cenſui,vt ſemel aliquando horum interpre-
» tum mentionem facerem,cùm etiam ipſe Hippocrates dixerit. Externũ ſanè,
» quod necdum intelligunt,magis laudant, quàm quòd eis conſuetum eſt, quod iã
» eſſe bonum ſciunt: & item abſurdum perſpicuo anteponunt. Decreui itaque
aliqua ex parte horum conatibus occurrere: atq; ideo ſumpſi mihi tractationẽ de morbis diſcutiendam ex Galeni ſententia, reijciendo,ac explodendo demonſtrationibus euidentiſſimis quidquid iſti, aut alij addiderunt noui, & quidquid contra Galenum protulerunt In quo ſi nõ proſequar errores omnes Fernelij,& Argenterij,quia non recedam à morborum materia,demonſtrabo tamen in his tam aperte,nihil eos ſani protuliſſe,aut contra,aut extra Galeni doctrinam, vt inde ſtudioſi facile collecturi ſint,eos in reliquis omnibus ſuis poſitionibus à Galeno alienis fuiſſe uehemẽter hallucinatos: vnde,ſi me audient, depoſitis de manibus tam pernicioſis authoribus ſe totos ad Galenum cõuertent, & ex eius prę ſcripto ægros curabunt: quique docent alios,reſipiſcentes tandem in uiam redibunt: excuſſoq; deteſtando illo rerum innouandarum pruritu operam dabũt, vt melius Galenum intelligant,fidelius exponant, & cum auditoribus ſuis in gratiam reuocent: ac qui adhuc Galenum in honore habent, diligentiores reddẽtur in eius decretis percipiendis,ac defendendis. Atque hanc de morbis diſputationem mihi delegi,tum ~~quia in~~ eam primam inſultant Argenterius, totãq; accuſationibus vexat,tum quia Fernelius in ea multa innouat. Adde huc,materiam hanc eſſe apprime medico neceſſariam: cũ enim eius ars uerſetur in mor-

bis

bis imminentibus auertendis, & iam infeſtantibus depellendis, ſi quid ſit morbus, quotq́; eius differentiæ, non intelligat, ſi ipſum à cauſis, & ſymptomatibus diſtinguere neſciat, nunquam recte ſuo fungetur officio. Adde præterea, materiam hanc difficultatum inexplicabiliũ eſſe plenam, & à iunioribus iſtis, ac elegantioribus medicis haud recte enodatã, cùm qui norit, quid ſit morbus, inuenerim eorum neminem, vt non minus mihi laboris aduerſus eos omnes, quã aduerſus Argenterium, & Fernelium immineat. Suſceperunt Galeni patrocinium aduerſus Argenteriũ aliquot annos antea Iulius Alexandrinus. & Donatus ab alto mari: nam hic in libris de Febribus quæ Argenterius obijcit in lib. de Offic. Medici aduerſus indicationum diſciplinam, nititur reijcere, quam recte, non pertinebit ad inſtitutum noſtrum, nihil enim, niſi obiter fortaßè, de indicationibus agemus: ille ad omnia reſpondet eo libro, quẽ Antargenterica inſcripſit, cui cũ Argenterius ſub Reinerij diſcipuli nomine reſpondiſſet, has reſponſiones Alexandrinus iterũ refutauit, edito libro, quẽ Antargentericorum Defenſionẽ vocat. Scripſit tandem Fuchſius pro Galeno tam aduerſus Argenterium, quàm Fernelium in tertio libro Inſtitutionum ſuarum, de quibus dici poteſt, quòd Galenus de Iuliani inſtitutionibus in hęc uerba prodidit. Scripſit iterũ atque iterum inſtitutiones: nam has aſſidue tranſponit, transformatque, nunquã ijs, quas ſcripſit, contentus. Sed ad rem. Horum vtrique reſpondet Argenterius in ſuis commentarijs in Artem Medicam. Quare tum quia res videtur adhuc eſſe ſub altercatione, tum quia Alexandrinus, & Fuchſius non pauciora, niſi fallor, nec leuiora committunt errata, quàm Argẽterius, deſcendendũ mihi omnino eſt in hoc certamen. Scio, cùm libere multos reprehenderim, non defuturos & mihi reprehenſores quamplurimos. Qui ſi id iure facient, cùm poſſim & ego in re tã difficili, tot altercationibus agitata facile decipi, ac in alijs reprehendendis dignus reprehenſione inueniri, magnam illis habebo gratiam Quod ſi cõtentionis & inanis gloriæ cupiditate id facient, nõ timeo defuturos eßè mihi defenſores, qui pro ueritate in hunc pulcherrimum certandi campum deſcendant, ſi id mihi non licebit per occupationes & imbecillitatem corporis, & ingenij. Deum optimum maximum oratum velim, ut eam mentem ad me refellendum adhibeant, quam ego in alijs refellendis adhibui, vt cùm hactenus ciuibus meis ſolum artis opera exercendo profuerim, eniterer, ſi qua poſſem, & in pręſentia, & in poſterum alijs etiam prodeſſe quamplurimis, quod non opportunius me poſſe conſequi putaui, quàm ſi pugnam ſubirem pro veritate in arte tam pulchra, tam vtili, tam hominum vitæ neceßaria. Hac potiſſimum cauſa impulſus aliquot menſes rus ſeceſſi, ibiq; rerum aliarum cura ANNAE *Porcaſtrę vxori commiſſa totus in hoc ſtudium incubui.*

PRAEFATIO ALTERA.

QVONIAM Fernelius, & Argenterius in præfationibus ſuis, vt inſtitutum ſuum extollant, omnia afferunt, quæ contra Galenum afferri poſſunt, antequam ad morborum diſputationem venio, diluendę ſunt obiectiones iſtę Atque erit hoc prȩludium, & quaſi velitatio quædam ante iuſtum certamen, in qua ſi demonſtrabo, quid quid contra Galenum proferunt, vanum, friuolum, & falſum eße, præiudicium quoddam erit altercationis, quam cōtra eos de morbis ſuſcepimus, vt hinc vnuſquiſq; facile colligere poſſit, quidquid hi contra Galenum in morbis pronunciant, a veritate alienum eſſe. Apponam autem primo eorum verba, deinde ſententiam meam ſubijciā, a Fernelio prius incipiens. Hic in præfatione Medicinæ, cum aſſeruiſſet, eorum ſe conſilium renuere, qui eum reuocarent a ſcribendo, quia ars erat à veteribus ela-
,, borata, ſtatim propoſiti ſui rationē reddit his verbis. Ac certe ſiue quod ars ip-
,, ſa iam clarius illuxit, ſiue ꝙ rerum omnium quędam ſit viciſſitudo, quicuuque
,, ad vnamquamque rem ęſtimandam, momentoq́; ſuo ponderandam ſeueriore, &
,, ęquiore vtuntur iudicio: probabiliore conſilij cauſa, ac ratione putant, vix vl-
lum veterum huic ætatis ſatis eße poſſe. Verba hęc eò tendunt; vt demonſtrent, cur à ſcribendo detereri non debuerit, quippe cum ex antiquis medicis nullus noſtræ huic ętati ſatisfaciat: atq; id duabus de cauſis, altera quia ſcriptores horum temporum illuſtriorem artem reddiderunt: altera, quia veterū authoritas iam obſoleſcere incipiat ſic ferente rerum viciſſitudine, vt quę olim fuerint in pretio ſordeſcant, & eorum gradum alia occupent. Incipit deinde enumerare Medicos antiquos, & eorum vitia exponere, quorum cauſa huic ætati haud fa-
,, ciunt ſatis, vnde ſubdit. Galenum namque, qui medendi artem ab Hippocrate
,, præclare inſtitutā poſt Herophili, Dioclis, Archigenis, Athenęi, aliorumq́; prę
,, cepta auxit, & illuſtrauit, Aſiaticę redundantiæ inſimulant; quòd πολύγραφος
,, nimium multa artium librorumq́; congerie (nam præter ducentos, & quadra-
,, ginta, quos de alijs diſciplinis, de Medicina ſupra quadringentos conſcripſit)
multorum ſtudia reſtinguat, & ad rem properantes diſtineat. Incipit hic Galeni authoritatē infringere, cùm ei det uitio & Aſiaticam redundantiā in ſcribendo, & magnam nimis librorum in uarijs artibus congeriem. De redundātia in ſcribendo videbimus poſtea. Nunc de librorum congerie. Si vir hic adeo fuißet diligens in percipiendis Galeni decretis, quàm in libris enumerandis, non deueniſſet ad has ineptias. Cur enim multitudo librorum de alijs artibus à Galeno conſcriptorum eos deterrere debeat, qui Medicæ operam daturi ſunt, nō uideo: quia ſi ad artem non pertinent, omitti poſſunt. Præterea, vt hęc quærela aliàs locum habuerit, nunc certe non habet: cùm omnes hi libri deſiderentur magno cum literarum detrimento: cùm itaque ſermo eius ſit de medicis huius ætatis, quid ineptius pronūciare poterat, quàm eos deterreri congerie librorū, è

quibus

quibus ne vnus quidem extet? Qui verò ad artem ſpectant, cur ob multitudinē deterreant quempiam? artem longam eſſe prędicat Hippocrates, & ideo paucis explicari non poteſt. Id potius aduertendum eſt, recte ne an ſecus ſcripti fuerint hi libri: nam ſi recte, neminem deterrebunt, qui dotibus ante à me enarratis ſit prędituſ, aut omnibus, aut ſaltim præcipuis. Si non recte ſint ſcripti, hoc nomine reijciendi ſunt, non quia multi, & ideo artificioſius hanc calumniam contexuit Argenterius, cum in ſecunda prefatione in librum de Generibus Morborum ſic cribat. Quum Galenus infinita propemodum volumina conſcripſerit, multa ,,
illi excidiſſe inconſiderate oportet, neque enim multa & bene omnia ſcribi poſ- ,,
ſunt. Id quod ſatis apparet, quum nunquam ferè de eadem re diuerſis in locis ,,
ſdem ſcribat, ſed perpetuo diuerſis definitionibus, diuiſionibus, probādiq; ratio- ,,
nibus utatur, quum principia ponit, quorum ſtatim obliuiſcitur, quū in omnibus ,,
Aſiatica facundia, ne dicam loquacitate, redundat. Damnat librorum multitudinem Argenterius, quia non recte ſint ſcripti. Quare non recte? quia inquit, inconſiderate. At quomodo inconſiderate? quia inconſtans, à ſe ipſo diſsentiens, ſuique ipſius immemor. Non recte etiam ſcripti ſunt, quia facundia utitur Aſiatica, & loquax eſt. Si hęc vera ſint, omnino Galenus eſt repudiandus. An autem uera ſint, noſſe non poſſumus, niſi loca proferātur, in quibus errores hi appareant. At cùm in tractatu de Morbis ſępe hos errores obijciat Galeno, ſi oſtendemus tunc, ſemper eum decipi, hic etiam deceptum eſse conſtabit. Sed erroris ſui, ipſemet teſtis eſt: in expoſitione nanq; Artis Medicę, quam multos annos poſtea edidit, cùm hęc eadem obtrudat Galeno, excuſationem etiā, & defenſionē Galeni affert. Tam varius, inquit, & immemor ſui fuit Galenus, ut raro idem ,,
de eadē re pronunciauerit, præſertim in his locis, in quibus exactā explicatio- ,,
nem de aliqua re nequaquam inſtituit: quare conſulendi ſunt illi loci, in quibus ,,
diligentius rem tractat. Hinc colligitur, cùm Galenus tractat aliquid ex propo ,,
ſito, plene eum atq; abunde materiam illam explicare, in alijs uerò locis non itē. & ideo videtur eſſe uarius, incōſtans, & immemor, quod tamen contra ſe habet, nam in hoc conſtat magnum Galeni artificium, quod ipſe ſemper obſeruauit, & obſeruandum eſse in pręceptis reliquit. Sexto itaq; Epidemior ſect. 5. cōmen. 1.
Nunc quoque commemorabo quodcunq; decretū probationis indigens ſit à me ,,
ſemel vſpiam accurate pertractatum, me de eo in alio libro nolle diſſerere, quòd ,,
norim ſuperuacaneam loquacitatem eſſe, eadem ijſdem de rebus inculcare, in ,,
quod uitium recentiores medici, quidā non modo bis, terue, ſed quater, vel etiā ,,
ſępius in multis cōmentarijs, & libris eadem de eiſdem iterantes, incurrerunt. ,,
Ego uerò cùm quid ſemel rationibus firmaui, eo poſtea in alijs libris utor, eiusq; ,,
ſummatim facio mentionem, & me id alibi oſtendiſſe commoneo In ſecto etiam quarto eiuſdem libri comment 8. confirmat ſuum hoc inſtitutum: ſic enim ait.
Cùm ſemel aliquid perfecte tradidimus, nunquam id alibi totum repetimus, ſed ,,
ſummatim ſolum percurrimus. Et libro primo ſect. 2. comment. 46. idem aſse- ,,
rit, atque obſeruat. Nam quod eſt, inquit, cuiuſq; tractationis proprium, id om- ,,
nibus numeris abſoluendū eſt: quod uero obiter incidit, hoc ſummatim indican- ,,
dum. Cùm itaque Galenus rem eandem aliter definit in uarijs locis, diuerſis

vtitur diuiſionibus,& diuerſis demonſtrationibus,nõ ſolum non incidit in uitiũ, ſed ſummum adhibet artificium, cùm ſemper id afferat, quod loco, quem tractat, accommodatum eſt: atque hoc multis exemplis oſtendã in diſputatione de morbis. Fecit hoc idem & Ariſtoteles, ut annotauit Simplicius in prędicamẽto ad aliquid. Quęrens enim ibi, cur Ariſtoteles hoc predicamentum in Eudemijs & ,, Metaphyſicis prętermiſerit, ſic reſpondet. An quia vbi non ex propoſito de om- ,, nibus generibus agit, non accurate de omnibus diſſerit, ſed illis utitur potiſſimũ, ,, quibus ad rem propoſitam eget? Sed cùm ipſemet Argenterius diluat hanc obiectionis partem, alia proſequar. Cùm itaque aſſerit, non poſſe multa ſcribi, & bene omnia, non ſolum taxat Galenũ, ſed quamplurimos ſcriptores in quacunq; facultate, & diſciplina: nam multa ſcripſit Varro, multa Cicero, multa alij, ac (vt alios omittam) in ſacra pagina quot habemus authores Gręcos, & Latinos, qui multa, & recte ſcripſerunt? Sed ſi quis multa, & recte ſcribere potuit, is fuit Galenus: cùm enim omnia haberet in promptu, quę apta ſunt ad inueſtigandam veritatem, aſſiduos haberet ſectatores, quos inſtrueret, aſſidue cum alijs altercaretur de pręceptis ad artem pertinentibus, adeo ſibi totã artem familiarẽ fecerat, ut poßet ex tempore de quacunque materia interrogaretur, recte reſpõdere, & ſi liberet, commentaria conſcribere. Quare Athenęus in illo non damnauit multitudinem librorum, ſed plurimum commendauit, cùm inter Dipnoſo- ,, phiſtas ſuos Galenum commemorans ſic dicat. Aderat & Galen. Pergame- ,, nus, qui tot uolumina edidit philoſophica, & medica, ut ſuperet ueteres omnes, ,, in dicendi uero genere inferior ſit nemini. Reſtat crimen de Aſiatica redundantia, uel loquacitate, obiectum ab utroque, temere quidem, & nulla de cauſa, niſi fortaſſe, quia Galenus erat ex Pergamo Aſię ciuitate: nam Aſiaticum dicendi genus ei non atribuiſſent, ſi quid ſit, nouiſſent, aut conſideraſſent. Poterant id diſcere ex Plutarchi M. Antonio, & ex Cicerone in extremo Bruto ſcribẽte, duo ,, fuiſſe genera Aſiaticę orationis, vnum ſententioſum, & argutum, ſententijs non ,, tam grauibus, & ſeueris, quam concinnis & uenuſtis: aliud non tam ſententijs frequentatum, quàm uerbis uolucre, atq; incitatum. Atq; hæc dicendi genera adoleſcentibus apta ſcribit, ſenioribus uero non item: Ideoq; Hortenſius florens in hoc genere placebat iunioribus, ſenibus non probabatur: nam & Plutarchus tumidum, laſciuum, & faſtu plenum hoc genus dicendi fuiße affirmat, & propterea moribus, ac naturæ M. Antonij accommodatum. Euolue, rimare diligenter omnia Galeni ſcripta, ubi his dicendi generibus ſit uſus non inuenies, niſi fortaſſe cùm in Theßalum inuehitur, quia quandoque facetijs, & argutijs eum uellicat: cęterùm in reliquo orationis curſu, quo artis pręcepta conſcribit, ea ,, vtitur oratione, quam in philoſopho deſiderat Cicero. Vt caſta, uerecundaq; ſit, ,, virgo incorrupta quodammodo: tam purus eſt Galenus ubiq;, tam planus, & dilucidus, ut facilius ſub oculos ſubijciat oratione ſua, quę oculis percipiũtur, quã qui figuris ea varijs depingunt. At cùm hi per Aſiaticam redundantiam, loquacitatẽ intelligant, hac de re uidebimus, ubi taxãt eum & de prolixitate & ,, de crebris repetitionibus. Pergit Fernelius, & ait. Eum quidem fatentur mi- ,, ra perſuadẽdi neceſſitate diſputaße ſubtilius, ſed quod initio minime ſtatuißet,

vniuerſam

vniuerſam artem complere, breuem præcipiendi legem non obſeruaſſe. Mirum non eſt, ſi ex intimis atque abditis penetralibus decreta Galeni, & Hippocratis haud potuit eruere vir hic, cùm Galenum tam oſcitanter legerit, ut quod omnibus obuium eſt, non intelligat. Sed perpendamus, quam inſcite hæc protulerit.

Ac ſanè duo in his verbis ſunt apertiſſimi errores: alter, non conſtituiſſe Galenum, cùm ſcribere incepit, totam artem tradere: alter, tradenti artē breuē pręcipiendi legem eſſe obſeruandam. Primum errorem patefacere poſſunt, quę ſcribit Galenus de ordine librorum ſuorum & in proœmio Artis Med. cùm ait.
Elaborata eſt à nobis particulatim, & in pluribus conſcripta tractatibus totius ,,
medicinę contemplatio: quibus vti quis poſſit ad triplicem doctrinam. Et 3. de ,,
Humor. comment. 30. Puderet me, inquit, hęc dicere, niſi prius quæ ad medici- ,,
nalem artem accommodata ſunt, omnia ferè pertractaſſem. Video quid dictu- ,,
rus fuerit Fernelius, protuliſſe hęc Galenum poſt editos omnes libros ſuos: non eſſe tamen dicendum propterea, cùm ſcribere incepit, in animo habuiſſe, totam artem conſcribere. Concedamus ipſi ita eſſe, ut pronunciat, quęro cùm multi ſint libri, quibus totam artem cōprehendit Galenus, in omnibus ne, an in aliquibus tantum non obſeruauit breuem pręcipiendi legē? ſi in omnibus aſſeris, te ipſum iugulas, quia ſi iam animū appulerat ad tradendam totam artem, in ultimis ſaltem libris breuis eſſe debuit: dices, in aliquibus tantum id erroris commiſit: quæro igitur, in quibus, in primis ne, an in poſtremis? in poſtremis dici non poteſt eadem ratione, ergo in primis: nam cùm hos ſcribebat, & nondum apud ſe con-
ſtituerat totam artē tradere. potuit eſſe longus, vel vt Argenterij verbis vtar, ,,
quęrere potius, ut ad quandam magnitudinem ſinguli libri peruenirēt, quàm ut ,,
expenderet, quid, quatenusq́; de vna quaque re ſcribere expediret. Cōferamus igitur quos prius ſcripſit cū ijs, quos poſterius, et uideamus, an in ultimis breuis ſit, in primis longus. Ac ſanè apertiſſimum eſſe puto eandem obſeruare vbiq; Galenum ſcribendi rationem, ſeſeq; ſemper accōmodare materiæ, de qua tractatur. Verùm oſtendamus nos, falſum eſſe Galenum non concepiſſe animo totius artis explicationem, cùm primùm ſcribere incepit: nec deerūt ſexcenta teſtimonia, quibus libros ſuos ſimul connectit & continuat, reijcit lectorem in commētario, quod in manibus habebat ad id, quod nondum ſcripſerat, & pollicetur quod tunc leuiter attingit, ſe alio in commentario fuſius eſſe pertractaturum. Aliquot igitur producam potius, vt ſentētia mea appareat, quàm ut demonſtretur.

Secundo lib. de Temper. c. 4. cum incidiſſet in morborum mentionem, quorū ,,
tractatio non erat ei loco accommoda. Ab hac, inquit, proxima eſt morboſa ,,
intemperies, cum ſcilicet animal intēperamenti vitio ægrotat, non enim huiuſ- ,,
modi tantum noxa laborat, ſed etiam alijs affectibus nō paucis, de quibus in ijs, quę de morborum differentijs ſcribemus, diffuſius agetur. En quomodo, dum ſcribit partem naturalem medicinæ, pollicetur ſe librum eſſe cōſcripturum, qui ad
partem præternaturalem pertinet. Et lib. 3. cap. 1. hęc leguntur. Illud potius ,,
definiamus cuius vtique demonſtratio, cū de naturalibus potentijs agemus, tra- ,,
detur: ex hypotheſi nunc quoque propoſitorum cauſa eo vtemur. Nonne hic ,,

reijcit quatuor facultatum naturalium demonſtrationem ad propriũ tractatũ,
quem iam animo conceperat? atque in eodem lib.c.3. pollicetur ſe latius expli
caturum in lib.de Medicamentis, quæ ibi tantũ innuit. In lib.de Inæq. Intemp.
cap.6 pollicetur ſe de rigore in commentarijs de ſymptomatũ cauſis ſcripturũ,
Quin & 3.de Præſag.expulſibus, cùm attigiſſet quandam febrium curationẽ.
quod videbatur ab eo tractatu alienum, ſtatim ſubiecit. Verùm non huius loci
,, eſt iſta meditatio: In febrium enim curationibus de omnibus his diſputabimus,
,, ſiue ſeparatim viſum fuerit eas, ſiue in methodo medendi tractare. En cùm ad-
huc eſſet in parte diagnoſtica, quomodo animo therapeuticẽ conceperat: en etiã
quomodo vtrunque poſtea ſit executus: nam & ſeparatim de curatione febriũ
egit in priore libro ad Glauconem, & vnà cum aliorum morborum curatione in
Methodo Therapeutica. Præterea in lib.de Diff.Morb.cap. 11. cùm quædã de
compoſitis morb. attigiſſet. Dicemus, inquit, de ipſis copioſius in libro quem de
Morb.Cauſis inſtituimus, atque in eo, qui eum ſequitur de ſymptomatis, neque
non in tractatu de Medendi Methodo, cuius gratia hos omnes conſcripſimus.

Nonne & hic apertiſſime indicat, ſe cùm ſcriberet librũ de Different.Morb.
in animo habuiſſe librum de Cauſis Morbor. & de Sympt. ad hæc hos omnes eũ
ſcripſiſſe propter methodũ curandi? Non adeo itaq; pauca animo cõceperat, vt
enitendum ei eſſet, quemadmodum magnũ faceret vnumquemq; ex his libris.

Quod vero omnia præpararentur ob methodũ curandi, declarat ipſe in ſecun
,, do Metho.cap.2.cùm ait. Nos id in alijs commentarijs fecimus, quorum vnus
,, de ægritudinum numero eſt: inſcriptus autem eſt de Morb.Diff. alter de Sympt.
,, eſt Diff. Adeo verò in eo opere cauſas horum vtriuſque ſeorſum explanare ſtu-
,, duimus (dico tum morbi, tum ſymptomatis cuiuſq;) vt ad præſentem diſputa-
,, tionem nihil amplius deſideretur, ſed præparata omnia iam ſint. Itaq; ne legen-
,, da quidem quæ hic dicemus vlli ſuaſerim, priuſquam in illis ſe exercuerit. Quip
,, pe ſi quis illis tã numeroſis theorematis neglectis huc ſe contulerit, nec ipſe fru
,, ctum percipiet, & quæ rectè ſunt tradita, temere incuſabit. In libro etiam de
Cau.Morb.cap 3. loquens de conſtipatione pollicetur ſe de ea fuſius in Methodo
curandi acturum. Primo etiam de Simpl. Med.cap. 1. pollicetur, ſe eſſe tracta-
turum de compoſitione Med. & de curandi Methodo. Cùm itaque pars natu-
ralis, præter naturalis, & diagnoſtica medicinæ ſint propter partem curatricẽ,
vt paſſim docet Galen. & præſertim in primo de Off.Med.comment. 1. atque id
optimo iure, quia pars curatrix docet finem cõſequi, reliquæ partes docent, quæ
finem antecedunt, manifeſtum eſt, Galenum, antequam ſcribere cœpiſſet, finẽ ar
tis ſibi ante oculos propoſuiſſe, & eo modo, quo docet in lib.de Conſtit.Artis, ſẽ-
per reſoluendo vſque ad prima principia cogitatione deueniſſe, & ſic inueniſſe,
quæ ſibi antea, quæ poſtea ſcribenda eſſent, & numerum etiam librorũ, ac inſcri
ptiones. Quodque ipſe totam artem animo eſſet complexus, & ordine eam con-
ſcriberet, patet etiam ex 11 de Simpl.Med. vbi agit de cancris vſtis: cùm enim
in illis libris quædam extra ordinem propoſitum ſcripſiſſet, ſic ſe excuſat.
,, Ignoſcendum itaque tum hoc in loco ſcribendi importunitati, tũ ſicubi præ-

terea

terea id mihi in hoc opere contigit: nẽpe quia ex ijs ſumma proueniret vtilitaſ- ,,
quam ſanè poſteris impertiri volebam ſi forſan me, prius quã quæ poſt hæc dein ,,
ceps ſunt, opera perfeciſſem, mors occupaſſet propoſitum impediens. Præterea ,,
cùm duo eſſent ſcribendi genera apud veteres philoſophos, & medicos: alterũ,
quo vnuſquiſque ſummatim capita quædã artis annotabat memoriæ ſuæ cauſa:
vnde & hæc ſcripta ὑπομνήματα vocabantur: alterum, quo plene omnia conſcri
bebantur, quæ ad artem tradendam pertinebant, vnde volumina cõficiebantur
συντάγματα appellata, ac primum ſcribendi genus erat veluti materia, & prępa
ratio ſecundi, credendum eſt Galenũ eodem vſum eſſe inſtituto, vt prius ſumma
tim collegerit capita totius artis, deinde ex his copioſos cõfecerit cõmentarios.
Quod ſi adhibuit & ipſe hanc diligentiam, in primo illo ſcribẽdi genere neceſſe
fuit, animo eum concepiſſe partitionem, & diſtributionem totius artis. Teſtatur
ipſe in Methodo curandi ſe id obſeruaſſe: nam lib. 7. cap. 1. ſic ſcribit. Ob hęc ,,
omnia etiam medendi Methodus, quam inceperã, à me eſt depoſita, quũ capita ,,
inuentorum breuibus cõmentarijs mihi perſcripſiſſem, nec vllam pleniorem do ,,
cendi rationem etiam num adieciſſem: quare credendũ eſt & in alijs omnibus id ,,
obſeruaſſe. Quid plura? cùm 3. Epid. ſect. 2. in proœmio aſſerat, amicos ab eo
contendiſſe, vt omnes medicę artis partes abſolueret, ſeque id perfeciſſe, quis nõ
videat, eũ prius cogitatione totam artem conſtituiſſe, ex illa cõſtitutione animo
concepta capita totius artis ſummatim ſcripſiſſe, deinde ex rudi illo apparatu
ſingillatim partes omnes latius abſoluiſſe? In magno itaque verſatur errore
Fernelius, cùm negat Galenum in animo habuiſſe, totam artem conſcribere ab
initio. Quod vero de decenti etiam magnitudine librorum fuerit ſollicitus, vt
ipſe fatetur 4. de Diff. pulſ. in calce cap. 2. 3. de Sympt. Cauſ. cap. 4. in princ. & 9.
de Vſu part. cap. 2. hoc illi potius laudi aſcribendum eſt quàm vitio, qui vel in li
brorum magnitudine ſymmetriam, & pulchritudinem quęſiuerit. Alter ſequi-
tur error, cum innuere videatur ſcribentibus artes breuitatẽ eſſe obſeruandã:
ac ſane par erat, vt doceret, quę nã ſit hęc breuitas, vt noſſe poſſemus, quomodo
Galen. eius limites ſit tranſgreſſus. Ego rudi quadam Minerua explicabo quot
modis breuitas obſeruari queat. Si itaque generatim pręcepta tradantur, tum
ſi latius illa eadem explicentur, & nihil inculcetur, quod ad artẽ nõ pertineat,
pręterea ſi non ſępius eadem repetantur, breuitatis rationem haberi certũ eſt.

De prima breuitate ſi intelligat Fernelius, fallitur, nam ea nõ conuenit artes
conſcribentibus, ſed artes iã conſtitutas, & conſcriptas in compendium redigen
tibus, qua in re admirabilis fuit Galenus in libr. qui Ars Medica inſcribitur.

Violatur ſecundo modo breuitas, ſi inculcentur, quę extra artẽ ſunt, vt vide-
mus euenire multis huius tẽporis ſcriptoribus, apud quos longe maius eſt quod
obiter adiungunt, quàm quod ex propoſito tractant. Hac de cauſa puto eos pro-
nunciaſſe Galenum non obſeruaſſe breuitatis legem, id eſt longum, & prolixũ
fuiſſe, quia ſæpe interponit diſputationes contra ſectas. Verum cum artem ſcri-
beret ſuapte natura longam, & propter ſectas longiorẽ adhuc, ac ipſe iudicaſſet
decreta Hippocratis eſſe veriora, & ex illis decreuiſſet artis pręcepta tradere,
non potuit artẽ ueram & firmam conſtituere, niſi multis demonſtrationibus ful

 ciendo

ciendo Hippocratis decreta,& aliarum ſectarũ,quę tum erant in pretio,opinio
nes refellendo:atq; hęc non ieiune agenda erant,ſed copioſe,vt omnia plana &
dilucida redderentur. Quamobrem etiamſi ſępe interſerat diſputationes modo
contra Eraſiſtratum modo contra Aſclepiadem,& alios multos, nunquam à re
propoſita recedit:non anxie eas accerſit,ſed è re nata profert:quod ſi non feciſ-
ſet,haberemus adhuc artem dubiam atque incertam.Non potuit itaque obſer-
uare breuitatẽ,quam iſti ſibi ſomniant,nec certe licet ea uti artes vtiles,ac ne-
ceſſarias conſtituentibus:nam cũ breuitate ſolet ſemper eſſe coniuncta obſcuri-
tas:at artes aperte & dilucide conſcribendę ſunt.Hac de cauſa etiam ſolet Ga-
lenus non vno eſſe contentus argumento in refutandis prauis opinionibus, licèt
optimis ingenijs ſatis eſſet,ſed multa alia in medium producit,vt prorſus opinio
nes euertat rationibus,quę à vulgo etiam percipiantur:in primo de Elementis
» cap. 2. id obſeruauit, & obſeruationis ſuæ rationem reddidit. Hæc eſt, inquit,
» huius rationis ſumma,quę vt eſt admodum ijs,qui in logica diſciplina exercitati
» ſunt,aperta,ita propoſitũ etiam hoc fere modo concludit.Sed quoniam ij,qui ta
» lia introducunt elementa,non modo ſunt diſciplinę diſſerendi rudes,& prętere
» contentioſi,verũ & ſibi mala fore exiſtimant,ſi uel in melius ſententiam muta
» uerint:communem hanc rationem particularibus aliquibus exẽplis illis expo-
namus. Leges breuitatis deſtruit crebra etiam earundem ſententiarum re-
» petitio,vnde volens fortaſſe Fernelius demonſtrare, quomodo Galen non obſer-
» uauerit breuitatis leges,ſtatim ſubdit.Eadẽ identidem locis compluribus incul
caſſe. Fateor Galenum eadem ſępe repetere, non eſſe tamen eas repetitiones
reprehendendas, immo ſummopere laudandas conſtanter aſſero,cùm vtiles &
neceſſariæ ſint,& ſine quibus non potuerit ars perſpicue conſcribi. Multæ pro-
fectò ſunt cauſæ repetendi,ſed ea in primis,quæ exoritur ex affinitate ac cõſecu
tione rerum,de quibus agitur,quę adeo eſt neceſſaria,ut ſine ipſa nihil ferè poſſit
intelligi, atque hoc ex Galeni libris demonſtremus. Scripſit librum de Differ.
Morborum,in quo morbos omnes generatim nominauit: ſcripſit librũ de Cauſis
Morborum,in quo nõ uideo,quomodo cauſas iſtas explicare potuerit,niſi morbo
rum iterum mentionem faceret: poſt hos ſcripſit libros de Cauſis Symptoma-
tum: at cùm morbi ipſi ſint ſymptomatum cauſæ, potuit ne in illis libris mor-
bos tacere? potuit ne in lib. de Locis Affectis docere,quibus morbis partes ab-
ditæ laborent ſine repetita morborum mentione? In libris Methodi, & in li-
bris de Simplicibus ac Compoſitis Medicamentis docet curare morbos omnes
in vniuerſum, & morbos partium ſingularum, quare neceſſe habuit & mor-
borum, & locorum affectorum ſæpe meminiſſe: atque hæc eadem repetitio in
alijs multis ſæpiſſime occurret, vt vnicuique obſeruare licet, & hanc nullus
ſcriptor poteſt effugere. Si igitur propter huiuſmodi repetitiones prolixum
eſſe Galenum pronunciat, rerum naturam non intelligunt. Inſuper cùm va-
rijs modis de Arte Medica Galenus ſcripſerit, coactus fuit hac etiam de cau-
ſa ſæpe eadem repetere. Quatuor hos modos in primis eſſe comperio, in quo-
rum vnoquoque præcepta totius ferè artis ille eſt complexus. Primo do-
cet in lib. de Conſtit. Art. à notione finis ſummatim totam artem conſtitue-
re,

re, quare pręcepta totius artis attingit. Deinde totam artem fuſius compoſuit in
multis commentarijs, in quibus omnium præceptorum meminit. Tertio eam
in compendium redegit in Arte Medica, quare & in hac eadem, quæ in alijs
cogitur repetere. Poſtremo multos Hippocratis libros expoſuit, nec expone-
re potuit, niſi ea repeteret, quæ docuerat alibi, immò verò cùm ſępe Hippo-
crates eadem inculcet (ſi modo Hippocrates ipſe, & non alij potius id vitium
in operibus Hippocratis commiſit) fuit & Galenus coactus horum etiam me-
miniße, quanquam in hoc Galenus cautiſſime ſe geſſerit, nam vt plurimum ſi
occurrat aliqua ſententia, quàm alibi expoſuerit, non iterum eam exponit, ſed
admonet, alibi eam ſe expoſuiſſe, & locum indicat: quod expoſitor Coacarum
Prædictionum neſciuit obſeruare: nam ſæpe & ſæpe repetitas ſententias ab Hip
pocrate ipſe ſemper exponit: quod quidem Galenus plurimum reprehendit 7.
Aphoriſm. comment. 53. Cùm itaque Galen. quater egerit de præceptis ad to-
tam artem pertinentibus, quater eorundem mentionem fecit, niſi addas etiam
quoſdam libellos ad Introducendos, & quęſtiones, veluti aduerſus Lycum, Iu-
lianum, & alios pro quinto ſcribendi modo: & librum etiam de Partibus Ar-
tis Medicę profeſto, in quo docet artem medicam partiri. Quocirca cùm tot mo-
dis de arte egerit, non potuit effugere, quin eadem vbique in medium afferret.
Sed ſi quem tædeat quater & quinquies eadem pręcepta legere de arte tam
difficili, tam pulchra, & tam neceſſaria vitę humanę, cùm tractatus iſti ſint ſe-
parati, poteſt aliquem ex ipſis deligere, & reliquos omittere. Nullum ex iam
dictis modis eadem repetendi iure quiſpiam accuſare poteſt in Gal. cum addu-
ctus rerum neceſſitate, de quibus agebat, id fecerit. Sed eſt & alius repetendi
modus, quando ſcilicet in eodem opere eadem ſententia ſępe obtruditur, veluti
cùm in Methodo Medendi ſępiſſime ſubijcit indicationem curandi ſumi à mor-
bis, & à partibus morbo affectis. Et ſanè Galenus, ſi hoc vitium eſt ſępe in id in-
cidit, ſed illud vitium eſſe ipſe negat: cùm enim ars agat de ſalute humanę vitę,
& ingenium ac memoria hominum vt plurimum ſint imbecilla, ac fluxa, inuti
le non eſt præceptiones vtiles iterum atque iterum adſcribere, vt & facilius
percipiantur, ac fidelius memorię commendentur: vnde 4. Aphor. comm. 22 ſic
ſcriptum reliquit. Facta eſt à nobis & in antecedente Aphoriſmo diſtinctio in-
ter humorem melancholicum, & nigram bilem, de qua nunc ſermo habetur ab ,,
ipſo: & cauſam, ob quã ab initio letales ſint huiuſmodi humores, poſtea uerò iu- ,,
dicatorij appareant, in illo Aphor. ſufficienter percurrimus, ſed & nunc repe- ,,
tamus. Quoniam ea, quę ſunt ad artem maxime neceſſaria, ſępe tractare ſit me- ,,
lius. Et 10. Methodi cap 5. idem confirmat: ſic enim ait. Quę maxime ſunt ad ,,
curationem neceßaria, eademq; maxime ignorata, nec Hippoc. ipſe identidẽ re ,,
petere grauatur. Et 2. de Tuen. Valetu. ait. De ijs, quę maxime neceſſaria ſunt, ,,
vel ſæpius meminiſſe non ſit profecto inutile. Pręterea, cùm Galen. ex alijs, vt ,,
ante vidimus, artẽ deſcripſerit deligens ex repugnantibus ſententijs, quę uerior
erat, ſi quid de ſuo ipſe ſcribebat, ſępius quã cętera repetebat ob cauſam, quam
ipſe explicat. Scitis inquit, quòd ſępenumero uos admonere ſoleo earum rerum, ,,
quę à prioribus omiſſę ſunt. Nam quas ipſi perſecuti ſunt, earum propter ſcripto ,,

,, *rum multitudinem facilis,atq; in promptu eſt memoria. Quæ vero ab Hippoc.*
,, *(quamuis accurate de dyſpnœa ſcripſerit) nõ ſunt defini ta,ea poſteriorũ nemo*
,, *explicauit definitiue: idcirco neceſſarium eſſe putaui creberrime illorum vos*
,, *admonere Verum licèt ſæpius & ſæpius eadem ſcripſerit Gal. non potuit tamẽ*
,, *adeo creber eſſe in repetendo, vt præceptiones eius ,& methodus ſcribendi à*
Fernelio,& Argenterio perciperentur,nam ſi percepiſſent, non adeo ſæpe &
temere eum condemnaſſent. Ac ſanè in repetitionibus,quas increpant, nuſquã
inuenias Galenum faſtidium parere,niſi fortaſſe auribus nimium ſeueris id fa·
ciat in li.de Decret.Hippoc.& Plat.qui inter primos ſunt,quos cępit ſcribere.

At ipſe in proęmio lib.4.& 7 ſeſe excuſat,& cauſam longitudinis ſuæ in eos
reijcit,contra quos diſputat,ſed vt fines illis in libris tranſierit,hoc ei condonan
dum eſt,compenſandaq; moleſtia,ſiquam affert,cum voluptate atque vtilita-
,, *te,quę ex pulcherrimis eius documentis percipiuntur . Nunc huc, nunc illuc*
,, *ſtudio reprehendendi auide ferri, ſicque ſæpius ambiguitate lectoris animum*
diſtrahere.

Neceſſitate ad actum Galenũ confutare ſectas ab Hippoc.alienas,ante viſũ eſt: quare iniurius nimium Galeno eſt Fernelius,cùm aſſerit id eum auide feciſſe declaratq; parũ ſe eſſe verſatum in bonis authoribus, qui cùm aliqua de re ſcribũt,cuius variæ ferãtur opiniones ſemper eas reijciunt, quas non probant.

Quid aliud agit Ariſt. in vniuerſa philoſophia? tractat ne aliquid, in quo aliorum placita in mediũ non afferat,examinet,& perpendat,hęc repudiet,illa admittat? Nonne & Hipp.paſſim id obſeruat damnans prauas opiniones medicorum aliorum non ſolum in arte conſcribenda,ſed etiam in medicina faciẽda?

Idem omnibus euenire puto,cùm mihi quoq; eueniat. Dum enim cupio,quę uere ſenſit Gale.de morborũ natura aperire,quis mihi potius credet,quàm Fernelio, Argenterio,alijsq; magni nominis authoribus,qui ſcientes , & nolẽtes à Galeno deſciuerunt,aut valeriolæ,Fuchſio,& alijs,qui ſe Galeni ſectatores faciũt,cùm aliter atq; ęgo eũ ſunt interpretati,niſi eorum ſententias refutauero?

Tam tritum & vulgatũ eſt hoc,vt homines iſti bardi,& ſtupidi dũ hoc in Galeno reprehendunt, non animaduertent,ſe ideo eum reprehendere , vt noua dogmata introducãt,quod nõ liceret niſi Galeni dogmata euerterẽt. Hinc Gal. ipſemet 2.de Diff.Reſp.ait velle ſe potius ſuſpicionem loquacitatis , quàm falſi dogmatis incurrere. Cæterùm quid voluerit,cum ait ambiguitate eum lectoris animum diſtrahere,ambiguũ apud me eſt,niſi fortaſſe velit ambiguitatẽ in lectorum animis reſtare,vtris magis ſit credendum,Galeno ne,an ijs,qui reprehẽduntur : an potius ſignificare uoluit,quod planius expreſſit Argẽterius,cũ di-
,, *xit. Nec vniformem doctrinã fecit. Dũ enim in hunc atq; illum inuehitur,ſeriẽ*
,, *doctrinæ interrumpit,& ideo ambiguum perplexumq; lectorẽ relinquit.* *At ſic valde imperitum, & uecordem lectorem faciunt,qui etiam ſi filũ orationis perpetuæ digreſſiunculis quãdoq; dirimatur,neſciat ipſum connectere,& ſeriẽ materiæ propoſitæ ſequi,& ab ea ſi velit,digreſſiones ſecernere. Dicat Fernel. non accuſo Galenũ,quòd cõtra ſectas diſputauerit,cùm hoc illi fuerit tẽporibus illis neceſſarium, ſed aſſero,lectorem, qui artis præcepta tantummodo diſquirit*

diſpu-

diſputationes illas hoc tempore inutiles reſpuere, & cupere tradi ſibi commẽ
taria totam artem vno ac perpetuo tenore conſcribentia, vt citius ac facilius
eam poſſit imbibere. Atqui hoc pacto accuſat potius lectorum ignauiam, atq;
ignorantiam, qui neſciant præceptorum ſeriem à contentionibus ſeiungere. At
quis eſt, qui non libenter legat confutationes illas ſectarum, cùm inde non con-
temnenda antiquitatis cognitio comparetur? & multa vtilia præcepta ex al-
tercationibus illis eruantur? Vbi hæc effudit aduerſus Galenum, trãſit ad alios
Græcos taxandos, deinde ad Arabas, quos omnes omittendos eße cenſeo: id ta-
men omittere non poßum, quod de Arabibus ſcribit in hæc verba. Arabes bar ,,
bare, ſpurce, fœde in latinum traductos pharmacopęos, & circumforaneos po- ,,
tius, quam ueros medicos experienteſq; genuiſſe. Hãc notam inurit Dino, Tha ,,
dæo, Nicolo Florentinis, Thomæ de Garbo, Conciliatori, Thuriſano, Gentili, Hu
goni, Foroliuienſi, alijſq; eiuſdem claſſis viris, qui artem à fontibus Mauris hau
ſerunt, quos ego contra eruditiſſimos philoſophos, & medicos peritiſſimos fuiße
puto, cùm ex tenebris illis Arabum, & ex Galeno tam defœdato atq; obſcuro
puriorem fortaſſe lucem eruerint, quam Fernelius, valeriola, Fuchſius, & alij
elegantiores medici huius temporis ex puriſſimis Græcorum, & Latinorũ cõ-
mentarijs. Quod ſi illi eandem nacti eſſent librorum copiam adeo pure, ac diluci
de conſcriptorum, quam nos in præſentia nacti ſumus, omnes ſuſtuliſſent difficul
tates, ac controuerſias, quæ in hac arte exortæ ſunt. Dicam ego, quod multis mi
rum videatur, ſed mirum eſſe ceſſabit ijs, qui rem diligenter explorauerint.
Plus ego emolumenti, & delectationis percipio ex ſolis commentarijs Thadæi
in Aphoriſmos Hippocr. & Ioannitij compendium, eq; commentarijs Petri Hi
ſpani in Iſaacum, quàm ex omnibus horum diſertorum medicorum volumini-
bus. Si quis opinionem hanc meam irridendam putat, hoc vnum ſaltem pericu
lum faciat: conferat expoſitionem Fuchſij iuniorum medicorum coryphæi in
Aphoriſmos cum expoſitione Thadæi: nam cæcus omnino erit, ſi non ſtatim iu
dicabit Thadæum longe eße anteponendum non ſolum in ſententijs aperiendis,
difficultatibus enodandis, ſed quandoque etiam verbis exponendis, licèt tam fę
dæ, tam ſpurcæ, & falſæ ſint traductiones, quas ſortitus eſt Thadæus, vt nulla ra
tione intelligi poſſe videantur. Quod ſi quis nolit hunc laborem ſubire, conferat
ſaltem, quæ in ſecunda particula vterque ſcribit de diebus criticis: inueniet e-
nim Thadæum nihil omittere, quod ad eam diſciplinam pertineat: Fuchſium
verò ieiunum, mancum, imperfectum, & cęcutientem etiam.

Reiecto Galeno, Græcis alijs, Mauriſq;: explicatis demum quibuſdam alijs
cauſis, quas afferebant, qui eum ad ſcribendum hortabantur: ſic concludit.

Horum querimonijs, et ſermonibus cùm ſepe intellexiſſes inuiciſſime Rex, ac ,,
humaniſſime artem medendi mancam adhuc, & ſolum inchoatam eſſe et ætatẽ ,,
dierũq; numerũ multa produxiſſe, ad quę nulla ingenij acies penetrauerat, ſinè ,,
quibus tamen artis abſolutio non ſit perfecta: communi hominũ ſaluti cõſulẽs ,,
iuſſiſti, vt ueterũ medẽdi præceptiones pleniore doctrina, pluribuſq; obſerua- ,,
tionibus illuſtrarem, atque locupletarem. Non multum laboro, an Henricus ,,
Rex ille magnanimus in armis dum uixit, ſemper uerſatus mãdari Fernelio, ut

*artem medicam illuſtraret, & locupletaret, an potius hoc fuerit Fernelij cōmẽ tum, vt maiorem ſibi authoritatem locupletaret: certe non iuſſu Regis, ſed pro pria ambitione impulſum ad ſcribendum ſe cōuertiſſe ipſemet teſtis eſt: nam in
,, hac eadem epiſtola, quam ſeptem annos ante ediderat: ſic ſcribit. His ego ra-
,, tionibus adductus poſt tot, tantosque viros de re medica ſcribendum putaui ma
,, xime, vt noſtrę huic ætati placerem. His apertiſſimæ inconſtantiæ, ne dicam mendacij reus eſt: hic aſſerit etiam, artem eſſe tantummodo inchoatam, quam antea eſt confeſſus ab Hippocrate præclare fuiſſe inſtitutam, à Galeno auctam atque illuſtratam, & hac noſtra ętate eandem clarius illuxiſſe. Quomodo igitur hæc inter ſe conſentiūt, artem hanc fuiſſe ab Hipp. præclare inſtitutam, à Gale. & auctam, & illuſtratam, à medicis noſtræ ætatis illuſtriorem redditam, & ſolum inchoatam eſſe? certe mirum non eſt, ſi Fernel. non intelligit, quæ ſcribunt alij, cùm quę ipſe ſcribit, nō ſatis intelligat. Ait præterea tempus multa produxiſſe, ad quæ nulla ingenij acies penetrauerat. Quæ nam ſunt hæc, Ferneli, quæ tibi ſoli cognita ſunt, quæ ſolus in lucem protuliſti? aliud certe proferre non potes, quàm morbos formæ, & materiæ, quorum cum ſemina apud eos, quos pharmacopęos & circumforaneos uocas, inueniſſes, hos late deſcripſiſti, & Galeni morbis addidiſti, pulcherrimum ſanè inuentum, in quo deſcribendo plures ſunt errores, quàm verba, vt luce clarius ſuo loco demōſtrabo. Quod autem propter horum morborum defectum artem eſſe tantum inchoatam intelligat, patet ex epiſtola in libro de Abditis Rer. Cauſ. Sic enim ait Quocirca anno ab hinc vigeſimo odoratus quippiam ſub Diuini nomine in medendi arte penitus obuelatum
,, latere, quod nondum ſatis pateret, cępi illius ſtudio & amore incitatus, quid eſ
,, ſet, inueſtigare. Deprehendi autem id eſſe abditorum morborum tractationem,
,, nec ſatis tritam, nec ueterum monimentis expreſſam, ſine qua tamen manca,
,, & duntaxat inchoata, nec numeros omnes habitura ſit ars medendi. Demū ple
,, niore doctrina ueterum præceptiones ſe illuſtraturum, & locupletaturum profitetur: at hoc ſi præſtat, cum Galenum habeamus longiſſimum, vt ſtudioſos ab hac arte deterreat, quid eueniet, cum multo erit longior reddita? At video quo ſpectat, ſperat ſe hac pleniore doctrina affecturum, vt Galenus de manibus deponatur, ac ſicut Galenus reliquos omnes ſcriptores obſcuros reddidit, ita Fernelius Galeno tenebras offundat. Quod ſi eueniret, præclariſſime tunc mortalium generi eſſet conſultum, cum minimam partem eorum attingat, quę Galenus ſcripſit, eaque raro intelligat: quę vero de ſuo addit, pluribus ſcateant erroribus. Sed videamus quas calumnias in Galenum præter iam dictas ſeorſum inuehat Argenterius. Hic in ſecundo proœmio ſuo in quatuordecim libros de morbis poſt locum citatum antea ſic pergit in Galenum cōuitia iacere. Omit
,, to quòd res ſuo loco non tractet, ſed ſparſim omnia: & quòd dum nunc vni ſe-
,, ctæ, aut alteri patrocinari cupit, & nunc hos, nunc alios inſectatur, nec ſui inte
,, rim recordatur, nec vniformem doctrinam facit. Quoniam quædam ex ijs, quę nunc Galeno obijcit, vidimus ante in refutatione Fernelij, ideo paucis ea reijciam. Ac ſane proferendus erat liber aliquis, in quo Galenus res ſuo non tractet loco, ſed ſparſim ac confuſe, ſi ſibi credi uolebat: nam Galen. inter cęteras*

laudes

laudes hanc præcipuam videtur obtinere, quòd præceptiones ſuas aptiſſime di
ſtribuat. Nec vlli ſectæ patrocinatur: Hippocratis tantū decreta mirū in modū
extollit, quia ex illis cōficiebat artem: alias quidem ſectas dum interdum inter
ſe cōparat, Empiricam ſolet Methodicæ anteponere, atq; id non ſine ratione, nec
hos, aut illos inſectatur carpēdi auiditate, ſed patefaciendæ veritatis gratia: ac
dum hęc facit ſui ſemper eſt memor, & diſputationis ſeriem obſeruat, cùm ſem
per id faciat è re nata, atq; id poſtulante propoſita materia. Interrūperet ſeriē,
& difformem doctrinam faceret, ſi diuerſas materias cōfunderet, veluti ſi dum
agit de curandi indicationibus, prorumperet ad eos taxandos, qui perperā ſcri-
pſere de Elementis. At ſi dum agit de indicationibus, ſe ad eos inſectandos con-
uertit, qui aut indicationes de medio tollunt, aut male eliciunt, hanc diſciplinā
non difformem, ſed maxime vniformem eſse cenſeo. Pergit deinde. Ac etiam ,,
quum nunquā libros, quos ſemel cōfecerat, reſcripſerit, multaq; ad ſui exercita ,,
tionem, alia amicorum gratia potius, quàm ad editionē conſcripſerit, & multos ,,
ex ſuis libris imperfectos & haud quaquam elaboratos eſſe ipſe fateatur, hinc ,,
profectò agnoſcere poſſumus, & putare multa eſſe, quæ melius inueniri ab eo ,,
poſſint, qui diligentius ad ea conſideranda illius pręſertim, & aliorū beneficio ,,
adiutus ſe contulerit. In ſuis ēt cōment. in Art. Med. c. 91. eandem repetit calu
mniam his verbis. Hic author nō raro ſolet tractationem turbare, quod illis ma ,,
xime vſu accidere ſolet, qui ea, quæ ſemel ſcripſerunt, non recoquunt, ſed talia ,,
emittunt, qualia in primis cogitationibus occurrunt. Libros ſuos nunquam re ,,
ſcripſiſse Galenū, ſui exercendi cauſa, aut in amicorum gratiā multa ſcripſiſſe,
quamuis concedatur, non ideo inferendum eſt, vt infert Argenterius perperā
hęc fuiſſe ſcripta: nam cùm ſecundum illud ingenium lucubrando, docendo, di-
ſputando, altercādo, artis opera exercendo, totam artem ſibi familiarē reddidiſ
ſet, poterat de quacunq; eius parte vel ex improuiſo, & loqui, & ſcribere quā
rectiſſime: & raro aliquid in amicorum gratiam ſcribebat, quo de ante cū ipſis
non egiſset coram: hac enim potiſſimū de cauſa ad amicos ſcribebat, vt illi pere
gre proficiſcentes haberent quoddā veluti cōmentariū, quod ipſis in memoriā
redigeret, quę ab eius viua voce didicerāt, vt colligitur ex proęmio librorū de
Anatomicis Adminiſtrat. nihil igitur ad eos ſcribebat, quod antea non fuiſset
pręmeditatus. Hinc ſtatim à principio in Thraſibulo ſic ſcribit. Nō alia ò Thra ,,
ſibule de propoſita à te quæſtione ex tempore diſserui: alia verò in præſentia ,,
hiſce commentarijs traditurus ſum: id enim prorſus haud ignoras, me ſemper ea ,,
dem de ijſdem aſſerere, neque quicquam tractandū ſuſcipere, cuius neq; metho ,,
dum didicerim, neq; in ea me aliquandiu exercuerim. Sed vt inſtitutum Gale ,,
ni in ſcribendo ad amicos patefiat, & os occludatur aduerſarijs, qui de ſe ita ma
gnifice ſentiūt, vt quidquid illis in buccā venit, inconſiderate effundant, ſciendū
eſt, Galenum, cùm primum ſcribere cępit in amicorū gratiā ab ipſo pręſertim
diſcedentium, reſpexiſſe in primis ingenium eorum, ad quos ſcribebat, & vſum
etiam, & ideo non ita accurate ſcribebat, ac ſi in publicū commētaria illa pro-
ferre uoluiſset, ut docet ipſe in proęmio libri de Proprijs libris: ac vt res exēplo
ptefiat, in proęmio in Hippocratem de Nat. hum. ſic ſcribit. Scripſeram olim ,,

de

,, *de elementis ex Hippocr.ſententia commentariũ, eumq; amico iter facturo de-*
,, *deram.in cuius initio cùm amici illius mei eruditionẽ intuerer,quæ eũ accura-*
,, *te noſſe perſpexeram, neque demonſtraui, neque commemoraui,quod tamen fa-*
,, *cere conſueui,ſi quando ſit mihi omnibus, qui legere velint,ſermo communis in*
,, *ſtituendus.* De hoc libro eadem profert lib.8.de Decret.Hippocr & Plat.c.2.
ſed cùm poſtea animaduertiſſet,hæc commentaria in publicum prodire, mutato
conſilio,quæ in alicuius gratiam ſcribebat,ita temperabat, vt publicam magis
editionem,quàm eorum tantũ, qui ea accipiebant,captũ reſpicerent,ut teſtatur
in lib.de Propr.libr.ca.6. quod eum obſeruaſſe inde patet,quòd licet in amicorũ
gratiam ſcriberet,procemia tamen quædã attexebat, quæ ad omnes,qui lecturi
eſſent, pertinebant:rationem enim in illis reddit ſcribendi generis, quo vtitur:
,, *ſic itaque fecit* 6. Epidem. 1.*in procem. ait enim.* *Equidem cùm alia omnia,*
,, *tum verò has etiã explicationes confeci,vt rogantibus amicis gratificarer,ſed*
,, *cùm videã ſcripta mea in manus incidere multorum, huiuſmodi procemijs opus*
,, *eßе exiſtimaui. Quod etiam ad ſui exercitationem quædam ſcripſerit,non infi-*
ciandũ eſt:ſed quid probibet,quin hęc etiam plene conſcripta fuerint? aut ſaltẽ
antequam edita ſint, perpolita,atque abſoluta? Vidimus antea eius teſtimonio
methodum medendi eo modo ab ipſo fuiße ſcriptam, ſed per capita tantum,&
breuibus cõmentarijs:tamen hæc quæ fuit edita,alio eſt modo conſcripta,ut ap-
paret:nec credo,extare aliquẽ eius tractatum, quem ſui exercẽdi gratia tantũ
ſcripſerit,cognoſceretur enim facile,& deprehẽderetur,ſicuti ipſe facile nouit,
quæ Hippoc.ſcripſit,vt ederet,quæ cõtra memoriæ ſui tantũ cauſa annotauerat:
vnde 1.& 3.*Epid.ſcriptos fuiſſe atteſtatur,vt ederentur:ſecundum & ſextum*
eſſe commentaria memoriæ gratia conſcripta,ab alijs poſt Hippocratis mortem
edita, alijs interpoſitis ſententijs, ab ijs, qui ediderunt. Quod nunquam li-
bros ſuos reſcripſerit,ſed tales emiſerit,quales in primis occurrerunt cogitatio-
nibus,quis Argenterio detexerit,neſcio. Quæ ante ex Galeno adduximus, ſa-
tis demonſtrant eum ex morbo animi ita loqui, cùm temere nihil, & inelabo-
ratum vnquam Gale.emiſerit.Reſcripſerit,an non reſcripſerit,nihil refert:ſatis
eſt,quod multa emendauerit,cũ.n.multa eius cõmentaria deperdita eſſent, alia
aliorũ nomine edita,et multa deprauata,inuẽtaq; fuißẽt ab amicis, et ad eũ miſ
ſa,ut corrigeret,atq; emẽdaret, vt aperte ipſe teſtatur in procem. lib. de Propr.
lib.& in c.1 aſſerendũ eſt,ab eo emendata fuiſſe,immutata,aucta,& ampliata:
præſtitit hoc proculdubio in lib.de Cõp.Med. per genera,et de Anatomicis Ad
miniſtrationib.in lib.vero de Elementis,cùm pauca deſiderarentur,ſatis habuit
alijs in libris annotaſſe, quæ deeßent. Sed quod ſuos libros nunquam reſcripſe-
rit,id tanquam vates pronunciat, niſi fortaſſe aliquẽ locum apud Galen.inuene-
rit,id atteſtantem,quem ego non obſeruarim: ſed veriſimile non eſt id ab eo eſſe
ſcriptum:nam Methodum medendi per capita annotatam, neceße eſt ipſum re-
ſcripſiße: nec ſolum credendum eſt quoſdam ex libris ſuis reſcripſiſſe, ſed cum
bis & ter editi fuiſſent,in ſecunda editione ipſum emẽdaſſe,ſi quid erat emẽdan
dum(iam enim uidimus hoc eius teſtimonio) aut addidiße quędam,quę deerãt,
*atque id comprobare poßum ex primo Aphoriſmor.comment.*14 *nã non longe*

à fine

à fine tota illa pars, quæ incipit [Hæc ſufficere poßunt] vſq; ad finem addita eſt
in ſecunda editione, quia poſt primam editionem confecerat libellum aduerſus
Lycum, & ideo ea addidit in ſecunda editione: quod ſi hęc, cur non & alia potuit
addere, aut immutare? Lib. 5. de Tuen. Valetud. cap. 11. ſic ſcribit. Diximus ”
temperamentorum notas non ſolùm in lib. de Temperamentis, ſed etiã in lib. de ”
Arte Med. is enim vni ex libris noſtris eſt titulus. Ex hoc loco certum eſt, Artẽ ”
Medicam fuiſſe editã ante libros de Tuen. Valet. ſed audi, quę ſcribit in Artis
Medicę calce. Quos ſequuntur libri de Arte curandi: his, qui de ſalubribus ”
inſcribuntur, ſeorſum à nobis conſcriptis. Ex hoc loco manifeſtum eſt, librum ”
de Tuenda Valet. ſcriptum fuiſſe ante Artẽ Medicã. Nec explicari poteſt hic
nodus aliter, quàm ſi dicas alterũ, aut vtrunque ex his commentarijs bis fuiſſe
editum, & in ſecunda editione potuiſſe fieri mentionem in eo, qui prius fuerat cõ
poſitus, eius, qui poſterius: quod ſi in his addendis, quę parui ſunt momenti, dili-
gens fuit, credendum eſt non minorẽ adhibuiſſe diligentiam in ijs addendis, quę
ad artem pertinerent, ſiqua deerant. Niſi dicas Galenũ, antequam ederet libros
ſuos, eos in breuia commentaria redegiſſe, deinde extremam manum addidiße,
atque edidiſſe: nam & hoc pacto fieri potuit mentio eius, qui poſtea ſcriptus, in
eo, qui antea: ſed & hoc etiam faciet contra obiectiones Argenterij, qui vult te
mere, & inconſiderate Galenum opera ſua inuulgaße: licèt autẽ haud reſcripſe
rit, & correxerit, potuit tamen in alijs quę poſtea ſcripſit addere quę deerãt, &
errata corrigere, vt fecit in lib. de Pulſibus: ſed 1. de Differ. Feb. cap. vlt. addit
quędam indicia febrium ephemerarum, quę prętermiſerat 2. de Criſ. c. vlt. cùm
enim ratione, & experientia artes inueniãtur, poteſt experientia exercitatiſſi-
mis etiã artificibus quotidie noui aliquid ſuggerere. Quod tandẽ Galenus fatea-
tur multos eius libros imperfectos eſſe, & inelaboratos, libenter admittimus, et
in hoc eius ingenuitatem mirum in modum laudamus: nã ſi in eos libros incide
mus, eam illis fidem pręſtabimus, quam author pręſtandam eſſe cenſuit: ſed qui
nam ſunt hi libri? certe aut nullum, aut paucos extare puto, nam aut vitio tẽpo-
rum interierunt, aut Galen. pro illis alios ſuffecit commentarios elaboratiores.
Tales poßent eße libri ad Introducendos, veluti libellus de Pulſ. in quo ſyſtoles
differentias non attigit, quia non aptę erant ingenijs rudiorum & introducendo
rum, vtilis tamen admodum eſt libellus, & qui in eo ſe exercuerit, facilius per
cipiet ſexdecim libros, in qbus tota doctrina de Pulſ. accuratiſſime explicatur.

Talis eſſe poßet & liber de Elementis: ſed tamen eſt & ille erudititiſſimus li-
ber, & paucis quibuſdam exceptis, q̃ deſiderantur, abſolutiſſimus. At ſi q̃dam
minus laudat, debemus idcirco reliqua omnia ſuſpecta habere, quę magna cum
diligentia literis prodidit? In primo procœmio vel in Epiſt. ad Coſmum ducem
hanc etiam notam inurit Galeno Argenterius. Verùm & ſi alia omnia apud ”
eum authorem perfecta extare ijs, qui ita uolunt, conceſſerim; illud tamẽ, quòd ”
omnes fatentur, & ſponte largiuntur, accipio, ordinem ſcilicet in eo deſiderari, ”
quę quidem res ab eo potiſſimũ exigitur, qui artẽ methodo ſcribere, & poſteris ”
mandare aggreditur. Ego vero contra, quàm Argenterius, iudico & pronũcio. ”
Si quę hactenus obiecta ſunt Galeno, concedantur eſſe uera, quod nunc obijcitur ”

adeo

adeò alienum eſſe à Gale.nihil ut eſſe poſſit alienius: facilius enim quiſpiam è Sole lucem,quàm ordinem è Galeni cõmentarijs eripiat:ſiue enim ſimul omnia conferas,quæ latius lucubrauit ad totius artis compoſitionem,eam rerum continuationem,ſeriemq; inuenies,vt alia ex alia annexa,et omnes inter ſe colligatę videantur,ſiue ſingulas partes per ſe ſumas in manibus, idem in eis ordo theorematũ enitebit,q in mathematicis uiſitur diſciplinis:omnia ille methodo ſcribit, & methodo ſcribere nihil eſt aliud,quàm vno tenore perpetuo, & quodã quaſi filo ab initijs ad ultima progredi? vnde in hoc Oribaſij iudicium longe eſt Argẽterij iudicio anteponẽdum,qui in proęmio magni uoluminis ſeptuaginta librorũ
» ſic de Galeno pronunciat. Ea ſolum colligam,quæ nobis reliquerunt ij, qui cęte-
» ris præſtiterunt:ſed nihil omittã eorũ,quę Gale.dixerit,ſi quidẽ ex ijs,qui eaſdẽ
» res pertractarũt, ipſe & uia ac ratione, & diſtinctione cęteris oĩbus antecellit.

Quare neſcio quid in mentem venerit Argenterio,ſumere tanquam conceſſũ ab omnibus,quod nemo audeat aſſeuerare:ſed ſimile eſt hoc cęterorum,quæ confingit,& comminiſcitur,niſi fortaſſe conſenſum complexus eſt triuialium,impõritorum,atque ignauorum medicorum,quos ego quoq; ſępe audiui de Galeni doctrina conquerentes nimis hinc inde diſperſa:deſiderant enim homines iſti ingenio carentes,& laboris impatientes omnia collecta habere vno in loco, quæ tractant eadem de re,ut ne hinc atq; illinc conquirendo fatigentur, & ideo ſummopere commendãt Auicennam,qui in 3.Canonis lib.eodem in loco agit de uniuſcuiuſq; particulæ vſu,anatome,temperamẽto,morbis, morborum cauſis, ſignis, & curatione,atque id à capite vſque ad pedes. His omnibus reſpondendum eſt, Galenum,ſi non obſeruauit hunc ordinem,alio eſſe uſum longe probatione tũ ad tradendas,tum ad percipiendas,ac memoriæ commendandas diſciplinas, quem Ariſt.docuit, & in lucubrationibus ſuis adhibuit. Quærens diuinus hic vir, quomodo eſſet cõſcribenda hiſtoria de animaliũ natura,tractãdo ne de unoquoq; ſeorſum,verbi cauſa de hominis,de leonis,de bouis,deq; aliorum ſingulorum natura,vt Pliniũ videmus feciſſe,an potius in communi de omnium animaliũ natura: primum modum repudiauit,commendauit alterum: cum enim ex victu, actionibus,moribus, & partibus naturam animaliũ eſſet explicaturus,nõ egit ſeparatim de uictu,actionibus,moribus,et partibus hominis,leonis,bouis,et cęterorũ,ſed in cõmuni quia in modo priore cogimur de multis eadẽ ſępe repetere, qđ longitudinẽ parit,confuſionẽ, & faſtidium:in altero ſemel tantũ aliquid eadẽ de re ꝓnunciamus.Hęc unico patebunt exẽplo: ſi tractãs de partibus aliquibus corporis,ueluti de cruribus,dixero ex animalibus quædã eſſe quadrupeda, quædã bipeda:quadrupeda leonẽ,vrſum,lupũ,equum, bouẽ, aſinũ:bipeda hominẽ, pauonẽ,gallũ,anſerẽ,anatẽ,columbũ:longe breuior,& artificioſior erit explicatio,quàm ſi more Plinij de cruribus uniuſcuiuſq; animalis ſeorſum egero: tunc .n.dicẽdum erit,leo eſt quadrupes,urſus eſt quadrupes,lupus ẽ quadrupes,equus eſt quadrupes,bos eſt quadrupes,aſinus eſt quadrupes:et ſic pariter homo eſt bipes,pauo eſt bipes, gallus eſt bipes, anſer eſt bipes, anas eſt bipes, columbus eſt bipes.En quomodo in priore progreſſu differentia à cruribus ſumpta ſemel tantum adſcribitur,in altero ſæpius repetitur: quod ſi in differentijs ſumptis à reli-

quis

quis partibus idem fiat, quæ ſunt innumerabiles, idem in differentijs à quacunq; actione, à quocunq; genere uictus, & à moribus quibuſcunque unusquiſque uidere poteſt, quam longior & uaſtior erit hæc tractatio, quàm ſi generatim agatur. Naturã ſtirpium eodẽ modo tractauit Theophraſtus, quo animalium Ariſt.

Quare ſi quis excellentiam & uitium utriuſq; modi noſſe cupit, conferat Plinium, qua agit de Animalibus cum Ariſtotelis hiſtoria: & eundem qua de ſtirpibus agit cum Theophraſti hiſtoria. Sed quam inepta ſit methodo atq; ordini illa rerum omnium uno in loco cõgeries declarat tertius ille Canonis liber, cum in unaquaque particula eadem omnia ſint repetenda. Ad hæc non ſatis ea ſunt ad artem percipiendam, niſi quæ tradũtur in uniuerſali etiam percipiantur, qđ ipſemet indicat Auic. qui in duobus libris præcedentibus principia artis conſtituit, ſine quibus tertius liber haud poſſit intelligi. Quod ſi ordinẽ & methodum Ariſtotelis obſeruaſſent Auicen. quiq; eum ſecuti ſunt alij, breuiorẽ & faciliorem rationem curandorum omnium morborum iniſſent. Quis enim non uideat in hac trita & uulgata curatione morborũ, quæ per ſingulas partes traditur, in unaquaque parte ſemper repeti eandem curationem. At quam artificioſior & cõpendioſior eßet curandi ratio, cum tria ſint morborum genera, & uniuſcuiuſq; generis differentiæ multæ, ſi ſingularum iſtarum differentiarum per ſe curatio traderetur, à prima uſq; ad ultimam indicando ſemper uarietatem illam curandi, quæ à natura partium, à ſitu, & alijs circunſtantijs oritur? & miror neminẽ adhuc extitiſſe, qui hanc rationem curandi conſcripſerit, aut ſaltem in docendo alios in gymnaſiis uſurpauerit. Franciſcus Frizimelica medicorum omnium huius ætatis facile princeps, ſi iterum docẽdi ſuſcepißet prouinciam, hac, ut ſæpe de illo audiui, inſtitiſſet uia, magno cum totius orbis emolumento. Sed Fata, quę artis medicæ ruinam meditabantur, id non permiſere. Hoc ordine paſſim uſus eſt Galen. & præſertim in Methodo Therapeutica, cuius uim atq; excellentiam cùm medici uulgares haud percipiant, ideo in Galeno ordinẽ deſiderant.

Et hac fortaſſe de cauſa cõfirmata eſt in eorũ animis falſa quędam perſuaſio, nullum morbum ex Galeno tantum curari poſſe, quare tẽpus conterunt in Sauonarola, & alijs, quos uocant practicos: cùm tamen tam prompta, atque expedita ſit uia curandi morbos omnes ex Galeni dogmatibus, ut nulla eſſe poſſit expeditior, ſic ferente ordine pulcherrimo, quo uſus eſt in ſcribendo. Nec ſanè idem ignarus fuit alterius ordinis, quem iſti amplexantur: eo nanq; uſus eſt in tertio, & quarto libro de Cauſis Pulſuum. Quod cur fecerit, in noſtris libris de Pulſ. explicamus. Confugit tandem Argenterius ad Veſalium, ut maiorem Galeni ,,
taxandi facultatem nanciſcatur: ſic enim ait. Hinc illud factum eſt, ut Galeni ,,
authoritate perſuaſi, dũ negligentius, quid ſenſus indicarent ſpectaremus, hacte ,,
nus crediderimus, ſimias et canes pro hominibus dißectos, & deſcriptos, nimirũ ,,
ꝙ alterius verbis magis, quàm proprijs ſenſibus peruerſo errore ſeducti credere ,,
maluerimus. Calumnia hæc non attingit Galenum, ſed eos potius, qui Galenum haud perceperunt, crediderunt q; eum hominum tradere anatomen, cum tamen apertiſſime ſimiarum, canum, boũ, ouium, & ſuũ anatomen deſcribat, nec quenquam decipiat. Primus autem hunc medicorum errorem patefecit diuiniſſimus

Veſalius,

Veſalius,ſed & Galenum hic idem ſæpe fuiſſe hallucinatum in diſsecandis etiã
„ *ſimijs affirmat:ait enim Quinetiam quamplurima apud illum inuenias, quæ in*
„ *ſimijs quoque minus recte eſt aſſecutus:at ne nimis ſim longus,ex præfatione Ve*
ſalij,& ex toto opere innumeri errores Galeni in anatome indicantur. Quod ſi
toties errauit in diſciplina,quæ ſub ſenſuum iudiciũ cadit,& in qua erat exerci-
tatiſſimus, potuit facile,& in alijs multis decipi. Hæc profectò ſola ex omnibus
obiectionibus aduerſus Galen.vim aliquam habere videtur:et in hac maxime
exultant Galeni aduerſarij,ſiquidem niſi plane ſenſum perdere velimus,fatendũ
eſt,eum quandoque errare. At vero nos Galenum defendimus, non tanquam
Deum,ſed tanquam hominẽ,qui errare potuerit, & eo facilius,quo res ipſa erat
difficilior:vnde in libris de Anatomicis Admin. fatetur ſæpiſſime in alijs, quæ
hac de re antea ſcripſerat,multa ſe ignoraſſe:quare non eſt mordicus defenden-
dum,quin & in his accuratius elaboratis aliquando offenderit, nec negandum,
Veſalium hanc artem plurimũ illuſtraſse, tum quia ampliſſimã habuit faculta
tem cadauerã humanorum diſſecandorum,tum quia libri Galeni manci ſunt,&
mutilati,cum ex libris quindecim primi octo integri tantũ,& nonus mutilatus
extent. Verùm rumpantur licèt omnes,dicam ego libere,quod ſentio,nec Veſa-
lium,nec alium quempiam poſse palmam corporũ diſſecandorũ è Galeni mani-
bus eripere. Immo verò quantus quantus eſt Veſalius,id totum eſt à Gale. cõſe
cutus. Niſi enim ille tam dilucide,tam perſpicue,docuiſſet modum,ac viam ana
tomes adminiſtrãdæ,vnde primo ſit incipienda, qua ſerie ad exitũ perducenda,
quomodo ſingulæ particulæ à ſe inuicem ſeparandæ,quo in vnaquaq; adminiſtra
tione inſtrumento vtendum,quæ vniuſcuiuſq; partis ſubſtantia ſit, quæ cũ alijs
connexio,ac ſocietas,quis vſus,quæ actiones,quomodo in mortuis,quomodo in vi
uis ſit adhibenda,certe Veſalius vnde diſceret,& quid ſcriberet,non habuiſset.

Quod ſi vtriuſq; elocutionem examines,atq; inter ſe compares,Galenus lon
go anteit interuallo. Ac quãquã Veſalius omnia figuris delineauerit, ac depin-
xerit,nuda tamẽ Galeni oratio fortè planius oĩa docet,ac apertius. Quod ſiquis
extet aliquando vir ingenio,& eruditione inſignis,qui ſeſe plurimum in ratione
demonſtrandi,& anatome exercuerit,ac veritatis eruendę cupidus ſit,hunc ſpe
rauerim,deprehenſurum magnam partem errorum, quos Galeno Veſalius aſcri
bit,falſo illi attribui,& eos annotaſſe Veſalium, quia Galenum, & rei naturam
non intelligeret:id quod euenit etiam Argenterio. Deprehendi ego,dum ſcri-
berem de Difficultate Reſpirationis,in ea parte,qua agitur de inſtrumentis,tam
turpes errores Veſalij,& aliorum recentiorum diſſectorum,dum Galenũ repre
hendunt,vt me eorum vicẽ pudeat, nã tres ex his mihi fuerunt,& amiciſſimi,
& in anatome etiam præceptores. Ex erroribus illis vnum tantum in præſen-
tia & ſummatim indicabo,quod hæc res alterius ſit inſtituti,et ne hoc proœmiũ
ad libri magnitudinem creſcat. Veſalius ipſe lib. 2. cap. 35. dum Galenum inſe-
ctatur varia,diſsentanea,& falſa de vſu muſculorum intercoſtaliũ differentem,
interim ignorat, quod vnuſquiſque vulgaris & literarum inſcius cognoſcere po
teſt:cùm enim incidiſset ibi mentio de dilatione & depreſſione thoracis, dilata
tionem fieri ait,quando coſta à coſta abducitur:depreſſionem vero,quando coſta

ad

ad coſtam adducitur, ut hoc pacto dilatatio thoracis nihil ſit aliud, quàm dilatatio ſpatij, quod coſtas intercidit: depreſſio uerò eiuſdem conſtrictio: in quam ſententiã, ſi Dijs placet, ueniunt Columbus etiam, Valuerda, & Fallopius, licèt de modo diſcrepent, atque altercentur, quo coſta ad coſtã adducitur & coſta à coſta abducitur: at hæc ſententia ſenſui, & rerum naturæ uehementer repugnat.

Quod ſi Galenũ in maiori honore habuiſſent, & accuratius euoluiſsẽt, ex 2. lib de Motu Muſculorũ cap. 9. didiciſſent, quomodo in reſpiratione fiãt duo illi motus contrarij, cum ibi doceat apertiſſime coſtas in dilatatione thoracis à centro abſcedere, ſeſeq; attollere: in depreſſione centrum uerſus concidere: ex hoc autẽ errore alij multi ſequuntur, quos ibi latius proſequor. Nunc ſatis fuit indicaſſe locum, ex quo uno colligere poſſint ſtudioſi, nõ sẽper Galenum iure taxari.

Huc accedit nõ temere credendũ eſſe anatomicis, cùm ſæpe nouacula muſculos, & alias partes ſibi fabricentur, & ſpectatores deludant, quod ego non annotaſſem, niſi apud ipſos ſcriptum inueniſſem: ac ſanè rectius feciſſent Veſalius, & reliqui, maioremq; ſibi laudem comparaſſent, ſi in Galeni defenſionem incubuiſſent: ſic enim & rei ſubiectæ naturam rectius indagaſſent, & melius intellexiſſent. Atque hæc pro Galeno. Nolim tamen pro certo aſſeuerare, nunquam eum erraſſe, hoc enim contra ipſum eſſet, qui 2. de Medic. Localib. cap. 1. ſic ſcribit. Difficile eſt, vt qui homo ſit, non in multis peccet, quędam uidelicet penitus ignorando, quædam uero male iudicando, & quędã tãdem negligentius ſcriptis tradendo. Cũ hactenus demonſtrauerim Gale. adeo cumulate, & luculẽter artẽ medicam tradidiſſe, ut non ſolùm cęteros omnes ſuperauerit (Hippocratem ſemper excipio) ſed in cauſa etiam fuerit, quamobrẽ & qui ante eum, & qui poſtea ſcripſerunt, funditus perierint: cumq; obiecta, quæ aliquid de eius exiſtimatione detrahere poſſent, diluerim, uidetur eſſe ſtatuendũ, fruſtra laborare, qui ad artem medicã denuo conſcribendam aggrediuntur: nam ſi Galenũ imitantur, nec ab eius pręceptionibus recedunt, nemo ꝓ eis Galenũ relinquet, ſi ab eius decretis abſcedunt, hallucinari eos certum eſt, quare cognitis tandẽ eorum erroribus à ſtudioſis ablegabuntur: Atqui dicat aliquis, ſi hæc uera ſint, uiri eruditiſſimi torpebunt, & nullum ingeniorum ſuorum fructum edent. Præterea dum Galenum plus nimio effers, cõtra Galenum ſentis, ac pronuncias, qui in libello Quod Optimus Medicus ſit, & optimus philoſophus, aſſerit, cum idẽ ſit nunc mundus, qui ſemper fuit: tempeſtates ordinem, & uiciſſitudines ſuas ſolitas retineant, Sol eaſdem ſemitas terat, ſtellæ omnes tam errantes, quã fixæ ſua ſeruent domicilia: aſſerit, inquam, nouos poſse Hippocrates exoriri, ſi eadem adhibeatur educatio atque inſtitutio, quæ priſcis illis temporibus adhibebatur. Quamobrem hac eadem ratione nobis perſuadere debemus, exortũ eſse, aut exoriturum quẽpiã, qui artem hanc illuſtret æque, ac Hipp. & Gale. atq; eo etiã melius, ac facilius qđ illi multum in rebus inueniendis inſudarunt, nos inuenta ab ipſis ſine multo labore percipimus: maiorẽ librorum copiam habemus: ac ſicuti alter orbis eſt repertus, ſic & ingens nouorum remediorum ſylua, & multæ artis partes, quæ mancæ erant, in integrum reſtitutæ. Verùm, quomodocunque hæc ſe habeant, ſicuti in hac ſæculorum periodo nemo hactenus ortus eſt Galeno ſimilis, ſic nemi-

nem

nem oriturum auguror, nam vt arduum ſit, in vno conuenire omnia illa ornamẽta, quibus præditus erat Galenus: certe vnum ex illis, & præcipuũ ſemper deerit: ille cum lacte ebibit linguam Græcam, eamq́; elegantiſſimã, vt potuerit ineunte pubertate ad rerum diſciplinas animum appellere: nos hanc attingimus, antequã latine ſcribere ſciamus, vt Grȩcarum literarum cognitionẽ prȩtermittam neceſſariam & ipſam ijs, qui cȩteris cupiunt antecellere. Ad hæc ars tota ferè adeo luculenter eſt deſcripta, vt niſi ſcripta Galeni intereant, fruſtra alius eam prouinciam ſubeat. Quare acquieſcant omnes, & ſecum præclare agi putent, qui ex præſcriptis Galeni ægros recte curare ſciunt. Nec defuit vnquam, aut deerit materia ſcribendi in hac facultate, etiam ſi rurſus artem totam haud perſcribas: ſi quid deſit Galeno, vel quia viuens nõ abſoluerit, vel quia poſt eius obitũ exciderit, ſicubi ſit obſcurus, deprauatus, ſibiq́; ipſi repugnans, addas, illuſtres, corrigas, & concilies: ſic enim haud leuem tibi gloriam comparabis, licèt hic ſcribendi modus damnetur ab Argenterio: ſi quis errores, quos interpretes in Galeno conuertendo commiſerunt, emendet, ampla erit laudum ſeges: nã qui hactenus hoc ſunt officio functi ſȩpius eum inquinarunt, quàm emacularunt. Sed in hac in primis concertatione innouandum dogmatum, ampliſſima propoſita eſt aduerſus eos pro Galeno ſcribendi materia. Alias etiam multas vias ſibi inuenient optima ingenia, quibus recte inſumãt tẽpus, quod ab artis operibus vacat. Verùm iam tempus eſt, vt ad morbos explicandos veniam, in quibus hoc ordine progrediar: primò Galeni ſententiam proponam: deinde aliorum opiniones, obiectiones, difficultates ab alijs propoſitas, & mihi ſuccurrentes diſcutiam: qua in re ſpero me conſecuturum, vt morborum doctrina à Galeno tradita tanquam aurum igne probatum emicet, atque eniteat. Quod iam Deo Optimo Maximo bene iuuante incipiamus.

INDEX CAPITVM VNIVERSI OPERIS.

LIBRI PRIMI.

Quomodo ſit morbus definiendus.cap.1. fol.1.
De partium corporis compoſitione ex Ariſt. & Galen.cap.2 2
De morborum generibus.cap.3 3
Quid ſit diathesis ex Fuchſio.& Fernelio. cap.4 4
Fuchſij,& Fernelij confutatio.cap.5 5
Ad Fuchſij rationes.cap.6 7
Cauſam morbi eſſe & ipſam qualitatem, non ſubſtantiam contra Fuchſium.cap.7 8
Argumentum Chriſtophori a Vega : Quod morbus qualitas non ſit, eiuſque confutatio.cap.8 11
Alterum Vegæ argumentum : Quod morbus non ſit qualitas, & eius confutatio.cap.9 12
Morbum eſſe ad aliquid etiam de ſententia Ariſt.cap.10 13
Morbum eſſe tam in prædicamento ad aliquid, quam qualitatis. cap.11. 14
Argumenta Thomæ Eraſti: Quod morbus non ſit relatio, & eorum confutatio.cap.12 15
Argenterij obiectiones aduerſus morbi definitionem ante traditam . cap.13 16
Ad primam obiectionem, diſpoſitionem eſſe verum genus huius definitionis.cap.14 17
Ad ſecundam , tertiam , & quartam , ſeruare Galenum antiquam ſignificationem diſpoſitionis. cap.15 18
Ad octauam dari morbos inſenſibiles , ſed ad medicum non pertinere . cap.16 19
Ad ſextam , cauſam morbi eſſe ad aliquid, & diſpoſitionem cap.17 21
Ad ſeptimam , recte dictum eſſe morbum primò lædere actiones , etiam ſi facultas actiones ſtatim præcedat, & ipſa primo lædi uideatur . capitu.18 21
Quid ad ſeptimam obiectionem reſpondeat Alexandrinus,& eius confutatio.cap.19 23

c Quo-

Quomodo reſpōdeat Fuchſius: quid iterum aduerſus Fuchſium afferat Argenterius: & quid ad Argenterium dicendum ſit. cap. 20. 24
Digreſſio aduerſus Valeriolam, qua demonſtratur facultatem non eſſe effectum temperamenti. cap. 21. 26
Valeriola probat facultates eſſe cauſas læſarum actionum, nec tamē eſſe morbos, eiusque opinionis confutatio. cap. 22. 27
Valeriolæ opinio, quod facultates non lędant primò, & per ſe actiones, eiusque confutatio. cap. 23. 28
Ad octauam, cauſam non poſſe lædere actiones primò. cap. 24. 29
Ad nonam, ſymptomata non lædere actiones primò ſine ui morbi. c. 25. 30
Ad decimam, non lędi actiones partis alicuius ſinè morbo, aut illius aut alterius partis. cap. 26. 33
Ad vndecimam, morbos non diſtingui inter ſe a læſione actionum, ſed a partibus ipſis. cap. 27. 34
Ad duodecimam, recte poſitum eſſe in definitione ſolum ſymptoma læſarum actionum. cap. 28. 34
Diſpoſitionem, non ſolum motus finem, ſed motum etiam quandoque in qualitate ſignificare. cap. 29. 35
Definitio Argenterij, eiusque refutatio. cap. 30. 35
Definitio Fernelij, & eius reiectio. cap. 31. 39
Definitionem morbi a Galeno traditam eſſe perfectam, atque optimam. cap. 32. 40

LIBRI SECVNDI.

DE ſubiectis miſtioni idoneis, & de nominibus quibuſdam. cap. 1. 42
Quomodo fit miſtio, & quid ſit. cap. 2. 34
De temperie. cap. 3. 44
Fernelij obiectio cōtra Auicennæ definitionem, eiusque refutatio. cap. 4. 45
Fernelij poſitio de temperatura, & confutatio. cap. 5. 46
De latitudine temperamenti, ac ſanitatis. cap. 6. 48
De morbo ex intemperie calida. cap. 7. 49
De morbis ex frigida, humida, & ſicca intemperie. cap. 8. 51
De intemperie compoſita. cap. 9. 52
Quomodo Argenterius demonſtrat ſexdecim morbos ex intēperie non eſſe morbos, ſed morborum cauſas: & Vegam cum eo ſentire. cap. 10. 53
Fuchſij reſponſio, & Eraſti argumenta. cap. 11. 53
Argenterij, & ſectatorum eius confutatio. cap. 12. 54
Argumenta eorum, qui ſtatuunt morbos ex intemperie pauciores eſſe, quā ſexdecim. cap. 13. 57
Confutatio obiectionum, & primo vltimæ, quæ deſtruit intemperiem calidam

dam,& humidam,& frigidam,& ſiccam,cap.14 58
Confutatio Auerrois,cap.15 59
De intemperie calida, & humida.cap.16 60
De intemperaturis calida & frigida, ac humida, & ſicca,an morbos conſtituant:& nunquid duo cōtraria in eodem ſubiecto eſſe ualeant.ca. 17.61
Fuchſij opinio, eius confutatio, & vera ſolutio.cap.18. 62
Quomodo ſit intelligendum corpora duobus ſimul affici contrarijs. capit. 19. 64
Quomodo medicamenta ex contrarijs facultatibus compoſita agunt in corpus ex Auerroi contra Galenum.cap.20. 65
Idem ſentire Galenum, quod ſenſit Auerroes.cap.21. 66
Cur Galenus aliter quandoque ſentire uſus ſit.cap.22. 67
Licet quiſpiam dolore ſimul,& voluptate afficiatur, non ideo ſequi duo ſimul eſſe contraria.cap.23. 68
De inæquali intemperie,ac primo de æquali,& inæquali abſolute.24. 69
Quid ſit intemperies æqualis,& inæqualis.cap.25 70
Quomodo fiant inæqualis, & æqualis intemperies: & quid ſenſerint Brachelius,& Fuchſius.cap.26. 71
Inequalem intemperiem eſſe,quæ inæqualiter corpus afficiat,& ſimplicem eſſe, non compoſitam ex duabus intemperaturis cōtra Fuchſium, & Brachelium.cap.27. 73
Quomodo fiat inæqualis intemperies, cap.28. 76
Quæ nam ſint inæquales intemperies, & an omnes morbi ſint. cap. 29. 77
Repugnantiæ in Galeno dum inæqualem intemperiem explicat, & conciliatio.cap.30. 79
An œdema ſit inæqualis intemperies.cap.31. 81
An morbi ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ ſint ſoli tumores præter naturam.cap.32. 82
Tumores præter naturam eſſe morbos tam inſtrumentalium, quam ſimilarium partium.cap.33. 85
In quo ſymptomatum genere tumor collocandus ſit.cap.34. 87
In morbis ex intemperie cum ſubſtantiæ affluxu,nunquid illa ſubſtantia ſit morbus,an cauſa morbi.cap.35. 87
Eorum opinio,qui ſtatuunt humores in tumoribus contentos eſſe morbos, non cauſas .cap.36. 89
Humores in tumoribus contentos ratione intemperiei partē eſſe morbi, ratione ſubſtantiæ materiam.cap.37. 92
Confutatio argumentorum, & locorum probātium humores in tumoribus contentos cauſam eſſe morbi continentem.ca.38. 94

INDEX
LIBRI TERTII.

DE morbis materiæ ex Fernelio, & Argenterio.cap.1 96
Quomodo Fuchſius hæc dogmata confutet, & quomodo Forliuienſis, eorumque reiectio.cap.3 98
Morbos materiæ a Fernelio uocatos aut morbos non eſſe, aut ad alios morbos a veteribus receptos referri: & primum de duro, & molli. cap.3 99
De laxo & aſtricto, craſſo & tenui, raro & denſo.cap.4. 99
De ſenſu acri.cap.5 100
An color ſit morbus: Fuchſij, & Alexandrini ſententia.cap.6 101
Difficultatum in colore ſolutio.cap.7 103
Ad rationes Fernelij pro morbis materiæ.cap.8 104
Ad primum argumentum, quo probat diuerſitatem materiæ a temperamento.cap.9 106
Ad ſecundum.cap.10 106
Ad authoritates Galeni, & exempla.cap.11 107
Ad argumenta ſumpta a cauſis, & a curatione.cap.12 108
De morbis formæ, ex Fernelio, & Argenterio.cap.13 109
Quomodo Fuchſius morbos formæ reijciat: & quomodo hallucinetur. cap.14 112
Nullum eſſe formæ, vel totius ſubſtantiæ morbum.cap.15 113
Rationes, quibus Fernelius, & Argenterius introducũt mobos formæ, nullam habere vim: vnde morbi omnes, quos enumerant, aut morbi non ſunt, aut morbi recepti ab omnibus.cap.16 113
Vlcera maligna non eſſe morbos formæ, cap.17 116
Putridinem non eſſe morbum totius ſubſtantiæ, ſed cauſam potius morborum.cap.18 117
Phthiſim morbum corruptæ formæ non eſſe.cap.19 119
Pulmonis, iecoris, lienis, aliarumque partium tam intimarum, quam extimarum putredinem morbum non eſſe.cap.20 120
Spiritus innati diſſolutionem non eſſe morbum totius ſubſtantiæ. capi.21. fol.121
Natiui caloris extinctionem non eſſe morbum totius ſubſtantiæ. capit.22. fol.122
De morbis peſtilentibus, ex Hippocrate, & Galeno.cap.23 123
Errores Fernelij in explicandis morbis peſtilentibus in 2. de Abditis Rerũ Cauſ.cap.xij. Cap.24 126
Febrem, carbunculum, & bubonem peſtilentem non eſſe morbos totius ſubſtantiæ.cap.25 131
Ex anthemata, ecthymata, & alios quoſdam morbos rariores non eſſe morbos formæ, cap.26 131

Contagioſos

Contagioſos morbos a cauſa abdita non eſſe morbos formę,cap.27 133
Venenum intra corpus genitum non parere morbos formæ.cap.28 135
Refutatio argumentorum Fernelij,cap.29 137
Ad argumenta Rondeletij,cap.30 139
Ad Eraſti argumenta,cap.31 143
Morbos alios ex veneno intus genito non eſſe morbos totius ſubſtantiæ. cap.32 146
Morbos ex veneno aſſumpto non eſſe totius ſubſtãtiæ morbos,cap.33 147
Obiectio pro morbis totius ſubſtantiæ,eiuſque refutatio,cap.34 149

LIBRI QVARTI.

Quot ſint morbi inſtrumentales cap.1 150
Quid ſit inſtrumentum:& quomodo eius actio celebretur,ac impediatur,cap.2 151
De morbis figuræ.cap.3 152
De morbis cauitatis,cap.4 154
Expoſitio capitis ſeptimi de Morb.Diff. qua de morbis cauitatum a Galeno agitur,cap.5 156
Dubitationes in morbis cauitatum,cap.6 158
De morbis leuitatis,& aſperitatis,cap.7 163
Dubia, cap.8 163
De morbis numeri,cap.9 164
Vnus,atque idem affectus morbus eſſe poteſt,& cauſa morbi:poteſt & duorum morborum,duarumque cauſarum rationem ſubire.cap.10 166
Defectum numeri eſſe morbum partium ſuperſtitum.cap.11 167
Obiectiones in morbis numeri redundantis.cap.12 167
Obiectionum ſolutiones,cap.13 168
Obiectiones in numero deficiente,cap.14 170
Dubitationes a regulis orientes, & ſolutiones: & primò an noxa partium vſum præbentium ſit morbus:& quomodo.cap.15 171
An morbus ſit partis ſuperſtitis,non autem abolitę.cap.16 172
De morbis magnitudinis.cap.17 173
Obiectio cõtra id quod ſtatutum eſt: in morbis quantitatis auctæ,aut immutæ ſeruari figuram naturalem.cap.18 173
An magnitudinis viriatæ,quædam ſit ſecundum naturam, quædam toto genere præter naturam.cap.19 174
Quomodo ſit capiendum,morbum ſolitas actiones vitiare.cap.20 176
Morbos numeri eſſe diſpoſitiones cap.21 177
Atrophiam ſymptoma,& morbum eſſe.cap.22 177
Loci difficilis ex octauo cap.De Differ.Morbor.enarratio. cap.23 177
Vera eius loci expoſitio.cap.24 178

Argenterij

Argenterij refutatio.cap.25. 179
Alia dubia ex eo loco: Et quando ſit morbus numeri tantum, quando numeri & magnitudinis.cap.26 180
De morbis compoſitionis.cap.27. 181
Morbos inſtrumentarios verè eſſe morbos, & qualitates cõtra Vegã, & Eraſtum.cap.28. 183
An alia ſint genera morborum inſtrumentalium præter quatuor cõmemorata.cap.29. 187
Cur ſub cõformatione Galenus complectatur figuram, cauitates, aſperitatẽ, & leuitatem.cap.30. 188
An partes ſimilares morbis inſtrumentalibus vexẽtur, & inſtrumentariæ ſimilaribus.cap.31. 189

LIBRI QVINTI.

De nomine, ac natura huius morbi.cap.1. 191
De cauſis ſoluentibus continuum, cap.2. 192
De partibus ſimilaribus, & primum de nomine.cap.3. 193
De natura, & eſſentia partium ſimilarium.cap.4. 194
De numero partium ſimilarium humani corporis ex Galeno. cap.5. 195
Difficultates in Galeno de partibus ſimilaribus. cap.6. 196
Argenterij ſoluto, & confutatio.cap.7 196
Fuchſij, & Chriſtophori à Vega reſponſio.cap.8 197
Vera ſolutio difficultatis.cap.9 199
Alia difficultas, eius ſolutio, cum explicatione loci obſcuriſſimi in Galeno. cap.10 200
De ſolutione ſimilarium, & primo oſſium, cap.11 201
De ſolutione continui in muſculis à tenſione, cap.12 203
De ſolutione continui a cauſa ſecante, & pungente, cap.13 204
De ſolutione a telo duro, & graui, cap.14 205
De carie, cap.15 206
De vlcere, cap.16 206
De ſolutione continui inſtrumentorum propria, cap.17 207
De acromio quędam, cap.18 209
Quando ſolutio continui ſit ſimilarium tantum, quando tam ſimilarium, quam inſtrumentalium ſimul. cap.19 211
Obiectiones Auerr. & Conciliat: Quod non ſit ſolutio continui in organicis.cap.20 213
Reſponſio Fernelij & confutatio.cap.21 213
Auerrois & Conciliatoris confutatio. cap.22 214
Solutionem continui eſſe cauſam morbi partium inſtrumentalium tantum ex Argent.cap.23 215
Iulij Alexandrini reſponſio ad Argenterium, & eius confutatio.cap.24. 217

Reſponſio

INDEX.

Reſponſio Fuchſij & confutatio.cap.25 218
Ex poſitis ac conceſſis ab Argenterio colligi ſolutionem continui eſſe morbum, & partium etiam ſimilarium, cap.26 219
Confutatio argumentorum Argenterij, cap.27 219
Prima Argenterij obiectio quod Galen.in enumerandis differentijs ſolutæ unionis varius, atque inconſtans ſit, eiuſque reiectio, cap.28 223
Ad obiectionem in nomine conuulſionis.cap.29 224
Ad obiectionem de apoſpaſmate, cap.30 225
Ad obiectionem de fractura, cap.31 226
Ad obiectionem de vlcere, cap.32 227
Ad obiectiones de ratione inueniendorum generum diſſolutarum vnionum.cap.33 228
Peroratio. 230

COMITIS MONTANI DE MORBIS

LIBER PRIMVS.

Quomodo ſit morbus definiendus. Cap. I.

ACTVRVS de morbis incipiam ad imitationem Galeni à definitione,vt inde morborum genera,& differentias inueniam,ac in definitione etiam explicanda eius præceptionibus inſiſtam , & conſuetudini : etenim cum duo ſint prima definitionum genera, alterum rei notionem, alterum naturã exponens:ac prioris virtus ſit,vt omnibus pateat,qui eadem lingua otuntur, & rei naturam non attingat,ideoq́; hac vtententes ſolùm rei nomẽ declarant,& propterea ab Ariſtotele nominis definitio uocatur:alterius,vt cum priore conſentiat,non tamen eadem cum ea ſit,Galenus 4.de Diff.pulſ.ca.2.iubet, vt ſemper incipiamus à notionis , vel nominis definitione,deinde ad alterã deueniamus,quæ,quid ſit res,declarat:& meritò ita eſt faciẽdum , quia notio ſumitur ab accidẽtibus,& proprietatibus longe notioribus,quàm ſit rei natura,atque eſſentia: vnde his cognitis in eſſentiæ cognitionem facilius penetramus: nam & Ariſtoteles,a quo ſunt hæc omnia deprompta, 1.de anima 11.accidentia plurimum afferre ait, ad cognoſcẽdum quid ſit res. Hæc methodus non ſolùm emanauit ab Ariſtotele,ſed ab eo ſemper ferè eſt,cùm quid definire, aut demõſtrare uellet,diligentiſſime obſeruata:proponit enim communes hominum notiones,ac ſi cum ijs naturam illam,quam quærit,cõſentientem inuenit,eam recipit:ſi ab iis diſſentientem , repudiat. Id fecit in primo Metaph.indagans quid ſit ſapientia: vnde Alex. in 8.commento ſic annotauit. Conſueuit in cunctis ſemper Ari-

ſtoteles aliqua demonſtraturus principijs vti cõibus, & naturalibus mortalium opinionibus: apponit deinceps multos locos, in quibus id fecerit. Hoc in primo de Gen.& Corr.frequẽtiſſimum eſt ei: ſed vnus tantum ſat mihi ſit locus ex lib.1. contex. 32. vbi veſtigaturus quid ſit augeri, vt commode id exequatur, multas profert communes notiones: unde Philoponus in hanc ferè ſententiam eum locum exponit. Aſſequemur quid ſit incrementum, ſi quæ ei ex communi inſunt notione, quæſiuerimus: ad hæc enim de eo intendenda eſt oratio: nam quæcunq; haud conſona ſunt ijs, quæ de eo ex communi notione dicuntur, haud verè de ipſo dicentur: principium verò demonſtrationis cuiuſcunq; ſunt communes notiones. Hoc fecit & in lib.de phyſico auditu, in tractatu de loco: nam de eo diſputaturus quæſiuit cõmunes eius notiones, vt quæ de eo traduntur, ſi his conſentiant, admittamus: ſin ſecus, reijciamus: & ſolutiones dubitationum de loco inde rectas eſſe demonſtrat, ſi cõmunibus eius quadrent notionibus.

Ac Galenus nõ diligẽs tantùm imitator, ſed interpres ẽt Ariſtotelis nullã aliam adhibuit in rerũ natura inueſtigãda methodum: ſic pulſus inuenit definitionem: ſic virtutis in 7.de Decr. Hipp. & Plat. ſic laſſitudinis in 3.de Tuen.Valetu.c.5. ſic optimæ corporis cõſtitutionis in proprij libelli c.2. vbi ſumptis duabus his cõibus notionibus optimæ corporis cõſtitutionis, altera, ꝙ validas, & robuſtas edat actiones: altera, ꝙ non facile deuincatur à cauſis morbificis, inuenit hũc eſſe bonum corporis habitũ, & deinceps hũc pendere ab optima partiũ conſimiliũ temperie, optimaq; earundem cõpoſitione in efformandis organicis. Si volumus itaq; morbũ rectè definire, notionẽ eius, quæ oĩbus perſpecta ſit, & cognita, proferamus, atq; ex hac ad morbi naturã ueniamus, ac demum ex notione, & rei natura definitionẽ cõnectamus, ſicuti fecit Gal. in lib de Diff.morb. ſtatim ab initio. Cum igitur morbi notio perſpecta oĩbus, adeoq; apparens eſſe debeat, apud Galenum autem primo Meth.c.4. duplex ſit apparens, alterum ſenſui, alterũ intellectui, ſumẽda eſt ea, quæ ſenſibus ſit apparens. Porrò hæc prõptius nobis ſeſe offeret, ſi ſimul q̃ ſit ſanitatis notio, cognouerimꝰ: quare ſi authore Galeno 1.Meth. c.5. oẽs hoĩs tũc putãt ſe eſſe ſanos, cùm actiones ad uitæ uſum neceſſarias obire poſſunt: proculdubio tunc ſe putant ægros, cum ab huiuſmodi actionibus obeundis prohibentur. Hinc definitiones notionis elicias, ſi dixeris,

ſanitatem eſſe integram actionum adminiſtrationem, uel cum Olympico naturalium actionum conſtantiam, & firmitudinem: morbum autem actionum impedimentum. Ex his definitionibus, quid nomen ſanitatis, & morbi apud omnes ſignificet, apparet: ſanitatis & morbi natura, atque eſſentia nondum apparet: at ex his definitionibus, & alio apparente intellectui, uera, & plena utriuſque eruitur definitio: cùm enim euidens, & teſtatum omnibus ſit, nihil fieri ſine cauſa, ſubit quærere, cur in illo ſint actionis expeditæ, in hoc impeditæ, & cauſa ſtatim ſeſe offert, quia ille corpus habet naturaliter diſpoſitum, vel affectum, uel cõſtitutũ: hic contra: atque hinc definitiones haſce colligemus. Sanitas eſt affectus, vel diſpoſitio, vel conſtitutio naturalis corporis, à qua integræ prodeunt actiones. Morbus eſt affectus, vel diſpoſitio, vel conſtitutio præter naturam impediens actiones. En quomodo conflatæ iam ſint definitiones, & notionem, & eſſentiam rei complectentes. At Methodici, veluti Theſſalus, Olympicus, Iulianus, & alij innumerabiles, quorum ſecta temporibus Galeni florebat, definientes ſanitatem, dicebant eam eſſe actionum firmitatem, morbum verò non actionum infirmitatem, ſed affectum quendã, vt recitat Galenus 1. Methodi, cap. 7. qua in re dupliciter errabant: nam primùm ſi ſanitas conſiſteret in actionum firmitate, ſequeretur hominem, cùm ſanus eſt, non eſſe ſanum: cum enim otio ſedat, aut dormit, ſanus dici haud poteſt, quia nihil agit: ſed nec cùm agit, ſanus eſſe poteſt, quia non ſemper partes omnes corporis agunt, cùm aliæ nunc agant, aliæ aliàs: quia partes, quæ non agunt, ſanæ non ſunt: non pendet ergo ab actionibus ſanitas, ſed à facultate apta ad agendum, quæ vel conſtitutio, uel diſpoſitio corporis eſt. Præterea medicus non curat actiones læſas, vt ait Galenus 2. Meth. cap. 1. ſed diſpoſitiones, quæ eas lædũt. Eſt igitur morbi natura in diſpoſitionibus, non in actionibus læſis. Errabant deinde, quia ſanitatem, & morbum, licet contraria ſint, non ponebant in eodem genere: par enim erat, ſi pertinaciter aſſerere volebant, ſanitatem eſſe actionum firmitatem, ut morbum actionum infirmitatem eſſe dicerent: aut ſi ſtatuebant omnino morbum eſſe affectum quendam, vt ſanitatem etiam in genere affectuum collocarent. Quamobrem omiſſa definitione illa ſæpe à Galeno exploſa, retineamus iam à nobis inuentam, qua vſus eſt Galenus in lib. de Diff. morb. quia apta erat ad inue-

Sanitas } quid.
Morbus }

nienda morborum genera. In hac tamen deeſt adhuc quippiam, quod ipſam facit redundantem: & plura complectentem, quàm morbo conueniat: quippe cùm cauſam etiam morbi complectatur: nam & ipſa eſt diſpoſitio præter naturam actiones lædens: addendum eſt igitur aliquid, quod morbum intra ſuos fines contineat, eumque à cauſa diſcriminet: & hanc etiam differentiam facilè inueniemus: cum enim cauſa morbi interuentu actiones lædat, & nunquam eas læderet, niſi morbum excitaret: morbus autem primò & per ſe lædat actiones, ſi definitionem ita tradas, morbus eſt diſpoſitio præter naturam lædens actiones primò, definitio erit plena, atque integra, & morbo ſoli propria atque accommodata, cum cauſam morbi ſecludat. Hanc adhibuit Gale. 1. de Diff. ſympt. cap. 1. vbi ad vnguem diſcuſſit diſcrimina inter morbum, cauſam, & ſymptomata, & propterea neceſſe habuit, plenam morbi definitionem tradere. Atq; hic incipio iam oſtendere, quod in ſecunda præfatione ſum pollicitus: non eſſe dandum vitio Galeno, ſi uariè uariis in locis eandem rem definiat, cũ id ualde faciat artificiosè: definitio enim morbi tradita in lib. de Diff. morb. apta eſt ad inueniendas differentias: plenam uerò tradidit in lib. de Diff. ſymptomatum, ut poſſet morbum, cauſam, & ſymptoma diſtinguere, quod erat ei propoſitum in eo libro.

Morbus quid.

De partium corporis compoſitione ex Ariſtotele, & Galeno. Cap. II.

CVM ſcribat Galenus primo Meth. cap. 3. & 5. ſpecies differentias rerum colligi ex definitionibus, ex morbi definitione iam explicata, facillimum erit inuenire, quot ſint morborum genera, vel ſpecies, uel differentiæ: etenim ſi morbus eſt corporis conſtitutio præter naturã, vbi nouerimus quotuplex ſit eius conſtitutio naturalis, in promptu erit, morborum numerum proferre, quod ſtatim patebit. Corporis conſtitutio exoritur à partibus, quæ corpus conſtituunt, & componunt: videndum eſt igitur quæ nam ſint partes componentes, & quotuplex ſit compoſitio. Sanè Ariſtoteles 2. de Par. an. c. 1. vtrunque ſimul docet, tres enim tradit compoſitiones, quas dilucidiſſimè explicat Auerr. in Paraphraſi.

Prima

Prima eſt quatuor elementorum terræ,aquæ,aeris, ignis, quæ fit ex materia prima,& quatuor primis qualitatibus: ſecunda eſt partium ſimilarium, quæ conflatur ex miſtione quatuor iam dictorum elementorum: tertia eſt partium diſſimilarium, ſiue organicarum, quæ ex connexione ſimilarium fit. Hæc Auerr. ex quibus patet, duo eſſe genera partium corpus humanum conſtituentium, alterum ſimularium, diſſimilarium alterum, tres verò eſſe compoſitiones: ſed ſi perpendas Ariſtotelis verba, huic expoſitioni in prima compoſitione non quadrant, in ſecunda & tertia ad vnguem quadrant; verba Ariſtotelis primam compoſitionem deſcribentia ſunt hæc. Cùm triplex ſit compoſitio,prima ſtatui, „ poteſt ea;quæ ex primordijs conficitur ijs, quæ nonnulli elemen- „ ta appellant,terram dico,aerem, aquam, ignem: ſed melius for- „ taſſe dici poteſt ex virtutibus confici elementorum. In his ver- „ bis tantùm abeſt, vt deſcribatur prima compoſitio elementorum ex materia prima, & quatuor primis qualitatibus, vt indicat Auerr. quòd potius deſcribitur compoſitio ex quatuor ipſis elementis,ſed adeo inepte, vt percipi non poſſit: ac tota difficultas oritur à mala verborum interpretatione, quàm ſi corrigas, ſenſus primæ compoſitionis erit facilis,& apertus, & Auerrois congruet expoſitioni. Sic igitur legas. Cùm triplex ſit compoſi- „ tio,prima ſtatuatur terræ,aeris, aquæ, ignis ex iis,quæ à nonnul- „ lis vocantur elementa: ſed rectius fortaſſe fuerit ex facultatibus „ dicere, iisq́; non omnibus, &c. His ita emendatis, patet hic de- „ ſcribi compoſitionem terræ,aeris, aquæ,ignis,quæ fit ex ĳs, quæ à nonnullis vocantur elementa. Dices,quæ ſunt hæc,quæ uocantur elementa? nonne terra,aer,ignis,aqua ſunt, & uocantur elementa ipſa? reſpondeo primas contrarietates caliditatem, frigiditatem,humiditatem,ſiccitatem eſſe, & vocari elementa ab ipſo Ariſtotele: & ex harum coniugatione conſtitui quatuor prima, & ſimplicia corpora terram,aquam,aerem,ignem,vt latius docet 2.de Gen.& Corr.16.& ſequentibus:quoniam verò quatuor hæc prima corpora & ſunt, & vocantur elementa, vnde videtur aſſerere elementa componi ex elementis,vt tollat hanc ambiguitatem,ſeſe corrigit,& ait,rectius eſſe fortaſſe, ſi primas contrarietates non elementa,ſed facultates appellet. Hoc pacto totus ille locus verus eſt,planus, & perſpicuus in quo ſuperuacaneum viſum eſt mihi huc afferre codicem Græcum: nam qui Græce haud

ſciunt, Græca verba non percipient; qui ſciunt, videbunt in fonte recte me hunc locū eſſe interpretatum, & virum grauiſſimum, ac doctiſſimum Theodorum eſſe hallucinatum. Eſt igitur triplex apud Ariſtotelem compoſitio, prima quatuor ſimplicium corporum, quæ elementa uocamus, ex quatuor primis qualitatibus, ſubintellecta ſemper materia prima: ſecunda partium ſimilarium corporis ex quatuor illis primis elementis; tertia organicarum partium ex ſimilaribus. Hæc ex Ariſtotele. At Galenus in libello, Quod optimus medicus, optimus etiā ſit philoſophus, in lib. de Diff. morb. cap. 3. & in 6. de Tuen. Valetud. 9. triplicem affert & ipſe compoſitionem: primam ſimilarium partiū ex quatuor elementis, ſecundam diſſimilarium, vel inſtrumentalium ex ſimilaribus: tertiam totius corporis ex inſtrumentalibus: nec vllum eſt inter hos authores diſſidium, licet Galenus prætermittat primam Ariſtotelis compoſitionem, & Ariſtoteles Galeni vltimam; vterque enim eas adhibuit, quæ erant proprio inſtituto accommodatæ. Ariſtoteles tanquam phyſicus deuenit uſque ad materiam primam, primaſque qualitates, quæ non cadunt ſub medici conſiderationem: omiſit vltimam Galeni, quia ſatis habuit partium tam ſimilarium, quàm diſſimilarium naturam, & compoſitionem explicaſſe, hoc enim erat ei propoſitum: Galenus tanquam medicus eas tantùm expoſuit, quæ ſub ſenſum ueniunt, morbis obnoxiæ ſunt, & medici opera egent.

De Morborum generibus. Cap. III.

EX iam dictis liquet, corpus totum ex partibus diſſimilaribus, ſiue organicis, ſiue inſtrumentalibus componi, inſtrumentales ex ſimplicibus, & ſimilaribus, ſimplices ex quatuor elementis, quo fit, corporis ſanitatem, & morbum pendere à conſtitutione, & diſpoſitione harum partium. Vt itaque à ſimplicibus, & ſimilaribus incipiamus, earum conſtitutio exoritur à miſtione, & temperamento quatuor elementorum: cum enim vnaquæque particula ex certa quadam portione elementorum ſit conſtituta, ac inde propriam, ac peculiarem temperiem ſortiatur, vnde aliæ temperatæ, aliæ calidæ, aliæ frigidæ, aliæ humidæ, aliæ ſiccæ, & aliæ gemina qualitate præditæ ſunt: atque id quatuor modis, ſi natu-

ralem eam temperiem intra limites naturales vnaquæque contineat, particulæ hæ ſanitate fruuntur, quæ eſt ſymmetria, & proportio quatuor primarum qualitatum: ſed ſi ſymmetria hæc diſſoluatur, ita vt noxa actionibus inferatur, hic iam morbus eſt, qui exceſſu primarum fit qualitatum, quæ natiuam illam temperiem vitiant, vnde & morbus dicitur intemperies: quot autem ſunt qualitates, tot eſſe poſſunt intemperies: vnde quatuor erunt calida, frigida, humida, ſicca; & quia ſæpe duæ qualitates ſolent excedere, aliæ quatuor erunt intemperies compoſitæ, calida & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca: atque hactenus habemus octo morbos ex intemperie, quibus partes ſimilares vexantur. Quoniam verò hæ particulæ interdum ſolis qualitatibus alterantur; interdum fluit ad eas ſubſtantia quædam qualitatibus illis affecta, hinc alij octo oriuntur morbi ex intemperie cum ſubſtantiæ affluxu, quales ſunt tumores omnes præter naturam. Hactenus inuenimus primum morborum genus, propriũ partibus ſimilaribus, cuius ſexdecim ſunt vel ſpecies, vel differentiæ, de quibus ſuo loco fuſius diſputabimus. Nunc inſtrumentalium morbos colligamus: & ſanè cùm inſtrumentales ex ſimplicibus componantur, ex hac compoſitione oritur earum ſanitas, & morbus: ſi recta eſt compoſitio, ſanæ ſunt inſtrumentales partes: ſi vitiata, morbo laborant, qui ex mala compoſitione vocatur ab Auicenna, & à Galeno etiam, vt uidebimus ſuo loco: proinde ſecundi morbi genus in mala eſt compoſitione, cuius ſpecies, & differentias facilè indagabimus, ſi quot concurrant ad rectam compoſitionem, inuenerimus. Cùm itaque inſtrumentariæ partes componantur ex ſimilaribus, vt recta euadat compoſitio, ſimilares probè eſſe conformatas, decenti magnitudine præditas, numero conuenienti, atque apte inter ſe collocatas neceſſe eſt: conformatio tria complectitur, figuram, cauitatem, & ſuperficiem: collocatio duo, ſitum, & connexum: cùm hæc omnia vitiari poſſint, patet tot eſſe poſſe ſpecies, vel differentias morborum partium inſtrumentalium. vnde indecens figura, cauitas vel nimis aſtricta, vel nimis patens, ſuperficies aut aſpera, aut lenis præter modũ, aucta & diminuta magnitudo, numerus maior vel minor, mutatus ſitus, & connexus vitiatus erunt differentiæ huius ſecundi generis. Inuenimus hactenus duo genera morborum, alterum ſimilaribus proprium, organicis alterũ. At cùm

partes vtræque communi quadam participent cōſtitutione,quæ ſi proba ſit,ſanæ ſint,ſi improba,ægræ, ab hac oritur tertiū morborum genus vtrique partium generi commune:conſtitutio hæc eſt vnio, & continuitas partium, quæ cùm diſſoluitur, actiones partium læduntur: & ideo morbus eſt ex ſoluta uel vnione, uel continuitate ſimilaribus, & inſtrumentalibus communis. Morbos hoſce ſummatim expoſui, latius poſtea vnumquenque explicaturus; quia neceſſaria erat rudis quædam eorum adumbratio ad enodandas difficultates,quæ ex definitione tradita emergunt, vt taceam non fuiſſe ab re, poſuiſſe ante oculos quoddam quaſi exemplar totius tractationis noſtræ. Sic enim qui legent, & facilius quæ legent,intelligent; & fidelius memoriæ commendabūt.

Quid ſit diatheſis ex Fuchſio, & Fernelio. Cap. IIII.

TRADITA definitione, atque ex ea inuentis morborum generibus, par eſt, vt eam diſcutiamus, cùm multis ſcateat difficultatibus. Et quoniam ex genere, & differentijs conſtat, ſicuti cæteræ definitiones, à genere incipiamus. Genus in hac definitione erat conſtitutio, uel ſtructura, uel diſpoſitio, quam diatheſim uocant Græci: & quia Galenus morbos plerunque hoc nomine vocat, nos de hac primùm diſputabimus. Diatheſim igitur, quam nonnulli affectum interpretantur,Boethius nunc diſpoſitionem,nūc affectionem, Leonicenus diſpoſitionem, eſſe genus in hac definitione,conſtat: quare cùm diſpoſitio,& habitus ſint prima qualitatis ſpecies, videtur morbus in prima qualitatis ſpecie eſſe debere, ſic etiam ſtatuente Ariſtotele.

At Fuchſius in Comment. ſuis in libros Gale. de Morbis, & Sympt.& in 3.Inſtit.cap.1. negat morbum eſſe eo modo, quo vſurpat Ariſtoteles diſpoſitionem: & ratio eſt, quia,ſi diſpoſitio ſumeretur,vt ab Ariſtotele ſumitur, cùm qualitas ſit, omnes morbi qualitates eſſent, quod falſum eſt: nam ſi percurramus omnes morborum differentias, videbimus non omnes qualitates, ſed quamplures ſubſtantias eſſe: in morbis primùm ex intemperie, cùm quidam ſint cum affluxu ſubſtantiæ,proculdubio omnes hi

ſunt

ſunt ſubſtantiæ: inflammationes namque, & reliqui tumores cùm ab humoribus excitentur, ſubſtantiæ ſunt, quia humores ipſi ſunt ſubſtantiæ: cùm enim vera inflammatio conſtituatur ex ſanguinis affluxu, ſanguinem quis aſſerat qualitatem eſſe, & non ſubſtantiam? ac cùm intemperies hæc à medicis barbaris materialis vocetur ſi materialis, quomodo qualitas? In morbis etiam partium inſtrumentalium multi ſunt morbi, qui ſubſtantiæ ſunt: veluti morbi cauitatum obſtructarum: humor enim qui obſtruit, ſubſtantia eſt, & morbum conſtituit: morbi in numero veluti calculus, lumbrici, pterygium, ſextus digitus, & conſimiles citra controuerſiam ſubſtantiæ ſunt: aucta etiam magnitudo nihil eſt aliud, quàm ſubſtantia: nam ſi intemperies cum humorum affluxu eſt ſubſtantiæ morbus propter humores, non minus ſubſtātiæ eſſe debent tumores, quando adeo increuerunt, vt actiones lædant: & molem illam Nicomachi Smyrnæi, qui adeo toto corpore creuerat, vt ſe dimouere nō poſſet, quis accidens, & nō ſubſtantiam eſſe diceret? Idem demonſtrat etiam à cauſis morborum: cùm enim Galen. & in lib. de Diff. Sympt. cap. 1. & 2. Method. cap. 3. cauſam morbi diatheſim eſſe pronuntiet, qualitatem, & accidens non poteſt intelligere, ſiquidem cauſa morbi plerunque ſubſtantia eſt, vt in illis morbis apertum eſt, qui a plenitudine trahunt originem, & quòd Galenus diſpoſitionem aliter, ac Ariſtoteles ceperit, patet, quia morbum non ſolùm diſpoſitionem præter naturā eſſe ait, ſed conſtitutionē etiā, & ſtructuram, quam κατασκευὴν vocat. Manus dedit his argumentis Fernel. & Fuchſium ſecutus eſt 1. Pathologiæ cap. 1. Id tamen inter eos eſt diſcriminis, quod Fuchſius morbos omnes vult eſſe aut ſubſtantias, aut qualitates, vnde morbos cauitatum, numeri, & magnitudinis, ſubſtantias eſſe ſtatuit, qua in re magna profecto viſus eſt oſcitantia: nec. n. aduertit, ſe à Galeno, quem ſemper tueri nititur, immo verò à ſe ipſo diſſentire, cùm morbos numeri, magnitudinis, aliosq; de medio tollat, qui à Gale. apertiſſimè, & ab ipſomet Fuchſio alibi recipiuntur: at Fernel: cautius agit, qui locum relinquit ſuum etiam morbis iſtis, vt ex eius verbis patet, quæ ſic habent. Quæ Græcis eſt διάθεσις, affectus nobis ,,
appellatur, non ea quidem præciſa, argutaque ſignificatione, ,,
quam Ariſt. vſurpauit, ſed admodum ampla, & multiplici ver- ,,
bi poteſtate, quæ omnem corporis conſtitutionem contineat, ,,

ſiue

,, ſiue in ſubſtantia, ſiue in qualitate, & temperamento, ſiue in
,, conformatione & figura, ſiue in magnitudine, ſiue in numero
,, ea conſiſtat. His verbis patet morbum non in genere tantùm qualitatis & ſubſtantiæ, vt ſtatuit Fuchſius, ſed in alijs etiam ab eo collocari, atque huius ſententiæ videtur eſſe & Galenus, cùm primo de Differen. morborum cap. octauo morbos numeri, & magnitudinis apertiſſime pronũtiet in prædicamento eſſe quantitatis. Et Auerr. 3. Collec. cap. 13. in multis prædicamentis morbos collocat: quare ſi morbus eſt diſpoſitio, non eſt diſpoſitio capienda, vt cepit Ariſt. pro qualitate, ſed latius vt ad alia ſeſe extendit prædicamenta. Ac licèt Fuchſius aſſerat barbaros medicos errare morbum eſſe qualitatem aſſeuerantes: Turiſſanus tamen vnus ex primis barbarorum medicorum in tertio Art. med. comm. 59. affirmat non omnem ægritudinem eſſe in prima ſpecie qualitatis, nec omnino in qualitate.

Fuchſij, & Fernelij confutatio. Cap. V.

SOLENT reliqui in rebus ambiguis, atq; obſcuris ſæpe offendere, at duo iſti viri celebres in re facili, & aperta adeo cæcutiunt, nihil vt videant: tam enim planum eſt ex verbis Gal. vſurpari ab eo diſpoſitionem, ſicuti ab Ariſtotele vſurpatur, vt qui id non intelligat, nihil aliud poſſit intelligere. Galenus ſanè lib. de Diff. ſymptom. cap. 1. cùm dixiſſet morbum eſſe conſtitutionem præter naturam, addidiſſetque, nihil referre ſiue conſtitutionem, ſiue diſpoſitionem dicas, ſtatim reddit rationem, cur ſanitas, morbus, & media conſtitutio dicantur diſpoſitiones, & eandem reddit rationem, quam Ariſto
,, teles, & ijſdem verbis: ἕκαστον inquit, τῶν ὄντων διάκειταί πως εἴτε ὑγιεινόν,
,, ἄντε νοσῶδες, ἄντε μηδέτερον ὑπάρχει, παρὰ δὲ τὸ διακεῖσθαι πῶς τὸ τῆς διαθέσεως
,, γέγονεν. Nonne & Ariſtoteles, cùm cauſam redderet, cur ſanitas, & morbus diſpoſitiones ſint, dicebat: διάκειται μὲν γὰρ πῶς
,, κατὰ ταῦτας ὁ ἄνθρωπος? ſanitatem, & morbum dici, & eſſe diſpoſitiones ideo aſſerunt tam Galenus, quàm Ariſtote. quia homo per illa quodammodo diſponatur, & 2. Meth. cap. 3. ait: πᾶν τὸ
,, ὁπωσοῦν ἔχον ἔν τινι πάντως ἐστὶ διαθέσει: licèt hinc pateat, Galenum idem penitus ſentire, quod Ariſtoteles, liquidius tamen patebit,

ſi quomodo

ſi quomodo fiat diſpoſitio ex Galeno audiemus, qui paulo poſt adductum locum, & 2. de Hum. com. 26. à paſſione diſpoſitionem ait oriri, quia paſſio, quam πάθος, & πάθημα uocat, propriè ſumpta eſt motus: diſpoſitio verò eſt terminus motus, ceſſatio à motu, res facta & permanens. Ait igitur ſic:
καθόλου τὸ διατίθεσθαί πως ταυτὸ των πάχειν ἐστὶ, καὶ διήνεγκε τῆς διαθέσεως τὸ ,,
πάθημα κινήσει, παυσαμένου γὰρ τοῦ ἀλλοιοῦντος ἡ περὶ τὸ παθὸν ἀλλοίωσις ὑπομένουσα ,,
διάθεσις ἐστὶ τοῦ παθόντος, ὥστε ἐν αὐτῷ μὲν τῷ τρέπεσθαι, καὶ μεταβάλλεσθαι, καὶ ἀλ- ,,
λοιοῦσθαι, καὶ κινεῖσθαι τὸ πάθος ἔχειν τὴν γένεσιν, ἐν δὲ τῷ μένοντι, καὶ σοζωμένῳ ,,
περὶ τὸ ὑποκείμενον σῶμα, τὴν διάθεσιν. Fuchſius ſic conuertit eum locum: ,,
Summatim diſponi quodam modo idem eſt, quod pati. Et dif- ,,
fert pathema a diſpoſitione motu. Ceſſante namq; eo, qđ alterat ,,
alteratio quæ in eo, quod perpeſſum eſt, permanet, eius, quod ,,
perpeſſum eſt, diſpoſitio eſt: proinde in ipſa conuerſione, mu- ,,
tatione, alteratione, ac motione pathos generationem obti- ,,
net: in eo autem quod manet, & quod ſeruatur in ſubiecto cor- ,,
pore, diſpoſitio conſiſtit. In adducendis his uerbis, vbi Fuch- ,,
ſius affectum habet, diſpoſitionem poſui, & ponam in iis, quæ poſtea citabo ex eius expoſitione. Ex hoc Galeni loco habemus diſpoſitionem fieri ex paſſione, primam uidelicet qualitatis ſpeciem ex tertia: quòd omnes prædicamentorum expoſitores annotarunt, & præſertim Simplicius, qui paſſionem & patibilem qualitatem in motu, & alteratione collocat: diſpoſitionem verò finem, terminum motus, & tandem formam ipſam prouenientem poſt paſſionem, & patibilem qualitatem eſſe ſtatuit. Et Boethius amplificata, inquit, paſſio in affectionem tranſit, augmentata affectio in habitum permutatur. Si Galenus eandem reddit rationem, cur ſanitas, & morbus diſpoſitiones dicantur, quam Ariſtoteles: & Ariſt. affirmat diſpoſitionem eſſe qualitatem, certum eſt in eadem ſententia eſſe & Gale. Si Galenus iiſdem ferè uerbis, quibus optimi Ariſtotelis expoſitores idem eſſe diſpoſitionem, quod paſſionem, & in eo tantum diſcrepare affirmat, quòd paſſio ſit in motu, atque alteratione, diſpoſitio in fine motus & alterationis, & paſſio qualitas eſt, nonne neceſſario euincitur, diſpoſitionem etiam eſſe qualitatem? mirum ſanè eſt Fuchſium, eum locum elegantiſſimè interpretari, & exponere, ac poſt longam, & luculentam expoſitionem ſic colligere: differunt itaque diſpoſitio, & pathema inter ſe tanquam

quam finis à medio, perfectum ab imperfecto, ſtabile ab inſtabili: mirum eſt, inquam, cur haud procul ab eo loco contendat, diſpoſitionem apud Galenum non eſſe qualitatem, & aliter capi, quàm ab Ariſtotele capiatur: mirum eſt quin etiam, eum adeo cæcutire, ut diſpoſitionem alterationem ſtabilem, & permanentem eſſe velit, deinde afferat, ſubſtantias eſſe diſpoſitiones: nec minus mirum eſt, Fernelium poſt locum adductum aſſerere diſpoſitionem a paſſione proficiſci, & eſſe quaſi quoddam eius impreſſum veſtigium, attamen ſtatuiſſe diſpoſitionem non eſſe qualitatem. Impulere quidem in fraudem iſtos celebres uiros rationes præpoſitæ, quæ morbum non eſſe qualitatem tantùm attexunt. Atqui eorum poſitio rationes illas non declinat: quid enim ſe conſecutos putant, cùm diſpoſitionem in ſtructuram, uel conſtitutionem immutarunt? Sequitur ne ex hac transformatione morbum in multis eſſe poſſe prædicamentis? negamus, inquiunt, diſpoſitionem ſignificare qualitatem propter eos morbos, qui qualitates non ſunt, & ſtatuimus ſignificare conſtitutionem, & ſtructuram: at quæro ego de uobis, hæc conſtitutio, vel ſtructura eſt ne qualitas, an quid eſt? nam ſi res eſt ſubſiſtens, & non fictitia, ut in aliquo prædicamento ſit, neceſſe eſt: ſi qualitatem eſſe reſpondeatis, hæremus adhuc in uado, quia non pertinebit ad morbos eos, qui qualitates non ſunt: ſi negabitis eſſe qualitatem, in eodem verſamur luto, quia non complectetur morbos ex intẽperie, & alios, qui qualitates ſunt: quare hæc uox ex nullo prædicamentorum eſſe poteſt, quia in quocunque ſit ex prædicamentis, excludit morbos aliorum prædicamentorum. Hoc autem eſt abſonum, cùm quidquid reuera ſit, in aliquo prædicamento ſit. Turiſanus longe oculatior, & exercitatior in dialectica, & philoſophia, quàm elegantes iſti medici, vt poſitionem ſuam defenderet, quod non omnis morbus ſit in prima ſpecie qualitatis, immo verò nec in qualitate, duobus modis declinauit incommoda nunc contra Fuchſium, & Fernelium prolata: ac, vt eius ſententia facilius percipiatur, ſciendum eſt, vbi Galenus habet morbum eſſe diſpoſitionem, uel ſtructuram, uel conſtitutionem barbaram translationem, quam Turiſanus ſequitur, harum uocum loco habere compoſitionem. Primo itaque modo ſic reſpondet: Compoſitio eſt vnio, vnum non eſt in genere, ſed genera tranſcendit, ſicuti ens: quare de

generibus

generibus omnibus dici poteſt; unde licèt morbus in diuerſis ſit generibus, compoſitio tamē dicitur. Hæc prima eius reſponſio: altera verò ſic: compoſitio eſt ſitus quidam, quare omnis ægritudo erit in prædicamento ſitus. Secunda hæc reſponſio falſa eſt apertiſſimè, cùm multi ſint morbi, qui qualitates ſunt citra controuerſiam: quare ſub prædicamento ſitus collocari non poſsūt. Prima reſponſio multas habet ruinas, primùm enim commutauit Galeni uocem, ſiue ipſe, ſiue barbarus interpres, à quo deceptus eſt: deinde eam uocem extorſit, cùm pro compoſitione, vnitatem acceperit, poſtremò ſtatuit morbum, & ſanitatem, res eſſe vagas, & confuſas, cùm ſub certo aliquo genere nō ſint, & potius res cogitatione fictæ, quam reuera ſubſiſtentes, ac tādem ſi morbus eſt vnum, quod cum ente conuertitur, prædicabitur de omnibus: vnde omnia morbo affecta eſſe dicentur. Quare Turiſan. vt vnum euitaret incommodum, plura alia ſubiuit. Conſtitutum itaque ſit, Galenum eodem modo vſurpare vocem diſpoſitionis, quo vſurpauit Ariſtoteles: vnde cùm diſpoſitio ſit prima qualitatis ſpecies, & verum ſit genus in morbi definitione, morbus omnis erit in prima qualitatis ſpecie, non in ſubſtantia, non in quantitate, non in alio denique genere. Quod ſi concedam Galenum ab Ariſtotele receſſiſſe, & diſpoſitionem aliter accepiſſe, neceſſariò ſequetur, Ariſtot. in errore uerſari, qui morbum & ſanitatem diſpoſitiones eſſe affirmat, & diſpoſitionem in prima ſpecie qualitatis collocat. At hoc non ita temere pronunciandum eſt de tanto viro.

Diſpoſitio ē uerū genus morbi. Morbus oīs ē in prima qualitatis ſpe.

Ad Fuchſij rationes. Cap. VI.

CVM viderimus morbos omnes eſſe qualitates, reſtat vt rationes refellamus, quæ Fuchſium, Fernelium, & alios deceperunt: quod vt commodius faciamus, ſupponendū eſt ex Simplicio in explicatione quartæ ſpeciei qualitatis, qualitatem, licèt ſit genus per ſe ab aliis nouem ſeparatum, latè tamen ſe fundere, & reliqua omnia genera occupare. non longe abieris: in ſubſtantia extat qualitas, quæ naturā ſubſtantiæ refert, quare nec ipſa à ſubſtantia ſeiungi poteſt, nec ſubſtantia ab ipſa, veluti humanitas in homine, equeitas in equo, corporeitas in corpore, & conſimiles aliæ. In quantitate etiam quali

tas reſidet,rectitudo enim, & curuitas ſunt lineæ qualitates, planicies eſt ſuperficiei qualitas,linea autem & ſuperficies quantitates ſunt.Eſt & in numero, nam ex numeris alij ſunt triangulares, alij quadrangulares : hæ autem ſunt qualitates : nec in aliis ſolùm generibus qualitas viſitur, ſed in ipſa etiam qualitate : qualitatum enim ſunt qualitates,veluti coloris congregatio,& diſgregatio. Præterea in iis, quæ ad aliquid, locum habet: σχέσις enim quam Boethius habitudinem uocat, eſt qualitas dupli ad dimidium,patris ad filium, & reliquorum conſimilium. Eſt in Vbi, dicimus.n.aliquē locum aeris eſſe tēperati, alium intemperati. Eſt in Quando, veluti occaſio, & opportunitas. In Facere, & Pati, ueluti agibiles, & patibiles qualitates. In Situ, veluti recte eſſe collocatum, & ſecus. In Habere demum, uti recte eſſe circumiectum, & cætera. His ſuppoſitis facile diluuntur argumenta illa, quæ multos morbos ſubſtantias eſſe Fuchſio, Fernelio autem quantitates etiam, & alia genera eſſe perſuadebant: dicendum enim eſt morbos illos omnes eſſe qualitates præter naturam,ſed ex his qualitatibus alias eſſe ſubſtantiæ, alias quantitatis, alias numeri, alias ſitus: vnde ab intemperie cum ſubſtantiæ affluxu incipiendo, cùm aiunt morbum eſſe in genere ſubſtantiæ, quia ſanguis & reliqui humores ſubſtantiæ ſunt, vt concedam humores eſſe de morbi eſſentia, quod tamen controuerſum eſt, & loco ſuo diſcutiendum : dicam, non humores eſſe morbum, ſed potius malas humorum qualitates, quibus partes ipſæ laborantes afficiuntur. In obſtructionibus etiam morbus eſt qualitas præter naturam cauitatum ab humoribus obſeſſarum, ut latius ſuis demonſtrabitur locis. In figura non uidetur aliquid eſſe dubij, cùm & ipſa qualitas, quia tamen eſt quarta qualitatis ſpecies,& diſpoſitio eſt prima ſpecies : dicendum eſt figuræ morbos eſſe qualitas primæ ſpeciei, quia non ipſa figura morbus eſt, ſed figuræ vitium. veluti rectitudo, curuitas, & aliæ conſimiles in illis membris,in quibus eſſe non debent: iſtæ autem proculdubio ſunt diſpoſitiones,atque hoc euidenter demonſtrauit etiam D. Thomas in 1. 2. q.49. Artic.2. in reſponſione ad primā obiectionem. Idem dixeris de morbis in ſuperficie, non eſſe illos morbos ſubſtantiæ, aut quātitatis, quia ſuperficies ipſa non eſt morbus,ſed mala ſuperficiei qualitas; Morbus quin etiam in quantitate aucta aut diminuta, non quantitas eſt, ſed

diſpoſitio præter naturam quantitatis. Nec numerum, nec ſitum, aut ſocietatem; ſed numeri, ſitus, ac ſocietatis diſpoſitiones, quæ primæ ſint qualitatis ſpecies, morbos dixeris. Hæc curſim tranſegimus. In propria verò vniuſcuiuſque morbi explicatione rem ita ſe habere demonſtrabimus. Ex his unuſquiſque loco Galeni,& Auerrois facile ex ſe reſpondere poterit: quare ad aliud argumentum Fuchſij à cauſis morbi depromptum tranſeamus.

Cauſam morbi eſſe, & ipſam qualitatem non ſubſtantiam contra Fuchſium. Cap. VII.

ERAT aliud Fuchſij argumentum, cauſam morbi vocari à Galeno paſſim diſpoſitionem, & ideo aliter capi, hanc uocem, quam capiatur ab Ariſtotele, nam ſubſtantiam etiam complectitur: ac (ut alias multas cauſas omittam) humores cauſæ ſunt omnium ferè morborum: humores ſunt ſubſtantiæ: ergo nomen diſpoſitionis, ſubſtantiam complectitur. Poſſumus reſpondere nomen diſpoſitionis non vſurpari in cauſa proprie, ſicuti uſurpatur in morbo. Sed hæc reſponſio non quadrat, quia Gal. eadem ratione innuit morbum eſſe diſpoſitionem, qua cauſam morbi, & genus quoddam ſymptomatum: quare reſpondendum eſt, vt reſpondet Thadeus Florentinus in Ioannitium cap. 40. his uerbis: Omnis cauſa eſt in corporea, quia omnis cauſa eſt qualitas, quod ſi opponas de lapide renum, aut de cultello percutiente. Reſpondeo, licèt illa lædentia ſint corporea, tamen lædunt à qualitate, quam in ſe habent, vt cultellus, quia acutus eſt, & lapis, quia quantus, & angulatus, & quadratus: atque hæc à Thadeo rectè aſſeruntur. Cùm enim cauſæ agant, & actiones prodeant non a corpore, ſed à forma, certum eſt, cùm humores morbum pariunt, non id ſua mole & corpore efficere, ſed forma, vel de Peripateticorum ſententia, quorum Princeps Alexand. in 1. de Anima elegantiſſime illud protulit. Non ab re dicitur pati, & agere corpora per ea, quæ incorporea ſunt. Si igitur actiones proueniunt à formis, & formæ nullæ aliæ à medicis conſiderantur, quàm ſenſui ſubiectæ, quæ omnes ſunt accidentia:

patet

patet cauſas eſſe accidentia: & quoniam ex accidentibus qualitates ſunt, quæ vtplurimum agant, ſequitur, cùm cauſæ uocantur diſpoſitiones a Gale. eum imitari Ariſtotelem ſumendo diſpoſitionem pro qualitate.

At verò dicat aliquis, Gale. in lib. de Sympt. Diff. ante citato nō ſolùm efficientem cauſam, ſed reliquas etiam omnes concurrere ad morbi generationem pronunciat: verba eius ſunt hæc: „ Quod ex ſua natura ei, quod fit, partem aliquam generationis „ confert, cauſa ipſius dicitur. Porrò huius multa ſunt genera, na- „ tura, & materia, & vtilitas, & ſcopus, & inſtrumentum. Et vnde „ motus initium, ſingula enim horum, ei, quod fit, perfectionis aliquid conferunt. Quare quælibet cauſa nomine diſpoſitionis comprehenditur: at cauſa materialis, atque inſtrumentalis ſubſtantiæ ſunt: ergo diſpoſitio ſubſtantias etiam comprehendit. Reſpondeo, Galenum ibi loqui non de cauſis morborum tantùm, ſed in vniuerſum de cauſis omnium rerum: quare tunc non ait cauſas diſpoſitiones eſſe, ſed cùm loquitur eodem in loco de cauſis proprijs morborum, diſpoſitiones eas eſſe ait: uel dicas materiam non eſſe cauſam morbi, quatenus eſt ſubſtantia, ſed quatenus mala aliqua qualitate prædita. Sed inſtabis iterum, humores ſunt morborum cauſæ, cùm quantitate aut qualitate peccant, ſi eorum qualitas morbum efficiat, concedo eſſe diſpoſitionem: at ſi quantitas, proculdubio diſpoſitio dici non poteſt: vnde & Gale. 11. Meth. cap. 13. multitudinem ipſam ex eorum numero eſſe ait, quæ ſunt ad aliquid in prædicamento quantitatis. non ergo qualitas, quare ſequitur, diſpoſitionem non ſemper eſſe qualitatem. Reſpondeo, etiam ſi quantitate peccet, agere tamen non quantitate, ſed qualitate: nam aggrauat, comprimit, extendit: vnde cùm duo ſint genera plenitudinis, altera vaſorum altera virium, huius ſignum ſolet eſſe grauitas, illius tenſio. Sed hæc fuſius & plenius tunc explicabuntur, cùm de cauſis agemus.

Ad locum ex 11. Methodi cap. 13. ubi aſſerit multitudinem eſſe in quantitatis prædicamento, dicas non eſſe hunc Galeni ſenſum, ſed eum, multitudinem licèt appellatione videatur eſſe quantitas, reuera tamen eſt ad aliquid, & quod interpres habet prædicamentum, græcus codex habet προσηγορίαν. Quod autem multum & parum ſint ad aliquid, patet ex Ariſtotele, & ratio dictat: nam multum abſolute nihil eſt, ſed in relatione ad aliud:

quod

quod enim in aliquo multum eſt,in alio erit parum : & quod nũc multum,aliàs parum . Sed dices,ſi multitudo ad aliquid,non ergo qualitas : patet reſponſio ex iam dictis , licèt enim multitudo verè ad aliquid ſit , agit tamen per qualitates , ſed & hoc iterum conſiderabimus in diſputatione aduerſus Vegam.

Quærat adhuc aliquis , cùm cauſa morbi ſit diſpoſitio præter naturam , vbi recipitur illa diſpoſitio, in cauſa ne , an in corpore male affecto ? dico diſpoſitionem illam cauſæ ineſſe,& in corpus à cauſa imprimi : & cùm in corpore fuerit impreſſa , tunc & corporis eſſe diſpoſitionem , id eſt morbum : non eſt tamen ſemper eadem diſpoſitio cauſæ, & diſpoſitio impreſſa , quæ morbus eſt : quod in cauſis procatarcticis planum eſt : enſis acutus eſt , quare acumen eius eſt diſpoſitio : cùm tamen corpus vulnerat,non imprimit diſpoſitionem acutam, ſed ſolutionem continui,quæ vulnus eſt. Lapis eſt durus , & grauis:cùm tamen contundit caput, non facit caput durum aut graue , ſed contuſionem inducit,quæ eſt diſpoſitio alia à grauitate, & duritie , ſed in cauſis antecedentibus , quæ vere appellantur diſpoſitiones : interdum eadem eſt diſpoſitio cauſæ , & diſpoſitio corpori impreſſa, interdum diuerſa : humores affluentes in aliquam partem multitudine extendendo ſoluunt continuum:ſolutio autem continui & multitudo ſunt diuerſæ, ſua verò qualitate alterant,& tunc eadem eſt diſpoſitio : nam ſi cauſa calida eſt diſpoſitio , calida etiam erit corporis : ſi frigida , eodem pacto , & ſic de alijs. Ex his manifeſtum eſt , cùm cauſa dicitur diſpoſitio præter naturam , per diſpoſitionem ſignificari qualitatem : nec ſolùm cauſam uocat Galenus diſpoſitionem præter naturam , ſed quoddam etiam genus ſymptomatum : quorum cùm tria ſint genera , actiones læſæ,excreta & retenta,tertium genus proprie vocat diſpoſitiones, quas medici ſuperioris ſæculi vocabãt malas qualitates : & meritò hoc tertiũ genus ſolùm vocauit diſpoſitionem,quippe ꝙ ſolùm habet eſſe permanens, cum alia duo genera ſymptomatum ſint in fieri, & potius paſſiones,quàm diſpoſitiones. Afferebat Fuchſius, & cõiecturam illã,Galenum improprie vti nomine diſpoſitionis in morbi definitione , quia dicebat morbum eſſe conſtitutionem , vel diſpoſitionem præter naturam:nam hinc colligitur, ſi diſpoſitio idem eſt,quod conſtitutio, conſtitutio autem nõ eſt omnino qualitas , diſpoſitionem etiam qualitatem non eſſe : quare non

vſurpatur hæc vox eo modo,quo vſurpatur ab Ariſtote. Verum ex iam demonſtratis patet contrario modo potius arguendum eſſe,hoc videlicet pacto:diſpoſitio eſt qualitas, diſpoſitio & conſtitutio capiuntur pro eodem: ergo conſtitutio eſt qualitas. Vnde & in Thraſyb. cap. 12. has eaſdem voces, & alias quoque pro eodem capit. Quod ſi quis nunc ſtatum etiam vocet,recte vocabit, & cum Cicerone: nam vere ſanitas eſt ſtatus naturalis corporis, ſicuti morbus ſtatus præter naturam: cùm enim diſpoſitio ſit in fine motus,& in quiete,patet ex ſe proprie & vere ſtatũ appellari poſſe: & Cic.in hoc ſignificatu ſtatum uſurpat ibi. Nihil ſemper ſuo ſtatu manet,& ibi.Cætera labi,fluere,nec diutius eſſe vno & eodem ſtatu. Hinc iam patere poteſt Galenum vſurpaſſe nomen diatheſeos, vti vſurpant veteres Philoſophi, & tandem Græci omnes, qui de ſanis, ægris, & neutris nomen id pronunciant, & præterea ad cantum,harmoniam, orationem,& dictionem etiam extendunt. Quæ nam verò ſit cantus, harmoniæ,orationis, & dictionis diſpoſitio,dum quærunt Galeni expoſitores Valeriola, & Fuchſius, turpiter hallucinantur. Valeriola ait improprie diſpoſitionem dici de his,& per tranſlationem: cùm verò quærit, quæ ſit hæc diſpoſitio, vel affectio, ait eſſe affectationem,ac ſi affectatio ab affectione deducatur:nam diſpoſitionem ipſe affectionem vocat cum reliquis recentioribus:affectio itaq; erit affectio,id eſt diſpoſitio orationis,& dictionis. Nolo ego de his contendere, id tamen aſſero, affectationem, vt exemplum ſit conueniens orationi & dictioni, certè cantui, & harmoniæ non quadrare: nec ſanè id placet, diſpoſitionem de his improprie dici: nam credo cantus, harmoniæ, orationis, & dictionis eſſe qualitates multas, quæ vere ſint diſpoſitiones. Sed in cauſa, quam reddit, tantam præ ſe fert inſcitiam, vt ne primis quidem labijs philoſophiam deguſtaſſe videatur: proprie tantum ea affici, id eſt diſponi ait, quæ ſenſu prædita ſunt: nam cùm affici ſit quoddam pati, nihil vere pati poteſt, quòd ſenſus ſit expers, at hoc tam perſpicue falſum eſt, vt ex ſe concidat, & refutatione non indigeat: quis enim neſciat quatuor elementa agere, & pati inter ſe? vt alia taceam innumerabilia: nam actiones naturales corporis humani ſine ſenſu celebrantur: iecur agit in chylum, conuertit in ſanguinẽ,generat excremẽta,extruditque:quo nam ſenſu? vide Gale.de conſtit.Ar.capit. 9. primo de Elementis c.5.

& cognoſces

& cognoſces Valeriolæ errata. Fuchſius & in Gommento, & in 3. Inſtitutionum horum quatuor affectus eſſe interpretatur; quia illis homines afficiantur. De cantu (inquit) nihil attinet di- ,,
cere, vt quem afficere homines, nemo vnquam negauit, harmo- ,,
nias, phrygiam furorem, & pugnas excitare, Lydiam lamenta- ,,
tionem, Doriam honeſtatem, Ionicam iucunditatem teſtimo- ,,
nijs authorum abunde comprobatum eſt. Hic Fuchſius in ,,
duos incidit errores, alterum, quia pro diſpoſitionibus ipſe affe rt paſſiones, vel perturbationes, quæ in motu ſunt: at diſpoſitiones ſunt in termino, vt antea ex ipſo etiã viſum eſt: alter eſt error, & grauior, quia cùm ducendæ eſſent in medium diſpoſitiones cantus, harmoniæ, orationis, & dictionis, ipſe protulit diſpoſitiones hominum, immo verò non diſpoſitiones, ſed paſſiones, vel perturbationes. Sunt itaque inueniendæ diſpoſitiones propriè, cantus, harmoniæ, orationis, & dictionis, non diſpoſitiones, quæ in animis hominum à cantu, harmonia, oratione, & dictiones excitantur. Multas ego puto proprias harum quatuor ſeorſum diſpoſitiones eſſe, communes verò omnium longum & breue, graue & acutum, lene & aſperum, & alia multa conſimilia.

His uiſis, ſtatuamus aduerſus Fuchſium, & Fernelium diſpoſitionem eſſe primam qualitatis ſpeciem tam apud Galen. quàm apud Ariſtot. atque morbum non eſſe ſubſtantiam, quantitatem, aut aliud genus, ſed qualitatem: quod inde etiã conſtare poteſt, quia cùm morbus & ſanitas ſint contraria, vt in eodem genere ſint, neceſſe eſt, quòd antea vidimus ex Galeno Methodicos reprehendente, qui alio in genere ſanitatem, in alio morbum reponebant. Sed cùm ſanitas ſine controuerſia vlla ſit qualitas, ſequitur, etiam morbum eſſe qualitatem. Præterea cùm Galenus in lib. de morb. temporibus aſſerat, morbos eſſe corporum accidentia, quomodo poteſt Fuchſius ex mente Galen. aſſerere morbum aliquem eſſe ſubſtantiam? Præterea ſi quis morbus ſubſtantia videri poſſit, præ cæteris id obtinerent tumores præter naturam: at idem Galenus in libello de huiuſmodi tumoribus tractante ſtatim ab initio hos corporum accidentia eſſe teſtatur. Quare concludamus tandem, cùm Galen. aſſerit morbum eſſe diſpoſitionem, vocem hanc ab eo vſurpari, vt ab Ariſtotele vſurpatur pro prima qualitatis ſpecie, & morbum quemcunque eſse qualitatem primæ ſpieciei. Et quoniam ex recta explicatione hu-

ius vocis diſpoſitio enodabuntur & aliæ difficultates: aliquid iterum de ea ex Peripateticis adducamus. Cum iam ſit conſtitutum, diſpoſitionem ex paſſione fieri, & paſsio in motu eſt, cõſtat, diſpoſitionem non eſſe in motu, ſed in motus termino: & propterta Ariſtot. 2. Nicomachiorum cap. 5. probat virtutes non eſſe paſſiones, quia paſſionibus mouemur, virtutibus diſponimur: vt neceſſariò diſpoſitio extra motum ſit, & res facta, ac ex omnibus ſuis partibus conſtans. Quare diſpoſitionem aut poſitionem eſſe, aut ex poſitionibus conſtare aſſerendum eſt. Cùm enim authore Simplicio poſitum eſſe ſit finis ipſius agere, & pati, ſi quidem quod agit, ponit aliquid in eo, quod patitur, quod in patiente ab agente ponitur, poſitio eſt. Ex quibus poſſumus ſtatuere diſpoſitionem eſſe ordinem, & diſtributionem poſitionum, & nihil aliud ſignificaſſe Ariſtotelem, cùm 5. Methaph. 24. pronuntiauit, diſpoſitionem eſſe ordinem partium, & poſitionem quandam. Conſideratur autem hic ordo in loco, facultate, & forma. In loco corporeæ poſitiones tantum conſiderantur, vt ſtatuit Simplic. in prædicamento qualitatis, veluti cùm dicimus exercitum eſſe diſpoſitum, hanc poſitionem tetigit Galen. 3. de
„ Tuen. Valetud. cap. 5. his verbis. Quippe ſummum locum cutis
„ occupat: ſecundum ab ea, poſitus ordinem muſcoli habent, vtiq;
„ circum oſſa poſiti, &c. Diſpoſitio in facultate, vt ait D. Thomas 1. 2. q. 49. artic. 1. Simplicium interpretatus in præparatione, & idoneitate conſideratur: quæ nondum perfecta eſt, veluti ſcientia, & virtus inchoata. Diſpoſitio in forma eſt habitus ſicuti ſcientia, & virtus abſoluta. Cum itaque diſpoſitio ſit ordo, & diſtributio poſitionum, quæ ab agente in patiente ponuntur, patet eam nihil eſſe aliud, quàm rerum ſtatum: unde quidam interpretes διάθεσιν, non ſolum diſpoſitionem, aut affectionem, ſed ſtatum etiam interpretantur, quod antea quoque dixi.

Argu-

Argumentum Chriſtopqori à Vega. Quòd morbus qualitas non ſit, eiuſque confutatio. Cap. VIII.

DEMONSTRATVM cùm ſit apertiſſimè, genus in definitione morbi, ſiue diſpoſitionem, ſiue conſtitutionem, ſiue ſtatum appelles, qualitatem eſſe, & ideo morbos omnes eſſe qualitates, ante quàm ad alias partes definitionis ueniam, vidēdum eſt, quid ſenſerit Chriſtophorus à Vega de hoc genere: nam vir hic non eſt poſtponendus Fuchſio, aut Fernelio, cùm & ipſe tantæ ſit authoritatis, vt falſæ eius poſitiones poſſint hominibus non valde eruditis imponere. Statuit hic morbum eſſe ad aliquid, non qualitatem primam poſitionis partem probat, tum multis antea poſitis rationibus, tum multis confutatis argumentis, quæ contrarium aſtruunt: quæ ſi omnia velim excutere, nunquam ad exitum perueniam. Quare à me prætermittentur ea etiam de cauſa, quia in ea parte cum ipſo ſentio, & recipio morbum eſſe ad aliquid: immo verò de ipſo admiror, quòd per multas ambages id nitatur aſtruere, quod ex Ariſtotele paucis potuit confici. Alteram poſitionis partem, in qua negat, morbum eſſe qualitatem, oppugnabo. Duobus argumentis nititur ſuadere, morbum non eſſe qualitatem adeo longis, & inuolutis, vt nullam habeant argumenti formam, nullam ex propriis præmiſſis conclusionem deducant: proferam eius verba, & ſenſum conabor elicere, deinde reiicere. Primum itaque argumentum eius proponitur in 3. lib. cap. 1. de Arte medendi his verbis:

Ad quorundam animos ſedādos, quæ in alijs locis docuimus, ,, in præſentiarum ſuadere conabimur: nempe ſanitatem ac mor- ,, bum in prædicamento ad aliquid collocari debere. Si namque ,, cōſtitutionem, quæ genus eſt in morbi definitione, totam ipſius ,, amplitudinem comprehendens, non ad aliquid, ſed in qualita- ,, tis prædicamento colloces, dices quoque morbum conſiſtentem ,, in qualitate eſſe qualitatem, veluti eum, qui conſiſtit in calidi- ,, tate eſſe caliditatem, atque febrem eſſe calorem. Quod ſi mor- ,, bus in caliditate aucta conſiſtens eſt ipſa caliditas, morbus in ,, quantitate aucta erit ipſa quantitas: at uerò quantitas non eſt ,,

„ qualitas, morbus igitur in quantitate aucta non erit morbus,
„ quod nemo fatebitur. Vis huius argumenti, ſi quam vim habet, ſic progreditur: ſi dixeris morbum eſſe qualitatem, ſequetur morbum in quantitate aucta non eſſe morbum: hoc abſurdum eſt, & contra Galenum, ergo & id, vnde ſequitur: deducit hoc per multas propoſitiones intermedias, in quibus ex prima propoſitione morbus eſt qualitas, probat morbum conſiſtētem in aliquo eſſe id, in quo conſiſtit: hinc illa propoſitio morbus conſiſtens in qualitate eſt qualitas, morbus conſiſtens in caliditate eſt caliditas, febris conſiſtit in caliditate, ergo febris caliditas: hinc & illa propoſitio, morbus in caliditate aucta eſt caliditas, quæ ſi vera eſt, vera erit & illa pariter, morbus in quantitate aucta eſt quantitas, at iam ſuppoſitum eſt morbum eſſe qualitatem, quia cùm quantitas qualitas eſſe non poſſit, ſequitur, morbum in quantitate aucta non eſſe morbum, quod eſt abſurdum, ergo morbus qualitas non eſt: longa ſanè atque extorta deductio. Sed rem in pauca contrahendo, argumentatio ſic procedit: *Si* morbus eſſet qualitas, ſequeretur, morbum in quantitate aucta non eſſe morbum: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens, ex quo conſequitur: conſecutionem vero probat hoc ſyllogiſmo, quantitas non eſt qualitas, morbus in quantitate aucta eſt quantitas, ergo morbus in quantitate aucta non eſt morbus. Cùm itaque ex poſitione illa, quòd morbus ſit qualitas, cogamur aſſerere morbum in quantitate aucta non eſſe morbum, quod abſurdum & falſum eſt, hinc patet morbum non eſſe qualitatem: hoc eſt eius argumentum, quod nullam habet vim, & nullam argumenti formam: non enim ex præmiſſis ſequitur concluſio, quam colligit, quia cùm ſyllogiſmus ſit primæ figuræ, prædicatum concluſionis non eſt prædicatum maioris præmiſſæ, vt eſſe deberet: immo uerò nec minoris etiam prædicatum eſt, ſed quartus quidam terminus præter tres, qui exiguntur in conſtitutione ſyllogiſmi. Vera quidem concluſio ſequens ex illis præmiſſis eſſet, ergo morbus in quantitate aucta non eſt qualitas, vt ſyllogiſmus ſic colligatur. Quantitas non eſt qualitas, morbus in quantitate aucta eſt quantitas, ergo morbus in quantitate aucta non eſt qualitas. Ad hoc autem argumentum reſpondeo hanc concluſionem eſſe falſam, quia minor falſa eſt: deceptus eſt autem, quia putauit (ut patet ex longa eius deductione) quod in aliquo

eſt, id eſſe, in quo eſt. At hoc non ſemper eſt verum . immo verò quàm raro: id quod patet excurrenti per omnes modos, quibus aliquid eſt in alio deſcriptos ab Ariſtotele eiusque interpretibus quarto Phiſicorum, & in antepraedicamentis: nam ſi quid in vaſe eſt, id vas ipſum non eſt, aqua enim eſt in pelui, & non eſt peluis. Si quid eſt in loco, eodem modo: nam Petrus eſt in carcere, & tamen Petrus non eſt carcer: pars eſt in toto, & totum non eſt: nam digitus eſt in manu, & non eſt manus: genus eſt in ſpecie, & ſpecies non eſt: nam animal eſt in homine, & tamen animal non eſt homo: ſi quid eſt in ſubiecto, ſubiectum non eſt: albedo eſt in niue, & tamen albedo non eſt nix. Ac tandem ex omnibus, quæ ſunt in altero, ſola ferè ſpecies, quæ in genere eſt, genus ipſum dicitur: nam homo eſt in animali, ergo homo eſt animal. Dico igitur minorem illam propoſitionem morbus in quantitate aucta eſt quantitas, eſſe falſam: nam etiam ſi morbus in quantitate ſit, quantitas tamen non eſt, quia non eſt in quantitate tanquam ſpecies in genere: ſi dicas etiam, morbus eſt in ſubſtantia, non ſequitur morbum eſſe ſubſtantiam, quia nõ eſt in ſubſtantia tanquam ſpecies in genere, ſed tanquam in ſubiecto. Quare cùm dico, morbus eſt in quantitate, non intelligendum eſt eſſe in quantitate, veluti ſpeciem in genere, ſed potius tanquam in ſubiecto: nam morbus non eſt quantitas ipſa, ſed vitium & mala diſpoſitio quantitatis: at vitium & mala diſpoſitio ſunt qualitates. Deceptus eſt igitur ex propoſitionum ſimilitudine, quia cùm dicimus morbus eſt in qualitate, rectè colligimus, ergo morbus eſt qualitas, quoniam eſt in qualitate, tanquam ſpecies in genere. Sed cùm dicimus morbus eſt in quantitate, in ſubſtantia, in ſitu, non licet colligere, ergo morbus eſt quantitas, ſubſtantia, ſitus, quia non eſt in his tanquam ſpecies in genere: cum itaque conſecutio ex falſis præmiſſis deducta ſit, neganda eſt. Quare cùm arguebatur, ſi morbus eſſet qualitas, ſequeretur morbum in quantitate aucta non eſſe morbum, nego conſecutionem: & cur negem, iam patuit, vnde etiam patet primum hoc argumentum nullam habere vim. Sed tranſeamus ad alterum.

Alterum Vegæ argumentum: Quod morbus non ſit qualitas, & eius confutatio. Cap. IX.

VERBA, ex quibus alterum elicitur argumentum ſunt hæc: Conſtat Galenum ſanitatem appellare in ſimplicibus, elementorum ſymmetriam, morbum autem ametriam, improportionem, & à debito modo receſſum, præſertim lib. de Differen. morb. ad initium. Quod ſi morbus calidus (vt uolunt contrarium ſentientes) eſt calor in habitu, aut diſpoſitione, hoc eſt aut parum fixus, aut ualde fixus, calor erit ametria, aut improportio, aut à debito modo receſſus: cùm ergo calor in genere morborum ſit, & morbus ſit receſſus à debito modo, & improportio, recte quis in generis formali prædicatione diceret, calor eſt improportio, calor eſt receſſus à debito modo, quod eſt abſurdum. Galenus namque morbum appellat caloris, frigiditatis, humiditatis, & ſiccitatis declinationem à debito modo, non ipſum calorem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem. Hoc argumentum videtur hoc modo progredi: cùm ſuppoſitum ſit ex Gale. in lib. de Diff. morb. c. 2. ſanitatem eſſe ſymmetriam, morbum ametriam, ſi dixeris, morbum eſſe qualitatem, ſequetur morbum calidum, frigidum, humidum, & ſiccum eſſe ametriam, vnde dicemus calor eſt ametria, & improportio, frigus eſt ametria, & improportio, & ſic de reliquis: hoc autem eſt abſurdum, & contra Gal. quod abſurdum ſit, non demonſtrat, ſed ſubintelligitur, quia cum ſymmetria ſit inter plura, verbi cauſa inter omnes quatuor qualitates inter ſe conſentientes, talis debet eſſe & ametria, diſſenſio ſcilicet inter ipſas qualitates: at nec calor, nec alia ſimplex qualitas poteſt eſſe huiuſmodi, ſed potius eſt ametriæ cauſa, quàm ametria. Quod ſit autem contra Gale. ex ipſo probat, qui eodem in lib. cap. 4. non caliditatem morbum vocat, non frigiditatem, non humiditatem, non ſiccitatem, ſed caliditatem declinantem à debito modo, & ſic de alijs.

Hinc colligitur, cùm dicimus caliditatem declinantem à debito modo eſſe morbum, & recte nos dicere, & morbum eſſe ad aliquid, non qualitatem, quia illa declinatio à debito modo refertur ad aliud. Sed quia Gale. ſæpe caliditatem, frigiditatem,

humiditatem,

humiditatem, & ſiccitatem mobos eſſe prouunciat: reſpondet Vega Galen. tunc morbos per cauſas ſuas diſtinguere. Sic enim ait multo poſt propoſita verba. Rurſus Galen.lib.de Diff.morb. (inquiunt) de primis morbis loquens dixit: Erunt continuò primæ ægritudines quatuor: prima calor, ſecunda frigus, tertia humor, quarta ſiccitas: igitur morbi hi qualitates ſunt, non ad aliquid: quibus ſi reſpondemus tunc Galen. morbos per cauſas diſtinxiſſe, rurſus addunt calorem, frigus, & reliquas qualitates non poſſe ab ametria & inconcinnitate ſeparari, cauſas tamen eſſe poſſe ſine effectibus, ac proinde non erunt hæ qualitates morborum cauſæ, ſed ipſi morbi. Retulit hic aduerſariorum argumenta, & quia ipſe dicebat calorem frigus, & reliquas qualitates non morbos eſſe, ſed morborum cauſas, id eſt cauſas ametriæ, & inconcinnitatis, & ipſi aduerſarij refellebant hanc reſponſionem, dicentes cauſas à morbis ſuis ſeparari poſſe, calorem verò ab ametria caloris ſeparari non poſſe: calor itaque non cauſa morbi, ſed morbus eſt: quare morbus eſt qualitas, non relatio, ipſe paulo poſt redarguit hanc reſponſionem, & tandem aperit, quid ſentiat. Ad aliud Galenus lib.de Diff.morb.uoluit calorem, frigiditatem, & reliquas qualitates eſſe materiale morborum, non formale: id enim ametria eſt, materiale verò eſt relationis fundamentum, & cauſa continens in morbis, qui fiunt ex additione, quales ſunt omnes ad qualitates actiuas attinentes, cauſam autem continentem ſeparari poſſe a morbo, nũquam Galenus exiſtimauit. Hinc habetur morbum eſſe receſſum à debito modo, qui receſſus relatio eſt: & quia relatio per ſe non ſubſiſtit, habet reliqua prædicamenta pro fundamento, ſubiecto, & materia: vnde in qualitate habet calorem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem: receſſus itaque à debito modo in calore eſt relatio, & morbus: calor verò fundamentum, materia, & cauſa continens relationis illius, & morbi, quæ ſeparari non poteſt. Vnde & poſtea morbus, qui ametria per calorem eſt, in calore fundatur, & ad frigiditatem refertur, cum qua iniquam habet commenſurationem. Collegit hoc in loco obſcurius & confuſius, quæ in 1.de Diff. febr. cap. 1. & 4. & in præfatione libri ſui de Vrinis planius explicauerat, & nos etiam ex omnibus his locis planam eius ſententiam reddidimus, in qua quidem multa ſunt pronunciata, quæ diſcuſſione diligenti indigent, &

illud in primis, quòd caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas non ſint morbi, ſed morborum cauſæ continentes: ſed quoniã de hoc contra Argenterium poſtea diſputabimus, in præſentia differatur, & ad argumentum diſſoluendum ueniamus, quo nititur probare morbum non eſſe qualitatem, ſed ad aliquid tantum. Cùmque huius argumenti vis in eo conſiſtat, quando aſſerit abſurdũ eſſe, ſi dicas calor eſt ametria, calor eſt improportio, calor eſt receſſus a debito modo, nego in præſentia hoc eſſe abſurdum, ſi dicatur de calore præter naturam: nam calor præter naturã lædens actiones menſuram excedit, proportionem non ſeruat, & à debito modo recedit: & cùm Gale. ait declinationem caloris à debito modo eſſe morbum, nihil aliud indicauit, quàm calorem præter naturam, & propterea calor non ſeruans proportionem, calor præter naturam, calor recedens à ſymmetria, calor excedens, caloris exceſſus, intemperies calida idem ſignificant, & vna atq; eadem eſt diſpoſitio. Corruit igitur & hoc argumentum ea parte, qua probat morbum non eſſe qualitatem: ac ſi quis reſtat ſcrupulus, eum in diſputatione aduerſus Argenterium eximemus, quod tunc facilius præſtabimus, quia conſtitutũ iam à nobis erit, quid ſit temperies, & intemperies, ſine qua determinatione non poſſumus recte diluere argumenta oppoſita. Quoniam vero Vegæ argumentum nõ ſolum deſtruebat morbum eſſe qualitatem, ſed aſtruebat eſſe ad aliquid: quid de hoc ſit ſentiendum videamus, & numquid morbus poſſit eſſe & qualitas, & ad aliquid.

Morbum eſſe ad aliquid etiam de ſententia Ariſtotelis. Cap. X.

SCIENDVM eſt Ariſtotelem apertiſſime ſenſiſſe ſanitatem, & morbum eſſe ad aliquid: ſi namque conſtituit ſanitatem, & morbum eſſe diſpoſitiones, & habitus: habitum verò, diſpoſitionem, ſcientiam, & poſitionem inter prima genera eorum, quæ ſunt ad aliquid collocat, quis non videat ſanitatem & morbum ad aliquid eſſe? Sed & 7. Phiſ. 17. demonſtrat ſanitatem & morbum non eſſe alterationes, nec motus, quia ſunt ad aliquid. Eſſe autem ad aliquid, inde conſtat, quia ſanitas eſt ſymmetria calidorum, frigidorum, humidorum,

rum, ac ſiccorum: ſymmetria autem refertur ad aliud, & apparet hæc ſymmetria duobus modis, altero cùm inter ſe conferuntur quatuor primæ qualitates, nam ſi modum ſeruent, vt altera non excedat alteram, erit hæc ſymmetria, & ſanitas: altero modo ſi cõferantur cum aere ambiente, nam ſi ab eo corpus non immutetur, & lædatur, ſanum dicetur eſſe, & ſymmetriam calidi, frigidi, humidi, & ſicci obtinere: ametria huius erit contrarium, & quando altera qualitas alteram excedet, & quando corpus immutabitur, & lædetur ab aere ambiente. Verùm dicat aliquis, Ariſtoteles eodem in loco probat ſanitatem, & morbum non eſſe alterationes, quia ſunt ad aliquid, & habitus. Ea verò, quæ ad aliquid ſunt, & habitus, ac diſpoſitiones, alterationes non ſunt: ſed cùm alteratio ex Ariſtot. 5. Phiſ. & Galen. 1. de Facult. natu. ſit motus in qualitate, hinc videtur aſſerere Ariſtot. ſanitatem, & morbum non eſſe qualitates: quamobrem de eius quoque ſententia ſanitas & morbus erunt ad aliquid, non qualitates.

Atque hoc pacto Vegæ poſitio confirmatur, morbum ita eſſe ad aliquid, vt qualitas non ſit: verùm ad hoc dicendum eſt, ex eo loco Ariſtotelis demonſtrari quidem ſanitatem & morbum eſſe ad aliquid, non inde tamen ſequi, ſanitatem & morbum non eſſe qualitates: nam quod non ſint qualitates, ratio illa non demonſtrat: cùm enim dicitur, ſanitas & morbus non ſunt alterationes, verum eſt, quia alteratio eſt res imperfecta, quæ in motu eſt: at ſanitas & morbus ſunt res perfectæ, finis motus, & alterationis, ſed cùm deducitur non ſunt alterationes, ergo non ſunt qualitates, id non procedit, quia nihil repugnat eſſe qualitates, & non eſſe alterationes, immo uerò ex eo Ariſtotelis loco demonſtratur planè ſanitatem, & morbum eſſe qualitates: licèt enim alterationes eſſe neget, gigni tamen aſſerit, & corrumpi quibuſdam alteratis: & in contex. 32. licèt ſanitas alteratio non ſit, ſanari tamen alterari eſſe affirmat: & res prorſus ſic ſe habet: cùm ſanus eſt homo, & in morbum incidit calidum, aut frigidum, aut alium quemcunque, alteratur primò, & incaleſcit: vbi autem calor ille adeo increuit, ut moleſtus ſit, & actiones lædat, hic eſt finis alterationis: & calor ille non alteratio eſt, ſed forma ex alteratione nata. Idem euenit dum reſtituitur ſanitati: refrigeratur enim donec aboleatur calor ille, quo abolito, introducta eſt ſanitas, quæ finis eſt refrigerationis: vnde hinc confir-

matur,

matur, quod antea diximus, ex paſſione diſpoſitionem, hoc eſt ex tertia ſpecie qualitatis primam exoriri.

Tantum igitur abeſt, vt Ariſtot. eo in loco ſecludat morbum & ſanitatem à prædicamento qualitatis, quod immo nulla ratio afferri poſſit validior, quàm ea ad demonſtrandum ſanitatem & morbum eſſe non in qualitate tantum, ſed in prima qualitatis ſpecie. Ex eo igitur concludi poteſt, ſanitatem, & morbum, & ad aliquid eſſe, & qualitates.

Morbum eſſe tam in prædicamento ad aliquid, quàm qualitatis. Cap. XI.

DEMONSTRATVM eſt ex Ariſtotele ſanitatem & morbum eſſe & qualitates, & ad aliquid. At ſi quis quærat, quid Galen. ſenſerit, facile eſt reſpondere, cùm Ariſtot. ſequatur, in eadem eum eſſe ſententia. Quare cùm ſanitatem & morbum ſymmetriam & ametriam eſſe pronunciet, & diſpoſitiones etiam, planum eſt iudicare & ipſum hæc eſſe ad aliquid, & qualitates. Hoc apparebit recenſenti morbos omnes ab eo deſcriptos: nos vnico exemplo rem totam oculis ſubijciemus, ac primum oſtendemus, quomodo ſanitas ſit ſymmetria, & qualitas, deinde quo modo morbus ſit ametria, & qualitas. Sanitas partium ſimilarium eſt ſymmetria quatuor primarum qualitatum, quæ bona, iuſta etiam, & æquabilis temperies dicitur: cum enim particula vnaquæque ſuam propriam habeat temperiem, hæc calidam, illa frigidam, alia ſiccam, alia humidam, & ſæpe compoſitam etiam ex duabus qualitatibus temperiem ſortiatur, quando vnaquæque ſibi debitam temperiem nacta eſt, ſanitate fruitur, veluti caro, quæ cùm naturalem ſibi temperiem obtinet calidam atque humidam, ſed non admodum excedentem, qualitas hæc calida & humida eſt ſymmetra carni, & ideo eius eſt ſanitas, à qua prodeunt actiones, hæc temperies vt calida atque humida eſt, qualitas eſt, ut ſymmetra, & carni congrua ad aliquid eſt, igitur & qualitas & relatio, ſed diuerſis rationibus. Vidimus, quomodo ſanitas ſit ad aliquid & qualitas; nunc ad morbum tranſeamus. Si hæ duæ qualitates calida, inquam, & humida, quæ ſunt

iuſta

iuſta carnis temperies,intendantur,aut vtraque ſimul,aut alteru tra, ita vt actiones vitient (ſtatuamus caliditatem eſſe ſolam) hæc caliditas ſic aucta morbus eſt, & quatenus caliditas eſt,qualitas eſt, quæ lædit actiones, quæque modum curandi per contrariam frigiditatem indicat: quatenus verò modum excedit,eſt ametria, & ad aliquid dicitur: vnde morbus hic multis modis poteſt appellari, calor præter naturam, calor excedens, calor immoderatus, calor à ſymmetria recedens, & calida intemperies, & hæc omnia vnum atque idem ſignificant, vnum atque idem ſunt: & ideo figmentum eſt ſophiſticum horum recentiorum aſſerens calorem præter naturam non eſſe ametriam, ſed cauſam ametriæ: qua de re quia rurſus erit cum Argenterio con tendendum, finem ei imponamus, ſtatuamusque tandem de ſen tentia tam Ariſtotelis, quàm Galeni, ſanitatem & morbum eſſe qualitates, & ad aliquid, alijs tamen atque alijs rationibus. Sic & virtus moralis quatenus eſt mediocritas inter exceſſum, & defectum, vt docetur 2. Nicomach. ad aliquid eſt: quatenus verò eſt habitus ad agendũ, quæ decet, impellens,qualitas eſt quædã.

Argumenta Thomæ Eraſti: Quod morbus non ſit relatio, & eorum confutatio. Cap. XII.

LICET tam clarum ſit in diſciplina Ariſto.& Gale. morbum eſſe ad aliquid,nihil vt poſſit eſſe clarius, Thomas tamen Eſtratus in 1. Epiſt.de cauſa conti nente multis argumentis dogma hoc inuadit,quæ cùm apparentia ſint,ac poſſint rudiores decipere, proferenda ſunt, & euertenda: Primum igitur ſic arguit: Relatio de ſententia Ariſtote. 5.Phiſ.non eſt principium, nec terminus motus: morbus eſt principiũ, & terminus motus,ergo morbus non eſt relatio: minor probatur, cùm enim alteratio attigerit diſpoſitionem permanentem, quæ lædat actiones, morbus dicitur: nam incipiat corpus incaleſcere, & inualeſcat ille calor ad modum, vt actionem vitiet, calor ille morbus eſt, qui initium habuit motus, finem. Deinde ſic: Morbus eſt res poſitiua, non in comparatione tantum conſiſtens, relatio eſt imaginaria,& in ſola comparatione conſideratur. Tum relatio accidit

rebus

rebus ſubiectis abſque vlla earum permutatione, at morbus ſubiectum permutat. Poſtremò, cùm ſubiectum ex ſanitate permutatur ad morbum, aliter afficitur, quàm cùm ad aliud refertur: morbus igitur à relatione diuerſus. Poſſemus nos declinare hæc quatuor argumenta vna ſola, & breui reſponſione, dicentes, hæc argumenta procedere contra eos, qui ſtatuunt morbum nihil eſſe aliud, quàm relationem: ſed hac reſponſione vtemur ad tria vltima, primi verò minorem negamus, quia falſa eſt & eius falſitas iam ex ſe innoteſcere poteſt ijs, qui memoriæ teneant, quæ ante diximus ex 7. Phiſ. de Ariſtot. ſententia. Vidimus enim Ariſtot. probare ſanitatem & morbum non eſſe alterationes hoc argumento, quia ſunt ad aliquid: at hic probat morbum non eſſe relationem, quia eſt alteratio, quod eſt falſiſſimum contra Ariſtot. & contra Galen. qui ſtatuerunt morbum eſſe diſpoſitionem ex alteratione peruenientem: non enim cùm incipit alterari corpus, iam morbus adeſt, ſed cum adeo eſt alteratum, vt actiones lædantur. At Eraſtus quia nititur in omnibus ferè morbis defendere cauſam continentem, ideo ſtatuit incipientes etiam alterationes eſſe morbos. Hæc ad primum eius argumentum: tria reliqua vt dixi, concedo, quia contra eos intenduntur, qui morbum nihil eſſe aliud contendunt, quàm relationem: nobis vim non afferunt, qui morbum & relationem & qualitatem eſſe cum Ariſtot. & Galeno aſſerimus.

Diſcuſſo & perpenſo genere definitionis, reliquæ etiam partes eius eſſent diſcutiendæ. Verùm quoniam in congreſſu cum Argenterio hoc faciendi occaſio dabitur, ad ipſum accedamus, cùm enim multa ille obijciat aduerſus hoc genus, & alias partes definitionis, omnes eius obiectiones recenſebo, quibus confutatis, ſi quid conſiderandum reſtabit, in medium & id afferemus.

Argenterij

Argenterij obiectiones aduerſus morbi definitionem ante traditam. Cap. XII.

ARGENTERIVS, ſiue quia non aliunde gloriam ſibi comparare poſſe ſperaret, quàm ſcribendo contra viros illuſtres, ſiue quia dum Latinorum quæſtiones legiſſet, eorum controuerſijs irretitus ab eis ſeſe explicare non ſciret, aut potius quod errore ductus, & falſis principijs, quæ ſibi cõfinxerat, ita eſſe crederet, annos ab hinc nouem & viginti librum de morborum generibus alijs multis adiũctum edidit, in quo Galeni *placita* inſectatur, ac in primo ſtatim capite multis argumentis inuadit in definitionem morbi à Galeno traditam. Et quoniam ſæpe multa ſimul inculcat argumenta, ſeparabo ea, & in ordinem redigam, magis confirmabo, plana reddam, ac perſpicua, vt facilius & eorum vis, & redargutio percipiantur.

1 Taxat itaque primò poſitum eſſe in hac definitione genus ambiguum: nam diſpoſitio præter naturam complectitur cauſam morbi, & ſymptomata, authore ipſo Gal. in lib. de Diff. ſympt. & 2. etiam Method. vt ante quoq; vidimus in argumento, quo Fuchſius probabat diſpoſitionem non qualitates tantum, ſed ſubſtantiam etiam complecti.

2 Præterea corrumpit Galenus antiquam huius vocis ſignificationem: cùm enim diſpoſitio cito & facile euaneſcat, ut patet ex Ariſtot. qui idcirco eam diſtinguit contra habitum, qui diutius permanet, Gale. tamen vſurpauit eam pro re permanente & contumaci. Sic enim ait in lib. de Diff. ſympt. diſpoſitio in ſubiecto corpore & permanet, & ſeruatur.

3 In quo illud etiam peccat, quod ſolas alterationes ſtabiles, & permanentes morbos vocet, cùm tamen videamus breuiores etiam alterationes morbos eſſe, veluti febrem ephemeram, epilepſiam, & apoplexiam.

4 Vnde non euidentiæ ſolùm, ſed ſibi ipſi repugnat, cùm primo Methodi cap. 9. Olympici definitionem ob id potiſſimum taxet, quia morbum permanẽtem diſpoſitionem volebat eſſe: ſic enim ait: Rurſus ſicuti illi permanentiam adijciunt, nec indicant, ,,
quot horas eiuſmodi affectus moratus morbus ſit cenſendus, ita ,,
illi nobis concedant, illud permanentiæ nomen ſubtrahere. Atq; ,,
hæc

hæc contra genus definitionis, alias deinde partes aggreditur.

5 Vnde ait, Galenum, cùm poſuit particulam illam præter naturam in hac definitione, rectè quidem poſuiſſe, ſed non ſibi ipſi conſentire, quia 1. de Loc.aff.cap.2. morbum ſtatuit, cùm primum corpus à naturali ſtatu vel minimum egreditur, alibi verò negat omnino vitia ea inter morbos reponenda, quæ ob ſuam magnitudinem euidenter hominis actiones non labefactant, & meritò, ob eos, qui introducebant ἀειπάθειαν. Sed ſi affectus illi leues, de quibus 1. de Loc.affec.c.2. morbi ſunt, perperam adiecta eſt illa differentia[præter naturã]in morbi definitione, quia leues illi affectus præter naturam dici non poſſunt.

6 Et in hac definitione fruſtra interpoſitam fuiſſe ait eam vocem [primo] vt morbus à cauſa diſtinguatur : hac enim diſtinctione opus nõ erat, cùm cauſa diſpoſitio dici nõ poſſit: quod facile probatur, quia diſpoſitio apud Gal. eſt alteratio, apud Ariſt. qualitas, ſed cauſa eſt ad aliquid, non qualitas. Cùm itaque cauſa diſpoſitio eſſe non poſſit, & morbum diſpoſitionem eſſe dicat, quis non videat ea voce cauſam ſecludi, nulla addita differentia?

7 Nec fruſtra ſolùm, ſed etiam perperam vox illa eſt adiecta: falſum eſt enim morbum primò vitiare actiones, vt ipſomet ex Gale. liquere poteſt, qui 1. de Facultatibus natur.cap.2. hæc tria ſeſe inuicem conſequi aſſeuerat, facultatem, actionem, opus: à facultate prodeunt actiones, ex actionibus emergit opus: non poteſt itaq; morbus vitiare actiones, ſi nõ lædat prius facultatem, lædit itaq; primò facultatem, non actiones: & exemplum affert huiuſmodi. Intemperies primò cauſa eſt facultatis agendi, facultas autem ipſius actionis, hæc verò operis.

8 Neque hoc ſolum aſtruit, perperam ad eſſe vocem illam, ſed & illud etiam, quod cauſa ipſa ſæpe impedire poteſt actiones primo, & per ſe, nullo intercedente morbo, teſte ipſo Gale. in 3. de Sympt. cau. cap. 1. vbi concoctionem in ventriculo labefactari affirmat non ſolum ob morbos eius, ſed etiam propter ciborum, potionumque immodicam quantitatem, aut prauam qualitatem, aut quia intempeſtiue, aut non recto ordine ingerantur: at iſtæ omnes ſunt cauſæ, quæ primò & per ſe nullo excitato morbo concoctionem ventriculi impediunt.

9 Huc accedit, quòd ſymptomata etiam nullo morbi interuentu, ſed primò & per ſe lædunt actiones: actio quippe impedita

ſolet

ſolet alias actiones impedire: nam ſi labefactetur concoctio uentriculi, vitioſa ſuccedet in hepate ſanguificatio, à qua vitioſa deinde orietur nutricatio: dolor quinetiam, qui ſymptoma eſt, actionem vitiat, vnde in pleuritide difficilem reddit reſpirationem: quin & ſymptomata, quæ proprie diſpoſitiones, & malæ qualitates dicuntur, primo & per ſe lædunt actiones: ſic vitioſus color in pupilla viſionem oculi vitiat, ſic durities, & mollities, raritas & denſitudo partium ſolent eas ad agendum imbecillas reddere, ſic aurium tinnitus auditionem impedit, fœtor narium odorandi vim interturbat, linguæ amaror guſtatus iudicium corrumpit: ſequetur præterea potentiā læſam inter morbos eſſe reponendam, primò enim actiones lædit. Demonſtrant expoſita argumenta non ſolùm redundare in hac definitione vocem eam [primo] ſed totam illam partem [primo impediens actiones] ſi enim cauſæ, & ſyptomata, & potentia, primo & per ſe actiones lædunt, non eſt morbo proprium actiones primò lædere.

10 Sed omnino vitioſum eſt, morbum ex actionum læſione definire, cùm multæ partes actionibus ſuis priuentur, etiam ſi nullo morbo laborent: & ſunt illæ, quæ facultatem agendi, aut materiam aliunde ſuſcipiunt: veluti ventriculus, qui ſenſum obtinet per neruos aliunde delatū: ſæpe itaq; orbari poteſt hoc ſenſu, etiā ſi nullo ipſe morbo afficiatur: præterea ſi eidem non offeratur cibus, & potus, non cōcoquet, licèt nullo morbo laboret.

11 Quod ſi actionum impedimentum ab hac definitione nō explodas, nulla erit inter morbos partium ſimilarium, & organicarum diſtinctio, cū morbi ex intemperie vitient actiones non ſolùm ſimilarum, ſed etiam organicarum, vt apparet per febrem omnes corporis actiones lædentem.

12 Poſtremò cùm à morbo oriatur non ſolùm ſymptoma impeditarum actionum, ſed duo etiam reliqua ſymptomatum genera, ſi in definitione includitur actionū impedimentum, cur non & alia duo ſymptomatum genera includūtur? cùm ſint effectus morbi non minus, quàm impedita actio, & ſæpe plus conferant ad cognitionem morbi, quàm impedita actio, veluti in dyſenteria, & morbo regio, vt alia innumerabilia omittam. Hæc ſunt, quæ vir ille partim à ſe inuenta, partim à quæſtionibus Latinorum deſumpta protulit aduerſus Galeni definitionem, quæ

cùm eam euertere arbitraretur, aliam ipſe inuenire conatus eſt, quæ huiuſmodi obiectiones declinaret: de qua agam, cùm primũ argumenta hæc confutauero, ad quæ iam accedo eo ordine, quo propoſita fuere.

Ad primam obiectionem, diſpoſitionem eſſe verum genus huius definitionis. Cap. XIIII.

IN prima obiectione tantam demonſtrat inſcitiam Argenterius, vt hæc vna ſatis eſſe deberet apud ſtudioſos ad eius deprimendam, ſi quam habet, autoritatem: nullam hic nouit definitionum legem, naturam generis à differentiarum natura non internoſcit, & ideo ad has abit ineptias, ut dicat diſpoſitionem in definitione morbi eſſe genus ambiguum, quia dicatur etiam de cauſis morbi, & ſymptomatibus: nam reſpondeo diſpoſitionem eſſe verum genus, quod prædicatur de morbo, de cauſa, & ſymptomate, tanquam de ſubiectis ſpeciebus ſicuti animal de homine, capra, leone, & cæteris: vnde ſicuti in definitione hominis, quæ habet hominem eſſe animal rationis particeps, mortale, nemo dicat animal eſſe genus ambiguum, quia dicatur de capra, leone, alijſque multis, ita fatuus eſt, qui aſſerit diſpoſitionem eſſe ambiguum genus, quia pertineat ad cauſas etiam, & ſymptomata: genus enim ſemper dicitur de omnibus ſpeciebus ſibi ſubiectis, & ſpecies illæ non ſumunt diſtinctionem inter ſe à genere, quippe cùm in eo conueniant, & communicent: à differentiis verò diſtinctionem ſortiantur, ſicuti & in hac definitione, nam differentiæ appoſitæ generi morbum diſtinguunt a cauſis, & ſymptomatibus, vt videbimus. Sanè non leuius eſt peccatum hoc in dialectica, quam illud Iuliani, qui ſanitatem & morbum negabat eſſe contraria, quia medium haberent, vnde eum meritò irridet Galenus.

Fuchſius 3. Inſtitutionum ſuarum cap. 3 alio modo diluit obiectionem hanc: diſtinguit enim diſpoſitionem, & tribus ait modis capi, primo generatim pro omni eo, à quo corpus noſtrum afficitur, & diſponitur: ſecundo ſtrictius pro quacunque mutatione præter naturam, & hoc comprehendit morbum, cauſas, &

ſympto-

ſymptomata:tertiò ſtrictius adhuc pro eo quod factum eſt,& permanet in re alterationem perpeſſa, quo modo ſoli morbo conuenit: vnde hoc modo in definitione capitur, & eſt potius conſtitutio, quædam, quàm diſpoſitio: & propterea Gale.ſæpe nomen conſtitutionis vſurpat in explicando morbo. Ne res eſt inter Eſernium,& Pacidianum duos egregios gladiatores. Argēterius quidem vnum tantum commiſit errorem, cùm vim & naturam generum in definitionibus ignorauerit: at Fuchſius commiſit infinitos:primò cùm vitia huius argumēti non cognoſcat, vt verſetur in eodem errore cum Argenterio, neceſſe eſt:id declarat ea diſtinctio diſpoſitionis,nam eam non edidiſſet, niſi putaſſet & ipſe diſpoſitionem in hac definitione genus eſſe ambiguum: deinde diſtinctio illa diſpoſitionis tripartita falſiſſima eſt, nam ſi vult tertium modum ab alijs diſtingui, quia ſignificet rem factam & permanentem, nihil dici poteſt inſcitius, cùm diſpoſitio quæcumque ſemper formam factam & permanentem ſignificet apud Galenum, & Ariſtotelem, ſicuti antea late demonſtrauimus: deinde demus illi veram eſſe hanc diſtinctionem,demus diſpoſitionem tertio modo ſumptam tantummodo ſignificare rem factam, & permanentem, & hanc tantum morbo conuenire, quæram ego, cùm dicimus, morbus eſt diſpoſitio, vnde apparet hanc uocem tunc ſignificare tantummodo rem factam, & permanentem? quæ nam adeſt nota hoc indicans? præterea demus etiam hoc, diſpoſitionem in morbi definitione ſignificare rem factam & permanentem,adhuc genus eſt ambiguum, & Argenterij obiectio ſuas vires habet: nam ſi non aliud, certe ſymptomata illa, quæ diſpoſitiones, & malæ qualitates uocantur, ſunt & ipſæ de genere factorum, & permanentium, ſicuti etiam ipſi Fuchſio eſt notiſſimum,ſi non oblitus eſt eorum, quæ ſcripſit in libros de ſymptomatibus Galeni. Et ideo reſpondendum eſt, vt nos reſpondimus, diſpoſitionem ſignificare non ſolùm morbum, ſed cauſas, & ſymptomata: per differentias vero adiunctas diſtiugui à cauſis, & ſymptomatis.

Ad ſecundam, tertiam, & quartam ſeruare Galenum antiquam ſignificationem diſpoſitionis. Cap. XV.

DIALECTICES imperícia præcipitem egit Argēteriū in errorem ſuperius patefactum, atque hæc eadem impulit eum aduerſus Galen. in vſu diſpoſitionis, neque enim antiquum eius corrūpit ſignificatū, ſed retinet, & obſeruat, eodemq; modo vſurpat, quo Ariſtoteles, nec diſcedit ab eius antiquo ſignificatu, cū aſſerit in ſubiecto corpore eam permanere, & ſeruari, quod potius aſcribit Ariſt. habitui, quàm diſpoſitioni: nam ſciendū eſt permanēs & ſtabile duobus modis capi: alter refertur ad motū, alter refertur ad tēpus: ſi permanens ad motū referatur, indicat ceſſationē à motu, rem factā, conſtantem ex omnibus ſuis partibus, & quæ in termino eſſe dicitur: cui opponitur res, quæ mouetur, gignitur, & adhuc eſt in fieri, atque in uia: ſi verò ad tempus referatur, ſignificat rem diuturnam, & quæ difficulter immutetur, cui opponitur breue, & cito mutabile: atque apud Græcos ſunt etiam propria vocabula: nā diatheſim diuturnā vocant ἐπίμονον, ſicuti Olympicus apud Gale. factam verò, & ſtabilem διαμένουσαν, ὑπομένουσον, μόνιμον.

Ex hac diſtinctione corruit ſecunda obiectio, quia cùm Ariſtoteles vocat diſpoſitionem breuem, & mobilem, refert ad tempus, ad diſtinctionem habitus, qui diuturnior, & ſtabilior eſt, quando verò Galen. vocat eam permanentem, & ſtabilem, refert ad motum, ſignificans, quod nō amplius eſt in motu, ſed ceſſauit iam, & facta eſt, & hoc non repugnat naturæ diſpoſitionis, ſed maxime congruit etiam apud Ariſtot. vt antea vidimus.

Corruit & tertia obiectio, quia cum Galen. pronunciat morbum eſſe diſpoſitionem permanentem, quæ iam facta ſit, nec ſit in motu, non excludit morbos, qui cito finiūtur, licèt ſemihorā tantùm perdurent, quales ſunt ephemera, epilepſia, apoplexia, cùm & ipſi facti iam ſint, & permanentes.

Corruit & quarta obiectio, nec ſibi repugnat Gale. cùm enim ait morbum eſſe diſpoſitionem permanentem, permanens tunc ad motum eſt referendum: cum reprehendit Olympicum, qui in morbo permanentium ponit, ideo reprehendit, quia permanentiam ad tempus referebat, & ſic excludebat diſpoſitiones breues

iam

iam dictas, aliàsque conſimiles. Vidit hanc diſtinctionem Fuchſius, ſed adeo ſeſe implicat, vt non vidiſſe videatur: affirmat enim pertinaciter, quod aliàs etiam affirmauit, & à nobis reiectũ fuit, aliter vſurpari diſpoſitionem à Galeno, aliter ab Ariſtot. quod illi ſit conſtitutio, ſeu ſtabilis iam, & permanens alteratio, ſeu affectus, huic uerò contrarium ſignificet, nempe qualitatem, quæ à ſubiecto facile dimoueri poteſt. Atqui minime contraria eſt ſententia Galeni de diſpoſitione ſententiæ Ariſtot. immo verò maxime conſentiens: nam cùm ait eam eſſe conſtitutionem permanẽtem, & ſtabilem, quia iam ceſſauerit moueri, non remouet, quin facile dimoueri poſſit à ſubiecto, ut aſſerit Ariſtot. immo verò id aſſeueranter affirmat Gale. cùm reprehendat Olympicum, qui de morbi eſſentia eſſe uolebat, ut duraret. In tradenda etiam ea diſtinctione ea vtitur dicendi ratione, ut Argenterio amplam dederit occaſionem in arte medica eum inceſſendi, quæ non attingo, quia non mihi propoſitum eſt Fuchſium, ſed Galeni dogmata defendere: quia tamen Argenterius ibi quædam affert contra diſtinctionem à nobis traditam, videamus quam vim habeant. Diximus permanentiam diſpoſitionis referri ad motum, non ad tẽpus: contra inſtat Argenterius, & ait, manere, perdurare perſiſtere, non aliud ſignificare, quàm tempus, nam ſi diſpoſitio poſt cauſam efficientem permanet, illud poſt, nonne tempus ſignificat? præterea Galenus in eo libro de ſympt. Diff. cap. 1. quod per tempus aliquod permanere poteſt, ſanitatem & morbum eſſe ait. Reſpondeo, cùm dicimus permanentiam diſpoſitionis referri ad motum, non omnino tempus excludi, ſed diuturnitatem temporis tantum, quam Methodici in morbo eſſe volebant, & ideo à Galeno reijciuntur.

Ad octauam dari morbos inſenſibiles, ſed ad medicum non pertinere. *Cap. XVI.*

POST quatuor obiectiones iam refutatas aliam addit Argenterius, quam prætermittere decreueram, ne leuia quæque videar perſequi, quia tamen eam refutat Fuchſius, & Argenterius iterum eam proponit in Arte med. & Fuchſium redarguit, & res eſt, quæ plus

habet difficultatis in receſſu, quàm in fronte, viſum eſt, eam quoque apponere. Fuchſius itaque reſpondet eos non eſſe morbos,de quibus in eo lib.de Loc. affec. agit Galen. quia non ſunt diſpoſitiones permanentes,ſed paſſiones,quæ in motu ſunt,& in via, & ideo lædere non poſſunt actiones : morbi itaque non ſunt, cùm duabus conditionibus careant,quæ ad conſtituendos morbos exiguntur : altera, vt ſint diſpoſitiones:altera, vt actiones lædant. Argenterius contra in Arte Medica aſſerit,eo in loco Galen.de morbis loqui,quod exempla docent,quibus vtitur: aſſumit enim morbum calidum, frigidum,humidum, & ſiccum, & inflammationem, & dicit eſſe morbos, & propriam ſpeciem morbi habere, etiam ſi ob paruitatem nec cognoſci à medico, nec ab ægrotis ſenſu percipi poſſint. Sunt igitur illi morbi,licèt inſenſibiles, cùm tamen actiones haud lædant, non videntur eſſe præter naturam, & ideo vox illa non erat adhibenda in definitione, ne excluderet hos morbos, quos eo in loco videtur admittere : quod ait Argenterius leuia illa vitia eſſe morbos, tam verum eſt,quàm quod veriſſimum, & rationes eius optimæ ſunt, ac ad Galeni mentem : nego tamen verum eſſe, excludi morbos illos ab illa dictione præter naturam : nam cum eos à natura curari eo in loco Gale.aſſerat,hinc declaratur, eos præter naturam eſſe : natura enim non agit in ſe ipſam, ſed in id, quod ſibi moleſtum eſt,id autem præter naturam ſit,neceſſe eſt : ſed parui momenti hæc obiectio eſt, illa autem maior : Nam ſi eos in numerum morborum recipiamus, ac præter naturam eſſe dicamus,inuehet dogma perpetuæ paſſionis paſſim ab eo damnatum, tolletur latitudo ſanitatis à Gale.celebrata lib.de Tuen. Valet. cap: 5. & media ac neutra diſpoſitio, quæ & ipſa contra Galen.ſunt. Patere iam puto, quod antea dixi, obiectionem hanc plus habere difficultatis in receſſu, quàm in fronte. Ad hoc dicendum eſt ex hoc decreto nec tolli latitudinem ſanitatis,nec inuehi perpetuam à morbis vexationem. In latitudine namque ſanitatis alij validiores, alij imbecilliores actiones edunt quidem, naturales tamen : at affectus hi leues præter naturam ſunt, & ideo ſunt extra ſanitatis terminos. Dicet aliquis, Galen.in Ar.med.cap.8. & 88.3.de Temperamen. cap.4.aſſerit ſenſibilem actionum læſionem ſanitatem à morbo diſterminare,vnde morbus eſſe non poteſt,qui non lædat actiones : cùm itaque affectus hi leues nullam

ſenſibilem

ſenſibilem afferant læſionem,ſequitur eos nõ eſſe morbos: quid igitur dicendum,cùm Galen. vndique ſit illaqueatus? dico eum facile ſibi paraſſe effugium. Sunt enim hi affectus inſenſibiles duobus modis conſiderandi & in ſui natura, & in cõſideratione medici: in ſui natura ſunt, & extant: in conſideratione verò medici reijciuntur,quia medicus iudicat ea tantum, quæ patent ad ſenſum: vnde nunquam morbum eſſe iudicabit, nec ad eius curationem ueniet, niſi ſenſu appareat,& actiones lædat: taceo de rabie,& alijs affectibus uenenatis,nam horum alia eſt ratio.

Diſtinctio nunc allata non mea eſt,ſed à Gale.paſſim celebrata: vnde 3.de Temperamen.cap.4. cùm docuiſſet dari iſtos affectus exiguos, & latentes ſenſum: ait multos eſſe, qui eos negent, ſeque & ipſum vnà eos plerumque negare, ſed ſi res ad viuum reſecetur,& non ſenſu, ſed ratione diiudicetur,non poſſe eos negari: hoc idem apertius in 1. de Diebus criticis cap. 6. vbi aſſerit, ſi velimus ratione contemplari primos morborum inſultus, inuenturos eſſe nos ἀσπάθειαν, ſed hoc eſſe alienum à medicis ab Eſculapio oriundis:nam febres ratione contemplabiles, & dignotione & curatione indignas eſſe iudicarunt. Si verò ſub ſenſum cadant, ita vt nec priuatos homines, nec medicum lateant, tunc has ab arte complecti. Hinc patet ratione contemplanti multos occurrere morbos, qui & ægrum, & medicum lateant,ſenſibus verò exploranti ſoli illi occurrunt morbi,qui euidentem actionibus noxam afferunt. Dicat hic Argenterius, ſi affectus hi non pertinent ad medicum, cur eos in eum librum tam utilem morborum dignotioni introduxit Galen. aut ſaltim lectorem non admonuit de diſtinctione commemorata? Reſpondeo ſatis eſſe Galenum alijs multis in locis id admonuiſſe, ſed & eo in loco licet id conijcere: cùm enim neget eos, & ab ægris,& à medicis dignoſci, innuit de his non eſſe mentionem faciendam, cùm medicus ſemper ſenſus ſequatur duces: præterea cùm afferat affectus iſtos à natura ſanari, & eos tantum externo indigere auxilio, qui à natura ſuperari non poſſunt, nonne innuit,quod aliàs apertius ſignificauit, non venire hos affectus in medici conſiderationem? De his autem egit in libris illis,in quibus tradit, quomodo cognoſcantur affectus, & loci affecti non ex propoſito, ſed quia cùm demonſtraſſet,ſi lædatur actio quæpiam,affici etiam partem eam,à qua actio prodit,ſiue in propria

eſſentia affecta ſit, ſiue cauſam habeat efficientem, atq; illam aut permanentem, aut pertranſeuntem, hinc ortæ ſunt difficultates, quas tanquam per digreſſionem Galenus tractat: aliter ineptus fuiſſet, ſi in libris illis, quibus affectus cognoſcere docet, complexus eſſet eos, qui cognoſci non poſſunt. Non excludit itaque particula illa [præter naturã] morbos illos, cũ & ipſi ſint præter naturam: non cadunt illi tamen in arte, quia non indigent curatione, cùm à natura ipſa ſummoueantur. Hoc pacto ſublatam eſſe puto propoſitam difficultatem logicam potius, quàm medicam: reſtat tamen ſcrupulus: dictum enim eſt morbos illos exiguos, & inſenſibiles à latitudine ſanitatis eſſe diſcluſos: quærat adhuc quiſpiam, quonam indicio poſſimus nos id internoſcere, ſi enim inſenſibiles ſunt, nullum habent indicium: internoſci igitur non poſſunt ab vltimis ſanitatis terminis: præterea Galen. ipſemet in eo primo de Tuen. Valetud. febres leues, & inſenſibiles intra ſanitatis latè patentis cancellos circumſcribit. Quod ſi ſic eſt, morbi hi leues & inſenſibiles morbi non erunt, contra quam ſtatutum eſt primo de Locis affec. quo loco eos à morbis apparentibus non ſpecie, ſed magnitudine tantùm differre aſſeuerat. Ad hæc reſpondemus, & ſi hæc ſenſu internoſci haud poſſunt, ratione tamen diſcerni: ſic enim ſtatuit Galen. At ſi nullum adſit indicium, nec ratione diſcerni poterunt. Reſpondeo rurſus totam hanc cognitionem rationi eſſe committendam uniuerſalia percurrenti, & ad indiuidua non attingenti: ratio enim ſic colligit, fingamus quempiam excedere limites ſanitatis, ſed adeo occulte, vt nec à medico, nec ab ægro percipiatur, certum eſt hunc eſſe morbum, quia ab eo, qui manifeſte infeſtat, ſola magnitudine differt, ſpecie verò non differt, cùm magis & minus non uarient ſpecies: ratio itaque in uniuerſum percipit rem ita ſeſe habere, in hoc uerò uel illo indiuiduo hunc eſſe morbum, ipſa percipere non poteſt, cùm hæc cognitio potius ſpectet ad ſenſum, vnde hæc indagatio omnino eſt inutilis, logica, & ad artis præcepta minime pertinens: quare mirum non eſt, ſi Galenus febrem leuem intra limites ſanitatis contineri ait, nam ſi ut medicus ſenſu eam inueſtiges, non inuenies, ratione tamen colliges, ſi detur huiuſmodi febris, eam eſſe morbum. Atq; hæc hactenus dicta ſint de inutili hac, & ſcrupuloſa difficultate.

Ad ſextam, cauſam morbi eſſe ad aliquid, & diſpoſitionem. Cap. XVII.

VERVM cùm obiicit non fuiſſe ponendam particulam aliquam in definitione, quæ diſtingueret morbum à cauſa, ac ſi huiuſmodi diſtinctione opus non ſit, cùm in diuerſis ſint generibus, & genus ea ſeparet, nam morbus eſt qualitas, & diſpoſitio dicitur, cauſa eſt ad aliquid, & diſpoſitio dici non poteſt: nonne primum ſibi ipſi repugnat, cum obiecerit Galeno ſuperius vſurpationem generis ambigui, quippe cùm diſpoſitio dicatur tam de cauſa, quàm de de morbo? Sed ab hoc ipſe facile ſe defendet, id ſe de Galeni ſententia protuliſſe aſſerẽs: quare obiectionẽ diluamus. Dico igitur ea quæ sũt ad aliquid per ſe nõ ſubſtinere, ſed alteri inhærere: vnde duobus conſiderãtur modis, & in collatione cũ altero, & in propria natura: pater, præceptor, & alia conſimilia ſic cõſiderata ſemper ad alterum referuntur, pater ad filium, præceptor ad diſcipulũ: ſed quia relatio hæc inhæret alteri ideſt Socrati, vel Plat. ea ratione pater, & præceptor ſunt in genere ſubſtãtiæ: ſic & cauſa morbi quatenus ad cauſatum refertur, eſt ad aliquid, quatenus in propria natura ſumitur, alterius eſt generis, verbi cauſa plenitudo quatenus eſt cauſa morbi, relatio eſt, quatenus verò humorum redundantia, qualitas quædam humorum, quæ diſpoſitio dicitur. Et propterea cauſa etiã diſpoſitio eſt, quod nos antea, cùm de diſpoſitione egimus contra Fuchſiũ, ita eſſe probauimus. Præterea ſi ſtatuamus cauſam eſſe diſpoſitionem, excludimus ne eam propterea à prædicamento ad aliquid? nonne antea vidimus ex Ariſto. habitum & diſpoſitionem enumerari inter primas ſpecies relationis? cùm verò aſſerit, diſpoſitionem apud Galenum eſſe alterationem, apud Ariſtot. qualitatem, valde decipitur, nam Gale. cùm ait diſpoſitionem alterationem eſſe, alterationem permanentem ait; alteratio autem permanens, vel in termino nihil eſt aliud, quàm qualitas, vt antea quoque viſum eſt.

Ad ſeptimam, recte dictum eſſe morbum primo lædere actiones ſtatim, etiamſi facultas actionis ſtatim præcedat, & ipſa primò lædi videatur. Cap. XVIII.

SEPTIMA obiectio ingenioſa eſt, atq; elegans, & difficile eſt eam diluere, cùm multi viri illuſtres in hoc fruſtra laborauerint, vt oſtendemus. Nos primùm quid dicendum ſit exponemus, deinde aliorum poſitiones diſcutiemus. Quando igitur obijcit Argenterius morbũ non lædere primo actiones, ſed facultatem, à qua prodeũt actiones, poſſumus reſpondere, cùm Gale. morbi definitionem inuenerit à communi notione, quæ apud omnes teſtatiſsima eſt, dediſſe operam, vt eandem notionem in definitione retineret. Vnde & ſi ſciret, morbum primò lædere facultatem, deinde actionem, quia tamen facultas obſcura eſt, actio notiſsima, facultatem prætermiſit, & actionem in definitione aſſumpſit: omnes homines enim cùm ægrotant, conqueruntur nõ de læſa facultate, quæ ipſis eſt ignota, ſed de actionum ſuarum impedimento; quod actionum impedimẽtum cũ ſit definitio notionis, & hæc etiam concurrere debeat cum eſſentiali definitione, includẽdum fuit in hac definitione, vt ab initio demonſtrauimus. Dices non debuiſſe Galenum apponere vocem illam [primo] & difficultatem hanc non peperiſſet, quia reuera morbus non lædit primo actionem, ſed facultatem. Reſpondeo non fuiſſe interpoſitam eam vocem ad diſtinctionem rerum læſarum, ſed lædentium, morbi videlicet, & cauſæ: morbus enim primò lædit: cauſa ſecundariò, & morbi interuentu: poſuit itaque impedimentum actionum in definitione, quia eſt ipſamet definitio notionis, & ideo etiam, quia actio notior eſt, quàm facultas, vnde emanat: quod enim facultas lædatur, & impediatur, rei natura docet: vnde & facultatum quandoque læſarum mentionem facit Galen. Non longe abieris: in primis verbis libri tertij de ſymptomatũ cauſ. ex Fuchſij conuerſione ſic ait:
,, Quamquam ſymptomata, quæ in natu-
,, ralibus tum actionibus, tum facultatibus eueniunt &c. Et ſta-
,, tim poſtea: Caput inuentionis omnium, quæ facultatibus no-

xam

xam inferunt, cauſarum eſt, modi, quo per ſanitatem actiones ,,
ſuas perficiebant, cognitio. En, quomodo apertè Galen. adiun- ,,
git actionibus etiam facultates quandoque: ſed rarò illis vtitur, quia ignotæ, his ſemper tanquam euidentibus. Credo hoc pacto eximi ſcrupulum omnem. Verum ſi rei naturam penitius introſpiciamus, offert ſe alia ſolutio magis accommodata. Dico igitur facultatem integram nihil eſſe aliud, quàm ſanitatem ipſam: & contra facultatem læſam, aut impeditam nihil eſſe aliud, quàm morbum: & ideo non debuiſſe facultatem collocari in definitionibus ſanitatis, vel morbi: nam idem per idem definiuiſſet, & nugationem commiſiſſet. Dicas enim, ſanitas eſt diſpoſitio naturalis, à qua integra prouenit facultas, idem eſt ac ſi dicas, ſanitas eſt diſpoſitio naturalis, à qua prouenit ſanitas. Dicas præterea, morbus eſt diſpoſitio præter naturam lædens facultates, nihil aliud dixeris, quàm vel morbus eſt diſpoſitio præter naturam morbum faciens, vel morbus eſt diſpoſitio præter naturam ſanitatem lædens, quæ aut erit nugatoria definitio, aut nihil docens. Ita ſe rem habere docet Galen. loco tam ſæpe citato de Differen. morb. cap. 2. vbi ait conſtitutionem naturalem omnium partium, & cauſam actionum idem eſſe: & 1. de Tuen. Valetud. cap. 5. aſſerit bonam temperiem ſimilarium, ſitum, numerum, & magnitudinem cauſam eſſe actionum: ſi cauſæ actionum, ergo facultates: nam 1. de Facul. natural. cap. 2. & ſæpe alibi, cauſam actionum facultatem ait appellari: facultas igitur eſt naturalis partium conſtitutio, quæ ſanitas eſt: quod ſi ſic eſt, erit etiam facultas vitiata conſtitutio partium præter naturam, quod nihil aliud eſt, quàm morbus. Cùm tres itaque ſint corporis conſtitutiones, prima ſimilarium partium, quæ temperies dicitur, altera compoſitio, quæ ad organicas pertinet: tertia vtriſque communis vnio, temperies laudabilis erit ſanitas ſimilarium, eademque facultas, à qua ſimilarium prodeunt actiones: decens compoſitio erit ſanitas inſtrumentalium, & facultas, à qua oriuntur actiones: vnio erit ſanitas vtriſq; communis, & facultas etiam actionum vtrarumque partium. Sic contra, mala intemperies erit morbus ſimilarium, & læſa facultas earum, vnde vitiatæ prodibunt actiones: compoſitio præter naturam erit morbus inſtrumentalium, & læſa agēdi facultas: vnio diſſoluta erit morbus vtrique generi partium communis, & communis etiam facul-

tatum

tatum læſio. Ac ſanè ſi rerum naturam inſpiciamus, quantum ſpectat medico, ſenſibus omnia ſubijcienti, alijs non indigemus facultatibus, quàm tribus iam dictis: atque id curatio docet, argumentum magnum Hippocratis: cùm enim uidemus quempiam ægrotantem, & actiones ſuas exercere haud valentem, nihil vnquam aliud agimus, quàm ſi intemperie laboret, vt ad temperiem reuocemus, quod vbi ſumus conſecuti, exercere poteſt actiones ſuas, nec æger, nec medicus tunc decernunt aliunde actionum impedimentum prouenire, quàm ab illa intemperie: ſic ſi ſit indecens compoſitio in aliqua parte impediens actiones, medicus corrigit eam, & actiones reſtituit: non ſecus, ſi diſſoluta continuitas impedimentum in agendo afferat, ſolutionem vniendo partes ad agendum reddet efficaces. Dices actiones omnes ab anima proueniunt, anima igitur erit temperies, cõpoſitio, & vnio. Reſpondeo has non eſſe animas, nec facultates animæ, ſed fortaſſe eſſe inſtrumenta. Verùm hoc ad vnguem quærere, & limare ad tenue nõ pertinet ad medicum, ſed ad philoſophum: ſatis ſit medico in temperie, compoſitione, atq; vnione eſſe agendi vim, atque efficaciam: voces tu hanc efficaciam, facultatem, aut quidquid aliud voles, nunquam rem ſe aliter habere inuenies. Quod dixerimus intemperiem læſam eſſe facultatem, nemini credo admirationem eſſe allaturum, qui paſſim audiat Galenum prædicantem, temperiem eſſe cauſam omnium ferè actionum, & eſſe partium ipſarum eſſentiam, vnde caro eſt caro ob certam quandam quatuor elementorum temperiem, ſic neruus eſt neruus, ſic aliæ partes omnes dicebat primo de Vſu partium c.9. Sed admirabuntur, quòd malam etiam compoſitionem, & ſolutam vnionem dixerim læſas eſſe facultates: attamen deſinent admirari, ſi conſiderabunt facultatem formatricem ita inſtrumenta compoſuiſſe, vt agere poſſent: vnde corrupta ea compoſitione, cùm agere haud poſſint, quam aliam medicus opem allaturus quærat facultatem? quod ſi uideas quæ ſuperius ſcripſimus c.3. facile percipies temperiem, compoſitionem, atque vnitatem tres eſſe facultates, quæ actiones celebrant, & lædunt: & alias nullas à medico conſiderari. Hinc Forliuienſis in 2. Artis med. q. 5. in prin. notandorum, complexionem, compoſitionem & vnitatem, & naturas, & principia ſaltem inſtrumentalia, quibus membra ſuas perficiant operationes, eſſe ait. Sed quoniam hæc

quibuſdam

quibuſdam videbuntur Paradoxa, ut eorum veritas magis elu-ceat, uideamus quid alij ſcripſerint, ac primò ab Alexandrino incipiamus, qui primus Galeni ſuſcepit patrocinium.

Quid ad ſeptimam obiectionem reſpondeat Alexandrinus, & eius confutatio. Cap. XIX.

CREDENDVM eſt Herculem domandis monſtris, plectendis latronibus, alijsque ſceleratis hominibus, exſiccandis paludibus, ac toto denique orbe expurgando multum ſubijſſe moleſtiæ, laborumque, ſed æquo animo & libenter omnia pro communi omnium ſalute pertuliſſe. Quod ſi parua magnis conferre licet, ego etiam in expungendis erroribus tam eorum, qui Galenum accuſant, quàm eorum, qui ſe eius ſectatores, ac defenſores faciunt, cùm tamen eum haud intelligant, tantum interdum percipio moleſtiæ, vt niſi me ſpes benemerendi de ſtudioſis artis medicæ, & de toto humano genere recrearet, fuerim quandoque ab incœpto deſiſtendi conſilium initurus: ac ſanè, ſi putaſſem tantum mihi negotij fuiſſe exhibituros Galeni defenſores, quantum calumniatores, aggreſſus non eſſem hanc prouinciam viribus meis imparem, in qua nullus eſt, qui plus mihi faceſſat negotij, quàm Alexandrinus: nam cùm hoc mihi magnopere laborandum eſt, vt quid velit, percipiam, adeo durus, inuolutus, & varius eſt: & mirum eſt hunc uitio dare Argenterio, quod ab illo longe abeſt, & in ipſo maximum eſt. Argenterium ait non minus turbido eſſe ſtylo, quàm ingenio, ut haud ſatis explicare poſſit, quod ſentit, quòd uitium ſanè in Argenterio locum non habet, cùm planiſſimus ſit, & dilucidiſſimus, ſed ſolet vir hic facile in id incurrere, quod in alijs reprehendit, unde cùm in procœmio defenſionum Antargentericorum afferat, quæ prolixius, & extra rem propoſitam ſcribuntur, non admitti, reſpui, & ſtomachum mouere: ipſe tamen in eodemmet procœmio quadraginta integras paginas inquinat, quibus nihil penitus docet. Quod ſicubi obſcurus eſt, ſcabroſus, atque implicatus, eo maxime vitio peccat in reſponſione ad ſeptimam Argenterij obiectionem: vnde ſi velim aperte explicare, quomodo in

Antar-

Antargentericis diluat obiectionem illam, morbum non lædere primò actiones, quippe cùm primò lædat facultates, quomodo Argenterius in Reinero eius reſponſionem euertat:& quomodo tandem ipſe in defenſione Antargētericorum, veluti ſæpia ſparſo atramento, conetur effugere Argenterij argumenta,& addere omnium confutationem, ſcribendum erit integrum volumen, quod & mihi, & legentibus moleſtiam pariet: dabo itaque operam, quo ad eius fieri poterit, vt & breuiter, & euidenter proferam, quæ ad argumentum pertinent, illis omiſſis, quæ extra argumentum ſunt. Negat itaque morbum lædere facultatem, & facultatem læſam actiones, cum aliter ſe habeat res in ſtatu naturali, aliter in præternaturali: in ſtatu enim naturali actionem ſemper præcedit facultas, & facultatem eſſentia aliqua, à qua facultas prodit, ex. gr. temperies: in præternaturali uerò actionem facultas non præcedit, ſed vnà facultas & actio læditur, vnde nihil aliud eſt facultas læſa ab actione læſa. Id patere (ait) ex Gale.in lib.de Diff.morb.c.5. aſſerente imbecillitatem nihil eſſe aliud, quàm infirmitatem in agendo: quia cùm ſub hac voce imbecillitatis comprehendatur debilitas & facultatis,& actionis, ſequitur læſam facultatem,& actionem idem eſſe, quare falſum eſt, morbum primò lædere facultatem, deinde actionem.

Præterea morbi quidam proculdubio lædunt actiones, nulla illata facultatibus offenſa, meritò igitur dixit Gale. morbum primò lædere actiones, omiſſa facultatum mentione. Rem ita eſſe patet in veſicæ calculo, impedit enim actionem veſicæ, nulla illata facultati offenſa. Duobus his modis reſpondet, & quoniam in prima reſponſione negat in conſtitutionibus præter naturam facultatem actionem præcedere, ſed facultatem læſam, & actionem idem eſſe, atque id in Reinero euidentiſſime redarguit Argenterius, ipſe in defenſione Antargentericorum aliud commentus eſt effugium, aſſerens actiones non eſſe facultatis, vt quæ ſimplex ſit, ſed totius compoſiti, quare actio à facultate læſa non læditur, ſed à compoſito, quemadmodum & actio naturalis non à ſimplici facultate, ſed à toto compoſito prodit: quapropter ſi qua eſt facultas agendi, hæc ſemper inhæret corpori, & unà cum eo læditur, & nunquam ab eo diuellitur, & propterea inter affectum corporis, & actionem læſam media non interuenit. En quomodo ſicuti ante aſſerebat, facultatem læſam, & actio-

nem læſam ſimul cohærere, nunc aſſerit facultatem læſam cum affectu corporeo eſſe coniunctam, & ab eo diuelli non poſſe.

Licèt autem hæc magna ex parte refutauerit Argenterius, afferam tamen & ipſe nonnulla in medium ad retegendam eorum abſurditatem. Cùm itaque negat in conſtitutionibus præter naturam, facultatem læſam cauſam eſſe actionum læſarum, magno in errore uerſatur, & ne cogar idem ſæpe repetere, in digreſſione aduerſus Valeriolam id demonſtrabo ex multis Galeni locis a Valeriola propoſitis: cùm id probat ex voce imbecillitatis, totum id contra ipſum eſt: nam Galen. & ibi, & primo Method. imbecillitates ait eſſe intemperaturas, intemperaturæ autem nõ ſunt actiones debiles, vt aſſeuerabant Methodici, ſed cauſæ potius actionum debilium. Cum etiam negat in calculo lædi facultatem, licèt actio lædatur, falſum eſt, quia læditur conformatio, quæ aut ipſamet eſt facultas, aut facultatis cauſa, ut poſtea videbimus. At quis eum ferat negantem a facultate prodire actiones? nonne dum vocem vnam Galeni nititur tueri, totam eius diſciplinam, & rei naturam euertit? hinc enim ſequitur, facultatem nomen eſſe inane, & fruſtra eſſe ſcriptos libros de facultatibus naturalibus, & de facultatibus alimentorum, & medicamentorum tam ſimplicium, quàm compoſitorum. Compoſitum eſt (inquit) quod agit: at quæro, habeat ne compoſitum facultatem agendi: ſi neget, agere non poterit: quare deſtruentur actiones, & compoſita hæc nihil agent: ſi affirmet, dogma ſuum prodet, nam hoc pacto actiones à facultatibus prodibunt: ac cùm dicat facultatem à corpore diuelli non poſſe, quæro, quid intelligat pro diuelli: nam ſi intelligat facultatem ſeparari à compoſito, & per ſe ſubſiſtere, vt hic primum occurrat compoſitum, illic deinde facultas, hoc concedo: ſed ſi intelligat pro diuelli, facultatem habere propriam naturam, & eſſentiam a ſubiecto diſtinctam, atque hoc neget, ualde decipitur: nam ſi eſſentiam non habeat a ſubiecto diſtinctam, idem erit cum ſubiecto: & cùm ſubiectum corporeum ſit, facultas etiam erit corporea, quod ueritati repugnat, & ipſi etiam Alexandrino, qui facultatem ſubiecto inhærere ſemper affirmat. Ex his etiam ſequetur, actiones à re corporea edi, contra quam antea ſtatuerimus, cum auctoritate Peripateticorum oſtendimus, corporis actiones per incorporea celebrari: ſi facultas itaque habet eſſentiam à compoſito diſtin-

ctam,inter affectum corporis,& actionem læſam media interue-niat neceſſe eſt, niſi dicas facultatem læſam, & affectum corporis idem eſſe: at huc penetrare non potuit Alexandrinus. Omitto implicationes illas, quæ minime cohærere poſſunt, nam ſi læſio compoſiti idem ſit, quod læſio facultatis,& læſio facultatis idem quod læſio actionis, ſequetur morbum, læſam facultatem, & læ-ſam actionem idem eſſe: cum autem omnia hæc ſint abſurda, Argenterij argumentum conuellere haud queunt. Sed ad alios tranſeamus.

Quomodo reſpondeat Fuchſius: quid iterum aduerſus Fuchſium afferat Argenterius: & quid ad Argenterium dicendum ſit. Cap. XX.

FVCHSIVS aliqua ex parte vidit, quid ſit dicen-dum in difficultate hac: aſſeruit enim temperiem eſſe facultatem, à qua primò proueniunt actiones partium ſimilarium, & naturam etiam vocari, ex qua aſſertione licet redarguere argumentum Argenterij in morbis partium ſimilarium, ſicuti nos fecimus, quid in alijs morbis ſit dicendum iam docui. Sed quoniam Argenterius in Arte me-dica iterum nititur hoc dogma deſtruere, quòd temperies ſit fa-cultas,videamus, quomodo id faciat, & quomodo eius redargu-tiones ſint refellendæ: proſequar autem ea tantum, quæ ad dog-ma propoſitum deſtruendum ualent: nam quæ ſolùm Fuchſium attingunt,omittam. Vnde cùm dicitur, facultatem eſſe tempe-raturam, ſic arguit: ſi facultas eſſet temperatura, ſequeretur fa-cultatem vitalem,animalem, naturalem eſſe temperaturas: quod ſi temperaturæ ſint, appellabuntur etiam, vt appellantur tempe-raturæ,vel temperatæ,vel calidæ,vel frigidæ, vel humidæ, uel ſic-cæ: atque hoc uidetur deducere Argenterius tanquam abſur-dum, & vſui repugnans, ſolemus enim dicere facultates validas & robuſtas, aut languidas & imbecillas, non temperatas, aut in-temperatas, calidas, aut frigidas, humidas, aut ſiccas. At re-ſpondeo ego non repugnare rei naturæ, quòd dicamus, faculta tem naturalem, vitalem, vel animalem eſſe temperatam, uel ca-lidam, uel humidam, uel frigidam, & tandem totidem modis,

quot

quot modis tēperaturam uocamus;at hoc non eſt uſitatum,cum partē potius facultate præditam vócemus tēperatā,aut intēperatā,quàm facultatē ipſam : reuera tamen facultas ipſa temperata, & intemperata eſt,immo verò ipſamet temperies,vt demonſtratū eſt:& Gale.1.de præſag.ex pulſ.cap.4. facultatem vitalem apertiſſime aſſerit eſſe cordis temperiem. Idem 1.de ſympl.med.c.1. facultas (inquit) cauſa quædam eſt effectrix, eaque partim actu, partim futuro tempore: actu, vt calefaciendi in igne, refrigerandi in glacie: in futuro autem, vt calefaciendi in pirethro, refrigerandi in mandragora: quis neget hic facultatem ignis, glaciei, pyrethri, & mandragoræ eſſe eorundem temperiem? vt itaque dicimus ignis temperaturam, & pyrethri calidam eſſe: glaciei & mandragoræ frigidam, quid vetat, quin dicamus, facultatem ignis, & pyrethri eſſe calidam, glaciei & mandragoræ frigidam? ſic tamen loqui non ſolemus, quando nomine facultatis vtimur: ſed dicimus ignem, & pyrethrum habere facultatem calefaciendi, vel ignem, & pyrethrum eſſe calida facultate, glaciem verò, & mandragoram facultatem habere refrigerandi, vel facultate frigida eſſe: ſed idem eſt. Et quia Fuchſius dixerat, facultatem non ſolùm eſſe temperiem, ſed naturam, quia natura, & temperies vnum ſunt, atque idem. Contra arguit: ſi facultas eſt natura, ſequetur facultatem animalem, vitalem, naturalem eſſe naturam. Hinc puto Argenterium duo abſurda inferre voluiſſe: primum quia dicemus naturam eſſe naturam, quæ nugatio eſt: alterum, quia tolletur tripartita diſtinctio facultatum, nulla enim erit vitalis, nulla animalis, ſed ſola naturalis. Facile diluitur hoc obiectum, quia natura bifariam capitur, primo generice, atque hoc pacto complectitur omnes facultates, deinde ſpeciatim, quatenus pertinet ad vegetalem tantummodo facultatem. Generica itaque illa conuenit omnibus, vnde non repugnat dicere facultatem vitalem eſſe naturalem, animalem eſſe naturalem, & naturalem etiam eſſe naturalem, quòd quam ſit verum inde patet, quòd cùm quælibet ex his facultatibus bene ſe habet, naturaliter eam ſe habere dicimus, cùm male, præter naturam: & ſanitas eſt diſpoſitio naturalis tam membrorum dedicatorum facultati animali, quàm vitali, quàm etiam naturali: & morbus eorundem omnium diſpoſitio præter naturam eſt, neque ſic tollitur tripartita illa di-

D ſtinctio:

ſtinctio: nam large ſumendo naturam, vnaquæque facultas naturalis dicitur. Sic inſtat præterea, Galen. ait facultatem,& naturam eſsentiam ſuam in temperie obtinere, vnde non ſequitur facultatem eſse temperaturam, nam ſi id ſequeretur, ſequeretur etiam, qualitas in corpore eſt, ergo qualitas eſt corpus: argutus ſanè & acutus éſt Argenterius, qui cùm obiectionem ſuã ſuſtinere non poſſit, cauillis & argutijs eam ſuſtinere nititur. Sed reſpondetur, aliud eſſe, cùm dicimus facultas obtinet eſſentiam ſuam in temperamento, aliud cùm dicimus, qualitas eſt in corpore, cum aliud ſit habere eſſentiam in aliquo, aliud ſimpliciter in aliquo eſſe, quod enim in aliquo eſſentiam habet, id eſt à quo habet eſſentiam, quod verò eſt in aliquo abſolute, non ſemper id eſt, vt vidimus contra Vegam, immo verò ea ferè omnia, quæ in aliquo ſunt tanquam ſpecies in genere, id ſunt, in quo ſunt, atque hoc ideo, quia ſpecies in genere eſſentiam habet. Arguit præterea Argenterius 1. de Facul. natural. cap. 4. aſſerit Galenus, cùm cauſam actionis ignoramus, nos nomine facultatis vti, atqui ſi facultas eſſet temperies, non opus eſſet vti nomine hoc rem ignotam indicante, cùm temperies ipſa nota ſit. Reſpondeo ex eodem Galeni loco patere, facultatem ſæpe notiorem eſſe, quàm ſit temperies: nam ſi facultas eſt cauſa efficiendi actiones in vnaquaque parte corporis, & vnaquæq; actio à ſua cauſa efficiente prodit: quis non videat nomen facultatis eſſe notiſſimum? notius verò eſſe temperie, patet ex adductis à Galeno exemplis: nam in uenis notiſſimum eſt eſſe facultatem producendi ſanguinem, in ventriculo coquendi cibum, & potum, in corde pulſandi, an verò iſta facultas temperies ſit, non adeo notum eſt, immo verò apud multos ambignum, & præſertim apud ipſummet Argenterium: patet hoc idem ex primo de cau. pulſ. capit. 2. Vrget demum ſic, Galen. 1. de Facutatibus natural. & 1. de ſimpl. med. ait facultates naſci à temperamentis, quod ſi ſic, facultas non erit temperies, ſed effectus temperiei, vnde temperies non erit facultas, ſed facultatis cauſa. Ego nuſquam inuenio ſic loquentem Galenum, nec inueniri poſſe puto. Sed quia Valeriola etiam nititur plurimum hoc argumento, & citat Galeni locum accommodatiorem, videbimus tunc quid ſit dicendum. Satis hæc eſſe poterant pro diluenda ſeptima Argenterij obiectione. Videamus, quid etiam

Valeriola

Valeriola ſenſerit de facultatibus: nam in eius opinione diſcutienda dogma hoc magis ſtabilietur, quod nunc propoſuimus, & confirmabitur, quod ab initio dixi, non eſſe in aliis multum ſtudij ponendum, quàm in Galeno.

Digreßio aduerſus Valeriolam, qua demonſtratur facultatem non eſſe effectum temperamenti. *Cap.* XXI.

SCRIPSERAT Valeriola in ſuis commentariis in quintum librum de ſymptomatum cau. cap. 2. facultatem interdum cauſam eſſe vitiatæ functionis: contra quem ſcripſit Marinus Leporæus, & propoſitionem hanc eſſe falſam probauit hoc argumento: ſi facultas eſſet cauſa vitiatæ actionis, ſequeretur facultatem eſſe morbum, cùm morbus vitiatæ functionis cauſa ſit. Huic reſpondet Valeriola multis capitibus in lib. reſponſionum ad obiecta 5. lib. reſp. 3. pri mò enim declarat, quid ſit facultas, multisq; Galeni locis demonſtrat, facultatem aut eſſe temperamentum, aut in temperamento eſſentiam habere: quod idem eſt (vt vidimus) & tota hæc pars à me eſt: deinde declarat, quæ nam ſint facultatis actiones, & opera, ex 1. de Facul. natural. atque id rectè, poſtea quæ nam ſint facultatis cauſæ, ex 3. de Temperam. cap. 1. atque ex eo loco colligit, temperiem eſſe cauſam facultatis: qui locus eſt valde accommodatus ad Argenterij ſententiam confirmandam, facultatem non temperamentum, ſed temperamenti effectum eſſe aſſerentis, cuius ſententiæ refutationem in hunc locum reieci. Sic itaque ait Galen. Illud potius definiamus, cuius vtique demonſtra- ,,
tio, cùm de naturalibus potentiis agemus, tradetur. Ex hypo- ,,
teſi nunc quoque propoſitorum cauſa eo vtimur: quatuor nimi ,,
rum dicentes totius corporis proprias facultates eſſe, vnam ido ,,
neorum tractricem, alteram eorum omnium retentricem, ter- ,,
tiam alteratricem, & quartam, quæ alieni ſit ſegregatrix. Eaſ- ,,
demque facultates effectus eſſe totius in quouis corpore ſubſtan ,,
tiæ, quam etiam conſtare ex calido, frigido, humido, ſicco inter ,,
ſe miſtis dicimus. Hoc adducto loco ſic ſtatim infert Valeriola.
An non hac ſerie Galenus facultatum noſtri corporis omnium ,,

» cauſam eſſe ipſam totius corporis ſubſtantiam ex elementorum
» commoderatione conſtantem apertiſſime affirmauit? dum facul
» tates effectus quoſdam eſſe totius in quouis corpore ſubſtantiæ
» aſtruxit: ſi enim facultates ſubſtantiæ corporis hoc eſt probæ ele
» mentorum commoderationis, quam corporum ſubſtantiam eſſe
» perpetuo vult Galen. effectus ſunt: erit igitur commoderatio
» ipſa ſeu temperies facultatum cauſa: id vt intelligamus, hæc ſe
» quatuor mutuo complexu coniungere, nempe temperiem, facul
» tatem, actionem, & opus. Temperies facultatem parit, facultas
» actionem, actio opus. Solet Valeriola in citandis authoribus
græcis citare & verba græca, & interpretationẽ apponere, quod
ſi feciſſet & hoc in loco, appareret quantum ſit alienus ab eius
propoſito: non enim ait Galen. facultates iſtas eſſe effectus tem-
peramenti, & valde hallucinatus eſt interpres, qui hunc ſenſum
» ex verbis illis elicuerit, quæ ſic habent: εἶναί τε τὰς αὐτὰς δυνάμεις ὅλης
» τῆς οὐσίας ἑκάστου τῶν σωμάτων, ἣν ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ κεκρᾶσθαι φαμέν:
» ait Galenus has, de quibus verba fecerat, facultates eſſe totius
ſubſtantiæ, quæ temperamentum eſt quatuor primarum quali-
tatum: vnde meo iudicio aliud eſt dicere quatuor facultates na-
turales ſunt effectus temperamenti: aliud quatuor facultates na
turales ſunt temperamenti, hoc eſt eſſentiam habent in tempe-
ramento: primo enim modo ſequitur, quod vult Valeriola tem
peramentum facultatem efficere, atque hoc pacto facultas eſt à
temperamento diuerſa, ac ſeparata, vnde meritò eius effectus
dici poteſt, ſicuti actio eſt effectus facultatis: ſecundò modo ſe-
quitur temperamenta in ſe vim habere agendi, vnde illa vis, & fa
cultas non eſt a temperamento ſeparata, immo verò ipſummet
temperamentum. Et hoc in re ſenſui magis expoſita licèt intue
ri: dicimus lactucam vim ac facultatem habere refrigerandi, at-
que humectandi: quis dicat hic, facultatem refrigerandi, atque
humectandi ſeparatam eſſe, & diuerſam à temperatura lactucæ?
quis non videat actionem hanc refrigerandi atque humectandi
prodire ſtatim à temperie frigida, atque humida lactucæ? Qua
re facultas hæc non eſt effectus temperaturæ, ſed ipſamet tempe
ratura: & ideò puto, Valeriolam oſcitanter nimis conſideraſſe
eum locum: nam etiam ſi Galen. locutus eſſet eo modo, quo ci-
tatur, non debebat ſtatim acquieſcere, cùm locos multos in ver
bis ſtatim eum locum præcedentibus adduxerit huic repugnan-

tes,

tes quibus Galen. aperte pronuntiat, facultatem eſſe temperamentum, aut eſſentiam ſuam in temperamento habere: ac primùm ſibi ipſi conciliandus erat Galenus. Vidit quidem & ipſe in prima reſponſione ad obiectiones ſexti libri eam in Gale. repugnantiam, conatusque eſt eam conciliare: at ſi rectè locum intellexiſſet, nullam adeſſe repugnantiam deprehendiſſet: non eſt igitur hic locus à Valeriola, & puto Gale. idem voluiſſe ſignificare: quod expreſſit in lib. de plenitudine c. 3. facultatum ſubſtantiam eſſe temperamenti proprietatem. Atque hic ſanè Valeriola & dogmatum Galeni, & ſui ipſius valde videtur obliuiſci: quomodo enim audet pronunciare facultates eſſe effectus temperamenti, ſi multos antea ſtatim locos adduxit, quibus demonſtratur, facultates eſſe temperamenta: & in 1. Reſponſionum obiectionum ad ſextum lib. ſic ex multis locis adductis, quos de induſtria prætereo concludit. Ex his puto ſatis conſtat, facultatum ,, eſſentiam ſecundum Galen. in temperie ipſa partium conſiſtere, ,, immo potius ipſammet facultatẽ nihil eſse aliud quicquam, præ ,, ter ipſam temperiem. Hanc inconſtantiam præ ſe ferunt, qui verè dogmata non poſſident, ſed ad rem noſtram.

Valeriola probat facultates eſſe cauſas læſarum actionum, nec tamen eſſe morbos, eiuſque opinionis confutatio. Cap. XXII.

HIS explicatis aggreditur Valeriola tertium caput diſputationis ſuæ, in quo accedit ad diluendam obiectionem: & multis Gale. locis ait ſe demonſtraturum, facultatem eſſe interdum cauſam vitiatarum actionum, & tamen non eſſe morbum. Videamus an loca adducta vtrumque præſtent: nam quod ex ijs locis conſtet, facultatem eſſe cauſam læſarum actionum, nemini dubium eſſe debet, an verò facultas illa, quæ actiones lædit, ſit morbus, an non, haud tam plane conſtat: & in hoc noſtra erit maior difficultas. Expendamus itaque vnumquemq;, ac cùm duos faciat congreſſus cum aduerſario, atque in primo quatuor Galeni citet teſtimonia, incipiamus à primo congreſsu, & à quarto teſtimonio magis rei difficultatem aperiente. Quartum teſtimoninm

ſumitur ex 3.de ſympt. cau.cap.1.vbi Gale. proſequitur ſymptomata concoctionis à ventriculo celebratæ, quorum cauſam ſubinde refert in alteratricem facultatem, quare primum propoſitum ex eo loco aſſequitur egregie Valeriola, facultatem ſcilicet cauſam eſſe vitiatarum actionum: ſecundum uerò, id eſt non ideo facultatem eſſe morbum, tantum abeſt, vt aſſequatur, quod potius contrarium colligatur: nam ſi ſymptomatum eo in loco concoctionis in ventriculo cauſam eſſe Galen. ait facultatem alteratricem aberrantem, ſtatim concludendum eſt, aberrationem facultatis eſſe morbum: nam ſymptomatum cauſæ ſunt morbi. Sed progrediamur. Aberrationem hanc prouenire ait vel à facultate affecta, vel ab externo errore: facultatem affici, vel in propria eſſentia, aut per aliquem morbum organicum. Externas cauſas relinquamus, de quibus dabitur alia occaſio loquendi: noxæ in propria eſſentia ſunt intemperies: cùm itaque laborat ventriculus intemperie facultas concoctrix in propria eſſentia noxam ſubit: cùm verò morbis organicis afficitur, facultas non eſt uitiata, ſed impedita. Credo nullum eſſe locum opportuniorem, ad demonſtrandum facultatem læſam eſſe morbum, & eſſe intemperiem: nam ſi facultas concoquendi in uentriculo læditur in propria eſſentia, cùm ventriculus intemperie laborat, ſequitur eſſentiam huius facultatis eſſe temperiem, & cùm læſio in eſſentia eius ſit intemperies, ſequitur læſam & vitiatam facultatem nihil eſſe aliud, quàm intemperiem, & morbum. Contra ſe itaque teſtimonium hoc produxit. Tertium teſtimonium ſumitur ex primo de ſympt.cau.cap.1.& 2.vbi cùm quæreret Gale. cauſas uitiati ſenſus, tres retulit: primam cùm affectum eſt primum ſenſus inſtrumentum, ueluti humor chryſtallinus in viſu læſo: alteram, cum ſentiendi potentia: tertiam, cùm læſa eſt pars aliqua ex ijs, quæ præbent vſum. Satis fuit Valeriolæ inueniſſe, potentiam eſſe cauſam vitiatæ actionis, nec ſtudium aliquod poſuit ad demonſtrandum læſionem illam potentiæ morbum non eſſe, quod præcipue faciendum erat ad refutandum Leporæi argumentum. Sed videamus nos, quid de hoc ſit dicendum. Ac primum dicimus, duas tunc facultates eſſe conſiderandas: alteram ipſius inſtrumenti, alteram aliunde demiſſam, veluti in oculo, vt viſionem celebret, concurrit gemina facultas, altera ipſius humoris chryſtallini, quam dicimus probam eius eſſe tēperiem,

alteram à cerebro per ſpiritus tranſmiſſam. Dico igitur, ſi tranſmiſſa facultas ſit in cauſa ſymptomatis, quod tunc erit morbus per conſenſum, de quo ſuo loco: ſed ſi facultas ea noxam ſubibit in propria eſſentia, ideſt in temperatura, & laboret intemperie, tunc læſa facultas morbus erit, quia intemperies. Idem dixeris de facultate altera inſtrumenti propria: nam ſi humor chryſtallinus afficietur intemperie, hæc erit morbus, & facultas læſa. In ſecundo teſtimonio ex lib. de ſympt. diff. cap. 4. refert Galen. ſymptomata actionum naturalium in facultates, de quibus etiam dicendum, ſi membra intemperie laborabunt, facultas erit læſa in propria eſſentia, & ſic facultas læſa morbus erit.

In primo ex lib. eodem cap. 3. vbi ait facultatem cogitatiuam cauſam eſſe deprauatæ ratiocinationis, idem dicendum, ſi tunc cerebrum laborabit intemperie, facultas illa lædetur in propria eſſentia, & morbus erit. Licet & hic perpetuam Valeriolæ ſtupiditatem, atque ignorantiam annotare: cùm enim Leporæus neget facultates eſſe cauſas læſarum actionum hoc argumento, quia ſi eſſent cauſæ læſarum actionum, ſequeretur, facultates eſſe morbos: duo erant demonſtranda Valeriolæ, primum facultates eſſe cauſas læſarum actionum: ſecundum non tamen inde ſequi, facultates eſſe morbos, & ipſe pollicetur hæc duo ſe demonſtraturum: at in his quatuor locis de primo tantum mentionem facit, de ſecundo ne verbum quidem, ni fortaſſe voluit quatuor loca adducta per ſe loqui: atqui demonſtrauimus nos omnia hæc contra eum loqui. In ſecundo congreſſu alia adducit loca eodem errore, & ſtupore: nam ex locis illis demonſtratur quidem, facultatem lædere actiones, non demonſtratur tamen, facultates non eſſe morbos, quod potiſſimum demonſtrandum erat, immo verò ſi rectè conſiderentur, apparebit etiam ex hit, facultates læſas eſſe morbos, quod ego ob nimiam prolixitatem omitto: atque hi ſunt loci, quibus ante aduerſus Alexandrinum dicebam, eum in errore verſari, cùm Galenum negat in conſtitutionibus præter naturam aſſerere, facultatem læſarum actionum cauſam eſſe.

Valeriolæ opinio, quòd facultates non lædant primò, & per ſe actiones, eiuſque confutatio. Cap. XXIII.

HIS poſitis, & conſtitutis venit tandem Valeriola ad ſoluendum Leporæi argumentum, & præſtat, quod prætermiſit in locis adducendis: nam vnico verbo probat facultates læſas, de quibus hactenus, morbos eſſe non poſſe, ſoluendo vim argumenti, quæ erat, lædunt actiones, ergo morbi: & ſolutio eſt, facultates non lædere primo & per ſe, morbi autem primo & per ſe lædunt: aſſerit autem facultates lædere actiones morborum interuentu, idque patere ex locis Galeni ante citatis: quantum ad loca ante citata iam vidimus contra ſeſe habere, ſed perpendamus hanc ſolutionem. Facultas (inquit) non primo, ſed morbi interuentu actiones lædit, non ergo eſt morbus: atqui dixerim ego, ea, quæ lædunt actiones morborum interuentu, cauſæ ſunt morborum: facultates itaque iſtæ læſæ, aut impeditæ, cauſæ erunt morborum: vnde cùm ſint tria genera morborum intemperies, incompoſitio, & vnionis ſolutio, læſa facultas horum morborum erit cauſa, quo nihil dici poteſt abſurdius, & repugnantius: atque hoc totam eius doctrinam inuertit: cùm enim ante ſtatuerit temperiem eſſe cauſam facultatum, & facultates actionum: nunc contra dicendum eſt facultatem cauſam eſſe intemperiei, & intemperiem cauſam vitiatarum actionum. Præterea rei naturæ repugnat, interponere quippiam inter facultatem, atque actionem, cùm ad ſeſe inuicem referantur. Præterea ſi datur nouus hic ordo, vt facultas pariat morbum, & morbus lædat actiones, proferendũ eſt vnicum, quod id doceat, exemplum. Experiamur, id nos in aliquo ex adductis locis, læditur actio concoquendi in ventriculo, cùm læditur eſſentia facultatis, læditur facultatis eſſentia: cùm ventriculus laborat intemperie: ſi dogma ſuum tueri vult Valeriola, neceſſe eſt, dicat, læſionem facultatis concoctricis in propria eſſentia eſſe cauſam intemperiei: oportebit igitur ſeparare facultatem ipſam à ſua propria eſſentia, & dicere, quòd ipſa facit intemperiem, quod quàm abſonum ſit, ſtultus etiam intelligat. Hæc dicenda ſunt, cùm aſſerit Valeriola facultatem lædere actiones non primo, & per ſe, ſed morborum interuentu:

verùm quia uarie loquitur, ut qui nihil firmi poſſideret,& dicere uidetur facultatem laceſſitam, & irritatam interdum eſſe cauſam malarum functionum, & non tamen eſſe morbum: uideamus & hic quid dicendum ſit. Facultas inquit, & ſi ipſa regundo corpo ,, ri tanquam dux præficitur, morbo tamen aliquo irritata male ,, munia ſua obit,officia inuertit,& aliorſum,quam pro naturæ mo ,, do operatur: atqui bone uir ſi tũc facultas male fungitur officio, quoniam a morbo irritatur,neceſſe eſt morbum primò lædere facultatem, deinde actiones. En quomodo intra paucas lineas dogmata contraria doceat: nam ſimul ait læſam facultatem eſſe morbi cauſam,ſimul morbum eſſe cauſam læſæ facultatis, ex quo ſecundo dogmate Argenterij opinio aſſeritur, qui morbum primò lædere vult facultates, deinde actiones: fruſtra itaque tam longa oratione laborauit Valeriola in refutando Leporæi argumento, quod remanet inconcuſſum:nam ueriſſimum eſt, ſi facultas lædat actiones,facultatem eſſe morbum. Ac quod Leporæus, & Valeriola habent pro maximo incommodo, habẽdum eſt pro commoda difficultatum explicatione. Inde enim ſequitur facultates læſas eſſe morbos ipſos, & morbos ipſos primò lædere actiones, contra quam arguit Argenterius. Ac ut ſemel finiam, cùm morbus ſit diſpoſitio, uel conſtitutio præter naturam, vel cauſa læſarum actionum, & cauſa læſarum actionum ſit facultas læſa, vnuſquiſque morbus uocari poteſt diſpoſitio, conſtitutio præter naturam, cauſa læſarum actionum, & facultas læſa, uel impedita. Ac rem ita ſe habere ex antea demonſtratis perſpicue vnicuique patere arbitror, vnde falſum eſt morbum primò lædere facultates,vt obijciebat Argenterius.

Ad octauam, cauſam non poſſe lædere actiones primò. Cap. XXIIII.

SED ad octauam veniens obiectionem,cauſam lædere primo actiones,non interueniente morbo,cõſtanter nego: & licèt nimia alimentorũ copia cõcoqui haud poſſit à ventriculo: nõ ideo aſſeuerandũ eſt,læſam eſſe actionẽ concoquendi: nam vitium eſt in obiecto inhabili,atq; minime idoneo cõcoctioni:cùm.n.ſcribat Gal. 1.de Diff.feb.c.4.

& in

& in lib.de cau.morb.cap.2.nullam cauſam ſine patientis aptitudine agere poſſe,non eſt mirum,ſi facultas concoctrix ventriculi non poteſt concoquere alimentum ſuperãs, atque obruens facultatem. Vidit hanc difficultatem & Galen.ipſe, atque explicauit: mirorque Argenterium,Alexandrinum,& Fuchſium,qui de hoc contendunt,non conſideraſſe eum locum. Gale.primo de Loc. affec.in fine c.tertij, dubitat an actio concoquendi in ventriculo læſa dicatur,quando cibi vitioſi ingeruntur,& corrumpuntur:in cap.4. uerò dubium ſoluit hoc modo. Cibos quidem eos non fuiſſe concoctos, non ideo tamen læſam fuiſſe actionem concoctricem. At ſic loquentem ipſum de huiuſmodi cibis audiamus.
„ Igitur cibos in his non bene fuiſſe cõcoctos nemo negat, quam-
„ uis ex hac re ventriculus haud quaquam fuerit affectus, neque
„ etiam quod ad ipſius rationem pertinet, circa actionem errauerit,
„ haud aliter quàm vbi quis integros acinos per aluum deiecerit.
„ Si enim humani ventriculi officium eſſet, acinos tranſmuta-
„ re, accuſaremus ob hoc vẽtriculi corpus, ipſumque vitiatum eſſe
„ putaremus: cùm verò id ſui muneris non ſit, ſed acinorum eſſen-
„ tiæ accidat, vt concoqui nequeant, haud ab re dicemus,hos qui-
„ dem non eſſe concoctos, ventriculi verò corpus naturaliter ſeſe
„ habere: hinc patet, licèt acini non concoquantur, uenrriculum
„ tamen non eſſe affectum,& nullam actionem læſam eſſe. Vt hoc cum Eraſiſtrato conſentiat, qui aſſeuerabat acinos, ſiſama, & reliqua, quæ haud immutata excernuntur, vt quotidie in ægris, & ſanis licet obſeruare, quæ enim dentium operam effugiunt, & in ventriculum integra dilabuntur, veluti paſſulæ, carnium fruſtula,herbarum folia, ceraſiorum,nuclei, integra etiam excernũtur, aſſeuerabat inquam, nullam indicare eſſe factam in animali inconcoctionem, uel cruditatem, ſed ipſa duntaxat non fuiſſe concocta: vnde ſignificabat non eſſe illud vitium facultatis concoctricis, ſed acinorum ipſorum. Quod ſi verba illa Gale. [ſed acinorum eſſentiæ accidat] vertas, vt iacent in Græco [ſed acinorum eſſentiæ ſymptoma ſit] id euidentius patet, cùm uitium id non actionis concoquentis, ſed acinorum ſymptoma uocet. Inſtat iterum Argenterius in commentario in Artem Medicam,adductis enim ex Gale.3. de ſympto.cau. cap.1. verbis his: Neque
„ enim ſolum noſſe conuenit, num uentriculus nihil omnino con-
„ coxerit, ſed quamobrem ita eueniat, ſciendum eſt, an ob uehe-

mentem

mentem coctricis potentiæ imbecillitatem, an ob immodicam ,,
multitudinem, an ob prauam aliquam ciborum qualitatem, ,,
quippe ſi ciborum cauſa ſymptoma acciderit, facilè corrigitur. ,,
Statim ſubdit contra Fuchſium Galeni defenſorem uerba hæc: ,,
Quid clarius vult Fuchſius, vt intelligat actiones ſymptomaticas ,,
fieri materiæ ratione, & non ſolùm à morbis, aut facultatibus ui ,,
tiatis? At facile diluitur hæc obiectio, quia tunc non eſt concoctio celebrata ob materiam ineptam coctioni, quare illud non eſt ſymptoma læſæ functionis, immo ſi ſymptoma eſt, eſt ſymptoma cibi ipſius non idonei: vnde colligitur nihil concludere Argenterium hic, cùm ait cauſas lædere actiones primo ſine morbi interuentu, & ideo vocem illam [primo] eſſe ſuperuacaneam. Et aduertendum eſt, ſic ſtatuendum eſſe non ſolùm cùm immodica quantitas exhibetur, ſed cùm mala etiam qualitas, & tandem quandocunque concoctio male procedit ob quemcunque errorem externum, ſic enim colligitur ex cap. 3. & 4. primi de Locis affec. cùm verò in propoſita difficultate multæ ſint altercationes inter Fuchſium, & Argenterium, ego ea tantùm adduxi, quæ ad tollendam obiectionem aduerſus Galenum factam pertinent: nam ſi omnia perſequi velim, nunquam ad exitum perueniam.

Ad nonam, ſymptomata non lædere actiones primo ſine vi morbi. Cap. XXV.

SEQVITVR nona obiectio, quæ non eſt ex farina Argenterij, ſed Latinorum ſuperioris ætatis, quos hi delicati, atque elegantes uocant barbaros, Pharmacopæos, & circumforaneos: deſumpta eſt autem ex quinta quæſtione Forliuienſis in ſecundum Artis Medicæ: cùm verò tria capita contineat hæc obiectio, prout tria genera ſymptomatum lædere actionem primo demonſtrat, à primo incipiamus ſymptomate. Dictum eſt igitur actionem læſam aliam lædere actionem primò: & adducta ſunt exempla, licèt Iacobus alijs id probet exemplis. Fuchſius nihil agit de primo hoc capite, nec de ſecundo. Iulius Alexandrinus in Antargentericis negat læſam concoctionem primo lædere

dere nutricationem, cùm alia in medio ſint iſtarum duarũ actio-num, veluti alimenti diſtributio, appoſitio, & vnio. Argenter. in Reinero reijcit hanc reſponſionem, aliud proponendo exemplum: nam inuenias inquit aliquod exemplum, in quo actio læſa aliam ſtatim ſubſequentem lædat actionem, & tunc argumenti vis procedet, veluti ſi ſumas coctionem ultimam membrorum, qua vitiata ſtatim nutritio vitiatur: at Alexandrinus in Antargentericorum defenſione exemplum nullum inueniri poſſe aſſerit, in quo aliqua actio uitiata ſubſequentem labefactet actionem, & aduerſus exemplum ab Argenterio allatum diſputat: ac (vt in pauca conferam) negat apertiſſime actionem læſam ſine morbi interuentu lædere aliam actionem. Hoc ſi verum eſſet, iam ſoluta eſſet dubitatio, quæ Latinos omnes ſollicitos habuit. Et miror ſanè tam prompte negaſſe Alexandrinum, actionem læſam lædere aliam actionem ſine morbi interuentu, cùm ſit hoc Galeni dogma paſſim in lib. de ſymptomatibus decantatum. Li-
„ bro namque de Diff. cap. 4. diligenter (inquit) animaduertas ue-
„ lim, quòd ſæpenumero ſymptomatum alterum ſequitur ad alte-
„ rum: nam ad imbecillum complexum interim fluctuationes, in-
„ terim inflationes ſequuntur. Et in eodem paulo poſt. Ac for-
„ taſſe non ab re fuerit, omnia: quæ ad nutricationis functionem
„ pertinent ſymptomata proſequi, nempe ea, quæ vẽtri, ac reliquis
„ partibus omnibus ſunt communia, ita enim facilior erit lectori
„ ſermo, & clarius explicabitur id, quod nuper dicebamus ſympto
„ ma ſymptomatis eſſe cauſam: nam atrophiam ſiue vniuerſo ani-
„ mantis corpori acciderit, ſiue vnicam aliquam partem occupet,
„ licèt unicum ſit ſymptoma, complura præcedunt ſymptomata,
quæ deinde enumerat Gale. Id etiam exemplum à nobis adductum poteſt confirmare: quis enim neget ex mala cõcoctione celebrata in uentriculo oriri improbam ſanguinis generationem in hepate, etiam ſi hepar nullo afficiatur morbo, & poſtremo malam membrorum nutricationem, etiam ſi mẽbra nullo ſint morbo correpta? Ac quod diximus in ſuperiori obiectione, hoc poteſt demonſtrare: nam ſi in uentriculo cibi ob nimiam copiam, obq; malam qualitatem male concoquuntur, aut non cõcoquuntur, etiam ſi uentriculus ſit ſaniſſimus, quid prohibet, quin & in hepate, ex improbo chylo improbus gignatur ſanguis, licèt hepar ſit ſanum, & membris etiam, ſanis licèt, malum apponatur ex

malo

malo ſanguine nutrimentum? parum certe conſiderauit hanc difficultatem, quæ tot celebres viros vſque ad hanc ætatem torſit, & torquet, cùm tam facilem inuenit ſolutionem. Omitto de induſtria altercationes inter eos ortas occaſione exemplorum: nimis enim eſſem longus, nimiſque a propoſita materia aberrarem, ſi proſequerer omnia. Satis mihi ſit adducere, quæ ad argumentum contra Galenum adductum ab Argenterio faciunt: quod argumentum tenet adhuc, cùm inter eius dogmata ſit, læſam actionem alias actiones primo lædere: vnde puto vocem illam [primo] perperam eſſe in morbi definitione collocatam.

Dicerem ego in hac difficultate ſymptomata omnia hæc pendere ab aliquo morbo, vt primo morbus exoriatur, qui ſymptoma pariat: deinde id ſymptoma aliud inuehat: & illud aliud, vt in exemplo iam tradito: ſit in ventriculo intemperies, ob quam infeliciter concoctio celebretur, ex illa infelici coctione infeliciter in hepate ſanguis producetur, à quo ſymptomate infelix etiam nutricatio proficiſcetur: in hoc, & conſimilibus exemplis licèt ex ſymptomate ſymptoma oriatur, omnia tamen pendent à morbo, a quo primum oritur ſymptoma, ſic ipſo teſtante Galen. qui cùm lib. de Diff. ſymptomatum cap. 4. oſtendiſſet ex ſymptomate ſymptoma exoriri, cap. 5. ſic videtur conſtituere. Conſtat, nos haud obſcure demonſtraſſe id, quod propoſitũ erat: quippe omnem ſymptomatum naturam, vt morbi præcedant, neceſſe eſt: atque ſæpenumero ſymptomata inter ſe deinceps in ordinem quendam redigantur, ita vt primum ſymptoma morbum ſequatur, deinde a primo dependeat ſecũdum, rurſus ab hoc tertium, mox ab hoc quartum. Dices nonne fuit & hæc ſententia Alexandri? minime, vt ex eius verbis apparet. Negat enim actionem læſam aliam lædere actionem, niſi aliquid in medio ſit, quod ſecundam lædat actionem: nam ſicut in ſtatu naturali actio non facit ſubſequentem actionem, ſed proprium partis temperamentum, exempli gr. concoctio ventriculi non facit ſanguificationem, ſed temperies iecoris, nec ſanguificatio parit nutritionem membrorum, ſed propria membrorum temperies, ita in ſtatu præter naturali læſa concoctio non lædit ſanguificationem, ſed iecoris intemperies, nec ſanguificatio lædit nutricationem membrorum, ſed earum intemperies, & nihil refert, ſi ipſe aliis ſit vſus exemplis: ſatis ſit, eum magno cum errore aſſerere, actionem

præcedentem

præcedentem læſam non lædere ſubſequentem:ſed ſi ſubſequens lædatur, lædi à morbo aliquo: at Galen. aſſerit ex ſymptomate oriri ſymptomata, omnia tamen pendere à morbo, à quo primum oritur ſymptoma. Inſtabis iterum, à morbo quidem oriri primum ſymptoma primo & per ſe, alia verò non primo & per ſe,ſed per accidens: ſic enim ſtatuit Galen.lib.de Diff.ſympt.c.1. exemplo calculorum erectorum, qui ſi lateres ſint, facilius res apparebit: nam ſi ſe deinceps conſequantur,& primum deijcies, omnes deijcientur: quomodo autem alij primo & per ſe, alij ex accidente, declarat ipſe his verbis. Qui primo calculo digitum applicat, primo quidem hunc mouet, ſequentem uerò per accidens, & ſecundario, itidem reliquos quoque omnes: ſic primus per ſe mouet ſecundum, tertium verò, & deinceps reliquos per accidens; atque eadem ratione ſecundus mouet tertium quidem primo, quartum verò & quintum, & alios deinceps ſecundariò.

Hinc patet morbum inducere primũ ſymptoma primò & per ſe, reliqua uero ſecundario & per accidens: primum uerò ſymptoma excitat ſecundum primo & per ſe, tertium ex accidente: idem dixeris & ſtatueris de reliquis, quod de calculis ſtatuit Galen. Stat igitur prima obiectio, ſi ſymptomata poſſunt impedire actiones primo & per ſe, differentiam hanc non eſſe morbo propriam. Reſpondeo morbum eſſe cauſam omnium ſymptomatum, unde ab eo pendent omnia: & ſi non eſſet morbus,non eſſent illa ſymptomata, & ceſſante eo morbo, ceſſant ea ſymptomata: quare quacunque ratione morbus eſt ſymptomatum omnium cauſa continens. Atqui non ſedat hæc reſponſio inſtantiam: ſtat enim morbum inducere ſecundum,& tertium ſymptoma ex accidenti,ſecundum vero ſymptoma inducere tertium primo & per ſe. Præterea ſi reſponſio ea difficultatem ſedaret,aliam excitaret: nam cauſa morbi hoc pacto primo & per ſe impediret actiones,cùm cauſa primo pariat morbum,deinde morbus actiones impediat: ſed cùm morbus à cauſa pendeat, actiones etiam impeditæ à cauſa morbi pendebunt. Reſpondeo ex Galeno 1. Method. cap.8. aliud eſſe de morbo ſtatuendum, aliud de cauſa morbi: nam cauſa morbi poteſt remoueri, cum adhuc permaneat morbus,quare ſymptomata illa nõ pendent à cauſa, ſed omnino a morbo: morbus vero ſymptomatum cauſa eſt continens, vnde poſito morbo ponuntur ſymptomata,remoto remouẽtur:

& ideo aliud de cauſa,aliud de morbo ſtatuendum. At licèt cor ruat obiectio de cauſa, principalis tamen obiectio ſtat adhuc: quamuis enim ſymptomata illa omnia pendeant à morbo, non tollitur tamen,quin quorundam ſymptomatum morbus ſit cauſa ex accidenti, & ſecundario, aliud vero ſymptoma ſit eius cauſa primo & per ſe. Reſpondeo adhuc, licèt morbus inducat primum ſymptoma tantum primo & per ſe, & reliqua per accidẽs, pendere tamen omnia à morbo, quàre ſublato morbo, tolluntur tam prima ſymptomata,quæ primo & per ſe excitãtur à morbo,quàm cætera, quæ ab aliis ſymptomatibus excitantur.

Quare, vt tandem concludamus, dicimus morbum primo & per ſe cauſam eſſe impeditarũ actionum: nam etiam ſi aliæ actiones impediantur ab aliis impeditis, quia tamen illæ à morbo impediuntur, ſequitur vt aliud etiam impedimentum à morbo pendere dicatur. Videamus nunc, an hæc ſolutio tollat diffi cultatem propoſitorum ſymptomatum. Dico igitur cùm à mala ventriculi concoctione oriatur mala ſanguinis productio, & mala deinceps nutricatio, quòd à ventriculi morbo ſequuntur omnia illa ſymptomata, vnde remoto illo, remouebuntur ſymptomata etiam. Dices, nonne fieri poteſt, vt ſummoueatur ventriculi morbus, & adhuc perſeueret mala generatio ſanguinis, & mala etiam nutricatio? dico, ſi nullus erat contractus morbus in iecore,aut in membris, remoto morbo ventriculi, & ſymptomate cruditatis ab eo ſtatim exoriente, quod producetur ſanguis laudabilis, & ſuccedet fœlix nutricatio, ſed ſi hepar contraxiſſet aliquem morbum, perſeueraret adhuc mala generatio ſanguinis, penderet tamen à proprio hepatis morbo. Sed poſſumus aliam afferre reſponſionem, quæ omnem eximat ſcrupulum: cùm morbus partis alicuius parit ſymptoma, quod alijs in partibus alia excitet ſymptomata, vt in exemplo iam allato, morbum eſſe cauſam primo & per ſe primi ſymptomatis,reliqua verò ſymptomata oriri per conſenſum ob vitioſam materiã,de quibus morbis videbimus in ſequentibus obiectionibus. Sed fortaſſe adhibenda eſt & ea ſolutio, quam in octaua obiectione adhibuimus, quum ex læſa actione alia læditur actio, prouenire hanc ſecundam læſionem vitio obiecti inhabilis permutationi, nam ſi in prima concoctione malus humor gignitur, qui in ſecunda in ſanguinẽ probũ cõuerti haud valeat,licèt iecur ſit optime diſpoſitum,

ſitum, non poſſumus dicere læſam eſſe facultatem ſanguificam, & hoc eſſe eius ſymptoma, ſed prouenire vitio mali humoris in prima coctione geniti, & eius eſſe ſymptoma. Quærat quiſpiam, poſſit ne euenire, vt ex nimia multitudine ciborum non concoctorum in ventriculo ſine vllo uentriculi morbo oriatur in iecore infœlix ſanguificatio,& in membris infœlix nutritio: & ſi oriatur,quid tunc dicendum ſit: neque enim dicere licebit, ſymptomata iſta à morbo pendere: dico hæc poſſe euenire,ſi ſæpe huiuſmodi committantur errores: & tunc erit reſpondendum, vt reſpondimus in ſuperiore obiectione, malum gigni ſanguinem in hepate obiecti vitio, quia chylus ille non eſt aptus ad ſuſcipiendam formam ſanguinis: idem dices de nutritione,vitium non eſſe in membris,nec ideo dici eorum facultatem eſſe læſam, verùm ſanguinem illum ineptum eſſe nutricationi, & propterea erunt hæc ſymptomata non facultatis agentis, ſed obiecti, vt tunc etiã diximus ex Galeno, cum quo poſſumus etiam 3. de ſympto.cau. cap.1.vocare has cauſas externos errores. Verùm aduertendum eſt,cùm hæc eueniunt,morbum quandoque excitari: celebretur enim mala concoctio in ventriculo ob ciborum vitium, nec ſemel hoc eueniat, ſed ſæpe,& ſæpius, tunc chylus male elaboratus non ſolùm erit in cauſa, cur malus ſanguis in iecore generetur, ſed ſua præſentia iecur ipſum lædet,& venas: quare tunc chylus ille male elaboratus erit cauſa morbi,diſpoſitio, quam in iecur inducit, erit morbus, & mala ſanguificatio tunc erit ſymptoma malæ iecoris diſpoſitionis. Hæc euenire indicat etiam Galen.2. de Loc.affec.cap.9. nam in membro per conſenſum affecto, fieri interdum permanentem ait diſpoſitionem, quo caſu non amplius dicitur per conſenſum laborare.

Ad exemplum de dolore in pleuritide: reſponderi poteſt, vt antea: nam ſymptomata Pathognomorica neceſſariò morbum conſequuntur, & licèt alterum videatur oriri ab altero, omnia tamen ab affectu, & loco affecto originem trahunt, vt uidere licet apud Galen. lib. de Conſtit.ar. cap.15. & ſi enim difficilis reſpiratio in pleuriticis oriatur à dolore: dicendum tamen eſt & difficultatem reſpirandi, & dolorem naſci ab affectu, & loco affecto. Quare tandem morbus eſt cauſa primo & per ſe omnium eorum: vnde orta lateris inflammatione,ſtatim occurrunt quinque ſymptomata, ſummota ſummouentur. Videas tandem

Galenum 3.de ſympt.cau.c.vlt.docet enim ſymptomata, quæ ab una tantum cauſa oriuntur,ſeſe inuicem ſequi neceſſario:& ideo etiam ſi dolor uideatur difficilem inducere reſpirationem, dicendum eſt utrunque à morbo pendere. Afferebantur alia quoque ſymptomata, quæ ſunt in genere diſpoſitionum, aut malarum qualitatum, ueluti color corneæ, duricies, & mollicies, denſitudo, & raritas, de quibus cùm latè diſputaturus ſim in difficultatibus morborum ex intemperie aduerſus Fernelium, qui ſtatuit hæc eſſe materiæ morbos,ad tempus illud reiiciemus enodationem difficultatis huius. Cùm verò arguebat Argenterius ex particula illa [primo] in definitione poſita ſequi, potentiam eſſe morbum,concedo totum:& cur concedam,patet ex ijs,quæ diximus in ſeptimæ obiectionis confutatione.

Ad decimam, non lædi actiones partis alicuius ſine morbo, aut illius, aut alterius partis.
Cap. XXVI.

OBIECTIO decima inferebat non ſolùm particulam illam[primo]expugnendam eſſe de definitione morbi, ſed totum illud [primo impediens actiones] non ſolùm quia & cauſæ, & ſymptomata primo actiones impediant, ſicuti morbus, ſed etiam quia ſæpe partium actiones læduntur, licèt nullo afficiantur morbo. Cùm reliqua iam ſint diſſoluta,ad hanc vltimam partem reſpondemus, negantes poſſe lædi actiones aliquas non præcedente morbo : & quamuis membrum,cuius læduntur actiones, nullo ſit proprio correptũ morbo, tamen ex conſenſu laborat, συμπάθεια dicitur à Galeno, qua appellatione ſignificatur membrum illud ſimul cum alio, vel potius ab alio pati: unde diſtinctus eſt hic morbus ab eo, qui uerè membrum ipſum afficit, quem ἰδιοπάθειαν Galen.uocat. Sed ut res ſit planior,ſciendum eſt ex 1.de Loc. affec.c.3. & 6. & 3. de Loc. aff.c.1.partem tribus modis συμπάθειαν,id eſt morbum per conſenſum incurrere : primò quando intercipitur materia ad actiones eius partis neceſſariò concurrens:uocis exemplo id declaremus ut vox emittatur, efferatur ad guttur neceſſe eſt uehemens ſpi

ritus efflatio: hæc autem fit in expiratione, cùm muſculi intercoſtales thoracem comprimunt,& conſtringunt: ſi perforentur hi muſculi, fieri haud poterit uehemens illa ſpiritus emiſſio,quare guttur vocem efformare non valebit: priuatur itaque propria actione guttur, non quòd ipſum morbo vllo proprio ſit correptum, ſed quia materia priuatur, & ideo morbo conſenſus affectum eſſe dicitur, cùm proprius morbus ſit in muſculis intercoſtalibus: qui morbus ſi ſanetur, vox etiam reſtituetur. Eodem pacto oculi viſu priuantur, cùm obſtructis neruis, per quos deſcendit ſpiritus animalis, iter huic ſpiritui intercipitur: oculus enim laborat morbo conſenſus, nerui verò proprio morbo, & qui curatione indiget: at in oculis intercipitur non materia tantum, ſed facultas etiam materiæ adiuncta. Secundo modo fiunt hi morbi, cùm facultas ſine materia intercipitur, veluti cùm ex inflammatione ſpinæ cura incidũt in paralyſim: non enim quod ipſa morbo laborent, motu & ſenſu priuantur, ſed quia a ſpinæ inflammatione prohibetur animalis facultas, quo minus ad ea per neruos ſine materia defluat. Tertio modo fiunt hi morbi, quando aliena materia confluit aliquem in locum, cuius actionem lædat: veluti cùm a ventriculo aſcendunt ad oculos, & cerebrum vapores & humores vitioſi: tunc enim oriuntur deliria, & videndi læſiones, quales ſunt in ſuffuſionibus oriri, cùm tamen cerebrum,atque oculi nullo morbo proprio afficiantur:ſed ventriculus,cui ſi proſpicias, oculos & cerebrum liberabis. Apparet ex his, licèt nullus ſit in membris iſtis morbus,oriri tamen hæc impedimenta a morbis, quos ſi remouebis, remouebis & impedimenta. Ex tribus iſtis morbis Galen. magis proprie appellari morbum per conſenſum ait, quando intercipitur materia, aut facultas abſque materia, quàm quando materia confluit aliena in locum quempiam: nam licèt locus ille non ſit morbo affectus, aliquid tamen videtur pati. His conſtitutis obiectio ex ſe corruit: nam licèt membra illa,quorum actiones læduntur, non ſint morbo affecta, impedimẽtum tamen & noxa actionum à morbo oritur: vnde ſi depellatur morbus ille, actiones aut læſæ, aut deperditæ reſtituuntur in integrum. Naſcuntur itaque ſemper actionum læſiones à morbo, & morbus eſſe non poteſt, niſi lædat actiones.

Ad vndecimam, morbos non diſtingui inter ſe à læſione actionum, ſed à partibus ipſis. Cap. XXVII.

IN ſequenti obiectione nõ uideo quomodo ſequatur, ſi retineatur in definitione pars illa [primo impediẽs actiones] morbos ipſos cõfundi, ut ſimilariũ morbi ſint etiam inſtrumentaliũ, niſi id inferat ex læſis actionibus, ut cùm morbi ſimilarium lædant actiones inſtrumentalium, ea de cauſa ſint & inſtrumentalibus communes: nam ſi auferatur pars illa ex definitione morbi, conſiderabuntur in propria natura, & ſimilares partes ſuos habebant morbos diſtinctos, inſtrumentales ſuos ſine ulla confuſione. Ad hoc dico, morbos non ſumere diſtinctionem inter ſe à læſione actionum, ſed a propria eſſentia, propriaque natura. Quod inde patet, quia morbi ſimilarium lædunt actiones non ſimilarium tantum, ſed & inſtrumentalium, & inſtrumentales non ſuas tantum, ſed ſimilarium etiam actiones lædunt: docet id Galen. 3. de ſympt. cau. cap. 1. exẽplo uentriculi, quippe quæ celebrat ciborum cõcoctionem propria temperie, vitiatur tamen hæc actio morbis ſimilaribus, & organicis ſumunt itaque diſtinctionem à propria eſſentia, quia ſimilarium morbi ſunt intemperies, inſtrumentalium incompoſitiones, vtriſque autem commune eſt lædere primo actiones ad diſtinctionem cauſarum, ſiue lædant actiones ſuarum partium, ſiue aliarum. Atque hæc leuiter in præſentia attigimus, cùm controuerſiam hanc plenius ſimus inferius explicaturi.

Ad duodecimam, recte poſitum eſſe in definitione ſolum ſymptoma læſarum actionum. Cap. XXVIII.

VLTIMVM obiectum ſi tanquam dubium fuiſſet ab Argenterio propoſitum, ab eoq; enodatum, multo plus ei gloriæ peperiſſet, quã hoc modo propoſitum: eſt enim dubium certe cognitione digniſſimum: cùm enim paſſim Galenus ſymptomata, quæ morbum cõſequuntnr,

in triplici ſtatuat differentia, & alia eſſe dicat actiones læſas, alia diſpoſitiones, vel malas qualitates, alia quæ immodice a corpore excernuntur, aut quæ præter naturam retinentur, rationi conſentaneum videbatur, vt omnia hæc tria genera in definitione includeret: aut ſi longitudinem definitionis verebatur, læſas etiã actiones excluderet: optima tamen ratione actionum impedimentum ſolum in definitione complexus eſt: hoc enim inter reliqua ſymptomata principatum obtinet, & id eſt, quod morbo affectos ſollicitat, vt medico ſe committant: nemo enim medicum vocaret, ſi actiones ſuas integras poſſideret, vt copioſe demonſtrat Galen. 1. Meth. cap. 3. quare cap. 8. eiuſdem libri actionem læſam vocat inſigne ſymptoma, reliqua verò ſymptomata vocat aut propria, & familiaria, aut nec propria nec familiaria. Præterea proprium eſt morbi ſemper lædere actiones: vnde cùm eandem rationem habere cauſam morbi ad morbum diceret Galen. quam morbus habet ad læſas actiones, id tamen ſtatuebat diſcriminis, quòd cauſa a morbo ſeparari poſſit, morbus verò ab impeditis actionibus non poſſit: non ſemper autem aut non ſtatim alia inducit ſymptomata: hinc ſæpe Galen. dictitat proprium eſſe cauſæ morbum antecedere, morbi actionem lædere, ſymptomatum morbum ſequi, vt actio læſa vnà cum morbo ſemper appareat, reliqua ſymptomata morbo ſuccedant. Quantam vim habeat ſymptoma læſarum actionum inde etiam colligi poteſt, quòd quædam medicorum ſectæ ſtatuere læſas actiones eſſe morbum ipſum, vt paſſim legitur apud Galen. Præterea Galen. libr. de diff. ſympt. cap. 2. vult ſymptoma excretorum & retentorum ſequi actiones læſas: quod ſi etiam alterum genus ſymptomatum à læſione alicuius actionis oriri dicas, fortaſſe non aberrabis: vnde in lib. de oculis particula 3. capit. 5. (quem librum, vt id obiter admoneam, Galeni legitimum eſſe exiſtimo) actionum noxam ſymptomatum aliorum cauſam eſſe ait. Ex his concludi poteſt, morbum conuerti cum actione læſa: nam poſito morbo actio læſa ponitur, & ſublato, tollitur: & contra poſita actione læſa, morbus adeſt, reſtituta actione, morbus recedit: quod de reliquis ſymptomatibus non eſt perpetuo verum: quæ cùm ita ſeſe habeant, non eſt mirum, ſi in definitione morbi ſymptoma ſolum actionum læſarum comprehenſum eſt. Scio ex his ſymptomatibus multas excitari poſſe controuerſias: ſed nunc de morbis

bis agimus: quare non ſunt attingenda, quæ ſpectant ad ſymptomata, niſi quatenus ualeant ad ſedẽdas controuerſias à morborum tractatione non alienas.

Diſpoſitionem, non ſolum motus finem, ſed motum etiam quandoque in qualitate ſignificare. Cap. XXIX.

ILLA certe à præſenti inſtituto aliena non eſt, immo verò proponẽda erat antea etiam, cùm ex ijs, quæ ante ſtatuta ſunt, oriatur. Statum eſt, diſpoſitionem eſſe qualitatem factam ex omnibus ſuis partibus conſtantem: ſtatutum eſt præterea ex Gale. in princ. lib. de ſympt. diff. ſymptomata perinde ac morbum, & cauſam morbi diſpoſitiones vocari: at cùm inter ſymptomata ſit actio læſa, contradictionem implicamus, ſi dicimus actionem læſam eſſe diſpoſitionem, cùm actio ſit in generatione, nec partem vllam habeat uel temporis momento permanentem, ſicuti nec ſermo, nec motus, nec tempus habent: diſpoſitio uerò ſit finis, & terminus actionis ipſius ſtabilis, & permanens. Sedatur contradictio, ſi dicamus, cùm tria ſint genera ſymptomatum, Galenum, inter diſpoſitiones vnum genus tantum connumerare, & eſt proprie genus illud ſymptomatum, quod in diſpoſitione conſiſtit, ueluti flauus color in arquato: reliqua duo ſymptomata genera in alio genere, quàm diſpoſitionis reponuntur: quare diſpoſitiones non ſunt, ſed ſolùm a diſpoſitionibus ducunt originem, vt docet Galen. lib. de ſympt. diff. cap. 2. & 2. Metho. cap. 3. Reſtat tamen adhuc aliquid, quod animos ſollicitos habere poſſit, quod Galen. contra decreta ſua firma, & ſtabilia diſpoſitionem interdum vſurpat pro alterationis motu: nõ longe abieris primo de Loc. affec. cap. 2. ait. Semper incipere ,, oportet à læſæ actionis inſtrumento, deinde quærere, quis ſit no ,, xæ modus, vtrum videlicet diſpoſitio permanens, an adhuc fiẽs, ,, ita vt perſeuerare nondum nata ſit. Quod ſi nunc quoque fiat, ,, vtrum cauſa, quæ paſſionem efficit, in ipſa parte contineatur, an ,, per ipſam tranſeat, inueſtigandum. Hoc in loco proculdubio ,, diſpoſitio permanens eſt motus terminus: diſpoſitio uerò fiens

eſt ipſe motus, vel actio, vel paſſio: quare non ſibi videtur Galenus conſentire. Reſpondeo, non repugnare rerum naturæ, & conſuetudini ſcribendi, ſi diſpoſitio in vtroque capiatur ſignificatu, & pro alteratione, & pro alterationis termino: atque hoc ob penuriam uocum, cùm haud ſint hic duo vocabula, quorum alterum alterationem ſignificet, alterum formam ab alteratione prouenientem, ſicuti in alijs multis inueniuntur: nam Ariſtot. 5. Phiſ. docet in multis alterationibus inueniri nomen motus, & nomen habitus motum conſequentis diſtincta: dealbatio namque, denigratio, calefactio, refrigeratio, & alia multa ſunt nomina motum, & actionem ſignificantia, albedo verò, nigredo, caliditas, & frigiditas ſunt nomina diſpoſitionem, habitum, & formam ſignificantia, quæ ab actionibus illis inducitur: at hic habemus nomẽ diſpoſitionis tantum, q̃ cùm ex forma vocis tam apud nos, quàm apud Græcos videatur ſignificare potius actionem, quàm terminum actionis, non eſt mirum, ſi inueniatur, quandoq; apud Gale. vſurpatũ pro actionibus & motibus, ſicuti loco antea dicto: ſolet ille quidem potius vſurpare paſſionem, tamen hoc loco vſurpauit diſpoſitionem pro paſſione, quod in principio capitis ſequentis non fecit, ſed paſſionis voce vſus eſt etiam loco diſpoſitionis, cùm dicat. „ Rurſus ſeparemus, & diſcernamus à factis iam „ paſſionibus eas, quæ etiam dum fiunt, & quæ nondũ pertinaciter inhærent. En quomodo in loco ante citato diſpoſitio, quæ ſolet ſignificare terminum alterationis, vſurpatur etiam pro alterationis motu: hic contra paſſio, quæ proprie motũ in qualitate ſignificat, vſurpatur pro motus fine, & termino. Sed omnium certa ratio reddi poteſt: attentum eſſe oportet lectorem in vſu harum vocum, & magis etiam in earum ſignificatu, ne in rebus decipiatur.

Definitio Argenterij, eiusq́ refutatio. Cap. XXX.

ARGENTERIVS exploſa, vt ſibi perſuadet, Galeni definitione aliam profert: quam Alexandrinus in Antargentericis vitioſam eſſe oſtendit: at eam Argenterius ĩ Reinero rurſus cõfirmare nititur, ſed quidquid affert pro eius aſſertione, ab Alexandrino iterum in defenſione

Antar-

Antargentericorum reijcitur: ipſe verò peruicax in ſuo in Artem
Medicam Galeni commentario in eadem perſiſtit opinione: &
addens quædam, alia commutans putat ſe effugere Alexandrini
confutationes. Ac ſanè vir iſte in confutanda Galeni definitio-
ne præ ſe fert interdum aliquod lumen ingenij: at in ſua concin-
nanda,& defendenda ſemper eſt bardus,& ſtupidus: & cùm alio-
qui ſit dilucidiſſimus, hic obſcurus eſt, vt ſub ea obſcuritate tan-
quam ſub nube errata ſua occultet. Nos cæteris omiſſis appone-
mus quæ de morbi definitione in comment. in Artem Medicam
ſcripſit,quo in opere poſt alios edito credẽdum eſt eum effudiſ-
ſe vires omnes ingenij. Sic igitur ſcribit. Eſt porrò ſanitas aliquid ,,
eorum,quæ corpori noſtro accidunt, itidem & morbus. Quid- ,,
quid autem eſt in corpore noſtro,vel illius eſt conſtitutio,ſiue cõ ,,
poſitio, ſiue forma,vel cauſa conſtitutionis, vel eiuſdem effectus. ,,
Eſt autem forma ſimilarium partium temperies,& tota,vt vocãt, ,,
ſubſtantia: calidum verò,frigidum,humidum,ſiccum,& materia, ,,
quæ conſtitutioni, ſiue temperaturæ, & animæ ipſi ſubijcitur,pu ,,
blicaq; inſtrumenta ſunt compoſitionis cauſæ, inter effectus ue- ,,
rò reputantur,potentia,actio,& opus, quod ab actione naſcitur. ,,
At nemo in cauſis compoſitionis, & effectis ſanitatem, aut mor- ,,
bum inueniet: nam ſanitas mediocritas quædam eſt,morbus im ,,
moderantia,cauſæ autem ipſæ moderantiam,& immoderantiam ,,
efficiunt, nulla autem illarum moderantia, aut immoderantia ,,
ſunt. Nec materiæ quidem vitia,ſanitas, & morbus eſſe poſſunt, ,,
nam ſanitas & morbus formæ quædam ſunt, quæ materiæ pro- ,,
pinquæ ſuis qualitatibus iam præditæ accedunt. Nec verò com- ,,
munis inſtrumenti mala morbi erunt,quia morbus paſſio eſt ui- ,,
uentis,non eorum;quæ in nobis ſunt non viuentia. Nemo etiam ,,
ea, quæ accidunt effectis compoſitionis, ſanitatem aut mor- ,,
bum vocabit, ſequuntur enim excrementi, alimenti, actionis,po ,,
tentiæ, & ſecundarum qualitatum vitia morbum. Quare in ipſa ,,
conſtitutione & forma partis, uel totius ſanitatem, & morbum ,,
ponemus: ſic enim appellamus eos ſanos, qui integram partium ,,
conſtitutionem,& formam habent,ægrotos uero, qui illam præ- ,,
ter naturam corruptam obtinent. Erit ergo ſanitas non quidem ,,
ipſa conſtitutio,ſed perfectio,quæ eſt in ipſa conſtitutione, mor- ,,
bus verò eiuſdem præter naturam uitium, quare nec ſanitas re- ,,
cte dici poteſt eſſe æqualitas, & morbus inæqualitas: nam perfe- ,,

ctio & vitium rei non ſunt æqualitates, uel inæqualitates, ſed ex illis fiunt,& ad illa ſequuntur. Dicitur autem ab Ariſtot. ſanitas eſſe corporis perfectio,quod idem eſt, ac ſi dicas affectus ſecundum naturam. Afficimur enim ab his, quæ in nos agunt pro ſua natura moderate,uel immoderate: & affectus ob id in nobis gignuntur,quales fiunt ab agentibus in nobis paſſiones,moderati inquam, vel immoderati,& qui moderati ſunt ſecundum naturam alij præter naturam. Et rurſus qui ex compoſitione rerum mutata accidit, ſanitas ac morbus dicitur eſſe. Alij alia ſortiuntur nomina. Hæc definitio perfecta, eſſe agnoſcitur, quoniam omnibus morbis conuenit,non alijs, quæ ſunt præter naturam, ac omnia,quæ dicuntur de morbo illi competunt. Quod quoniam in libro de generibus morborum diligenter oſtendimus, non eſt, quòd hoc loco proſequamur. Hæc eius verba, in quibus id primum annotandum uenit, malignum hoc,& infelix ingenium, cùm uellet multa innouare in diſciplina morborum, nec id poſſet conſequi ſine Galeno, cuius dogmata inſectatur, Galeni methodum in morbo inueſtigando eſſe amplexatum, ut uerò lectorem lateret,uerba Galeni immutaſſe, ordinem inuertiſſe, quædam addidiſſe, quædam detraxiſſe, id quod facile apparebit, ſi Galeni progreſſum ſub oculos ſubiiciamus. Galen. itaque primo Metho. cap. 8.& aliis multis locis tum primi, tum ſecundi libri, quatuor ait eſſe res inter ſe proximas, & ordine ſe conſequentes. Primum genus continet corporis actiones, quæ primæ ſunt ordine diſciplinæ, cùm ſint notiſſimæ: has præcedit diſpoſitio, uel conſtitutio corporis, διάθεσιν & κατασκευὴν uocat, vt antea quoque vidimus: hæc diſpoſitio actionum cauſa eſt: verùm & diſpoſitiones ipſæ ſuas habent cauſas,quæ tertium genus conſtituunt quartum genus eſt diſpoſitionum quarūdam, quæ nec edunt, nec impediunt actiones. Ex his quatuor rerum generibus, quæ humano corpori eueniunt: demonſtrat Galenus diſpoſitionem, quæ actiones producit, cùm præter naturam ſe habet,morbum eſſe,atque eius cauſas eſſe duas,internam, quam antecedentem uocant, & externam, quam procatarcticam & euidentem: læſionem actionum ſymptoma eſſe ait, ſed inſigne: diſpoſitiones uerò illas, quæ actionibus nec commodum afferunt nec incommodum, ſymptomata propria,& familiaria. Ac pro exemplo phlegmonem proponit,quæ ſit in aliqua parte

corporis,

corporis,in oculo, in aure, in crure, in manu:phlegmone itaque morbus, eſt ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ: eius interna cauſa eſt plenitudo, externa uoracitas: inſigne ſymptoma, ſi in oculo ſit, impedimentum uiſus, ſi in aure, auditus, ſi in crure, inceſſus, ſi in manu, apprehenſionis: ſymptomata familiaria ſunt rubor, tenſio,& tumor: ſed 2.Methodi cap.3.addit tertium genus ſymptomatum in excretis, & retentis. Hæc Galen. plane ac dilucide, & vocibus propriis atque vſitatis. At Argenterius volens genus morbi conſtituere, tria in corpore eſſe ait, compoſitionem, cauſam compoſitionis, & effectum, colligitque morbum non eſſe effectum compoſitionis,non cauſam,ſed compoſitionem ipſam, in quo nihil diſcrepat a Gale.niſi in voce compoſitionis, quam magis proprie & accommodate Galen. vocat diſpoſitionem, & conſtitutionem, quæ vox quàm apta ſit & accommodata morbi naturæ, antea eſt viſum: at hæc vocis eſt tantum diuerſitas: ſed alia eſt maioris momenti diuerſitas, quod in Galeni methodo ſummatim habes, quid ſit morbus, quot eius cauſæ,& quot ſymptomata apte & diſtincte. Argenterius autem docet tantum genus morbi. Verùm & alia eſt diuerſitas, in qua demonſtrat ſe primarum diſciplinarum eſſe imperitum: cùm enim propoſuiſſet ſanitatem & morbum eſſe de numero eorum, quæ corpori accidunt, & quæſtio propoſita poſtularet, vt indagaret quot ſunt, quæ corpori humano accidunt, ſicuti Gale.fecit, ipſe quærit, quot ſunt, quæ ſunt in corpore humano. Sed aliud eſt eſſe in corpore, aliud corpori humano accidere: nam multa ſunt in corpore, quæ ſubſtantiæ, non accidentia ſunt, & ideo nihil pertinent ad ſanitatem, & morbum, cùm ſubſtantiæ ſint: ſanitas verò & morbus accidentia. Præterea in hac ſua diſtinctione excludit quædam, quæ comprehendenda erant,veluti cauſas procatarcticas, quæ in corpore non ſunt:has tamen Galenus & ipſas in ſua diſtinctione complectitur. Deinde & inſignis ille error occurrit, quòd inter effectus reponit potentiam,actionem, opus: nam vt de actione, & opere id verum ſit, quomodo in potentia locum habeat non video, quare inter cauſas enumeranda eſſet. Cùm verò aſſerit caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem cauſas eſſe intemperaturæ, & ideo non morbos, ſed cauſas morbi, falſum eſſe ante quoque diximus aduerſus Vegam; & plenius id demonſtrabimus,cùm de morbis

ex intemperie agemus. Cùm præterea ſtatuit compoſitionem eſſe formam, totam ſubſtantiam, & temperiem, eiusque cauſam materiam eſſe aſſerit, aut materiam pro cauſa efficiente aſſumit, quod planè abſurdum eſt: aut pro cauſa materiali: ſi itaque forma cauſam habebit materialem, ſequetur formam eſſe compoſitam ex materia, & forma, quod & ipſum abſurdum eſt: nàm materia compoſiti cauſa eſt materialis, non formæ: at ipſe temere verba fundit, & ſenſa non perpendit. Nec minus abſurdum eſt materiam animæ ſubijcere, cùm totum compoſitum ſit animæ ſubiectum, aſſerente philoſopho animam eſſe actum corporis organici, non autem materiæ. In effectis etiam numerandis perſeuerat in errore ſuo, cùm potentiam ſeiungat à conſtitutione, quas ex ſuperius demonſtratis vnum atque idem eſſe conſtat. Probat ſanitatem & morbum non eſſe cauſas, quia cauſæ nō ſint moderatio, aut immoderatio, vt ſanitas & morbus, in quo quàm leuis ſit, & inconſideratus, apertiſſime indicat: quis enim neget humores, qui cauſæ ſunt, interdum moderatos, interdum immoderatos eſſe? & ſpiritus eodem pacto, quos publica uocat inſtrumenta, & inter cauſas reponit? Negat materiæ uitia ſanitatem & morbum eſſe: at quid per materiæ vitia uelit, non intelligo, niſi fortaſſe raritatem & denſitatem, & reliquas ſecundas qualitates, vt uoluit Fernelius, qua de re uidebimus in explicatione morborum formæ, & materiæ: verùm de his intelligere non poteſt, cùm formæ quædam ſint: at ipſe negauit uitia materiæ eſſe morbos, quia morbi ſunt formæ. Præterea ſecundas qualitates inter effectus reponit: quare explicet ipſe quid per uitia materiæ intelligat. At quantam præ ſe fert ſupinitatem, cùm ait uitia materiæ non eſſe ſanitatem, aut morbum? quis enim aſſerat uitia ſanitatem eſſe? Rurſus cùm potentias morbos eſſe negat, ualde hallucinatur: demonſtrauimus enim iam morbos nihil eſſe aliud, quàm potentias læſas. Probat tandem ſanitatem & morbum eſſe in compoſitione, & conſtitutione, idque ex appellatione, nam ſanos appellamus, qui probe ſunt conſtituti: atqui ab eo quæſierim; ſic ne appellent artis medicæ periti, an vulgares: ſi artis peritos dicat, falſum eſt, nam alij aliter appellauerunt ſanos, & ægros: ſi vulgus, & hoc falſum, immo verò Galen. primo Methodi cap. 9. affert pulcherrimam illam demonſtrationem, ſanos eos eſſe, qui actiones probe adminiſtrant, &

partium

partium conſtitutionem non eſſe in conſideratione ab opinione vulgarium hominum. Aſſerit ſanitatem non conſtitutionem quidem ipſam eſſe, ſed perfectionem in conſtitutione, & morbum non conſtitutionem, ſed uitium præter naturam in conſtitutione, ideoque non recte ſanitatem dici æqualitatem, & morbum inæqualitatem, cùm perfectio, & vitium rei non ſint æqualitates, vel inæqualitates, ſed ex illis fiant, & ad illa ſequantur: in quo magnam oſtendit leuitatem, atque inconſtantiam. Libro enim de generibus morbi aſſeruit caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem non eſſe ſanitatem aut morbum, ſed cauſam ſanitatis & morbi, quia cauſa ſunt æqualitatis, & inæqualitatis: unde ſanitas, æqualitas & mediocritas erat, morbus inæqualitas, & immoderantia: nunc aſſerit æqualitatem & inæqualitatem eſſe cauſam ſanitatis & morbi, ut ordinem hunc inter ea conſtituat: calidum & frigidum ſunt cauſæ æqualitatis, & inæqualitatis, æqualitas & inæqualitas ſunt cauſa perfectionis, & uitij, & ſic omnia inuertit & confundit, verùm hæc confuſio eſt illi adiumento aduerſus aduerſarios, qui cùm apud eum, certi nihil inuenire poſſint, quid reprehendendum ſit, ignorabunt. Aſtruit ex Ariſtot. 7. Phyſ. 17. ſanitatem eſſe corporis perfectionem, & perfectionem corporis nihil aliud eſſe quàm affectum ſecundum naturam, quare & morbus cùm ſit vitium & imperfectio corporis, erit affectus præter naturam, vt poſt tot nugas tandem ad Galeni definitionem deflectat, ut nihil differat, ſi dicas, morbus eſt compoſitio præter naturam, vel morbus eſt affectus aut diſpoſitio præter naturam. Cùm itaque eo etiam authore morbus ſit affectus præter naturam, quem alibi compoſitionem, & conſtitutionem uocat: veram eſſe ait hanc definitionem, quia omni, ſoli & ſemper conueniat. Qua in re quædam recte pronunciat, quædam ſecus: omni quidem verè conuenit, quia cùm in hac definitione adſit verum genus morbi, morbis omnibus conueniat, neceſſe eſt: conuenit & ſemper, quia nunquam inuenies morbum aliquem, qui affectus præter naturam non ſit. Quod verò ſoli conueniat, falſum eſt, cùm morborum cauſæ ſint affectus præter naturam, & quoddam ſymptomatum genus, veluti fœdus odor, ſapor, & ſimilia: declinabat hanc inſtantiam alibi, cùm diceret, morbos eſſe compoſitiones, cauſas verò & ſymptomata nequaquam, ſed hic declinare nō poteſt, cùm aſſe-

rat

rat morbum eſſe, non compoſitionem, ſed compoſitionis vitium, compoſitionis verò vitium, & affectum præter naturam idem eſſe: certum autem eſt, cauſam & ſymptomata quædam affectus eſſe præter naturam, vt demonſtratum eſt in examinatione argumentorum, quæ ipſe attulit contra Galeni definitionem, & præſertim in primo argumento: & quamuis concedas, morbum eſſe compoſitionem, non ideo ſeparatur morbus a cauſis & ſymptomatibus, nam quædam etiam cauſæ compoſitiones ſunt ex eius conſtitutionibus. Conſtituebat temperiem eſſe partium ſimilarium compoſitionem, quare & humores ipſi, qui inter cauſas morborum recenſentur, compoſitionem habent, cùm ſua præditi ſint temperie: ſiue igitur dicas, morbus eſt compoſitio, ſiue diſpoſitio præter naturam, non ideo ſeparatur à cauſis, & quodam ſymptomatum genere: & propterea hæc definitio differentijs indiget, quæ morbum à cauſis morborum, & ſymptomatibus diſtinguant. Eſt igitur morbi definitio ab Argenterio tradita ſine forma materia, ueluti ſi iram definiens dicas, ira eſt ſanguinis in corde ebullitio: nam neque hæc eſt perfecta iræ definitio, cùm alias ob cauſas, quàm ob iram ſanguis in corde poſſit efferueſcere. Præterea ut tanquam medici agamus, hæc definitio rei eſſentiam attingit, notionem uerò excludit, quo fit, ut nihil doceat, cùm neque æger, neque medicus ex hac definitione intelligat morbum adeſſe, aut non adeſſe, quod non euenit in Galeni definitione: nam differentia illa [actiones primo impediens] ſumpta à notione primo ſeparat morbum a reliquis diſpoſitionibus præter naturam, deinde declarat morbum adeſſe & ægro & medico: impedita enim actio aperte indicat morbo hominem eſſe correptum: at ex hac definitione morbus eſt compoſitio, aut diſpoſitio præter naturam, quomodo cognoſces morbo quempiam uexari: verbi cauſa, incaleſcat quiſpiam plus ſolito, quomodo cognoſcam hunc calorem eſſe præter naturam, & morbum, cùm & intra terminos ſanitatis late patentis contineri adhuc poſſit, & extra etiam eius terminos exijſſe? Reſpondet ipſe, quando magnus eſt exceſſus in calore, calor ille eſt præter naturam, & morbus: cū paruus adhuc intra cancellos ſanitatis coercetur. Sed reſpondeo, ſicuti cognoſcere non poſſumus, ſit ne ille calor præter natur, an naturalis, ita nec ſi ſit magnus, an paruus, niſi adſit aliquod indicium, ue-

luti actionum læſio: præterea magnus lapſus interdum non eſt morbus, paruus verò eſt morbus pro varietate corporum imbecilliorum, vel robuſtiorum. Apparet igitur quàm vana ſit hæc definitio, cùm haud doceat aliquo pacto rem definitam noſſe: atqui veræ definitiones ſolent eſſe demonſtrationes ſola poſitione differentes, cùm plene demonſtrent, quid ſit definitum, & omnes eius cauſas complectantur. At Galeni definitio docet ſtatim cognoſcere morbum & ſanitatem ex actionibus ipſis, quod Argenterius veritate coactus cogitur fateri, etiam ſi pertinax ſit in ipſis a definitione excludendis, & inſuper eas cauillis quibuſdam inſulſis inſpergat. Ait enim. Cognoſcitur porro naturalis ›› conſtitutio tum ex aliis, vt poſtea oſtẽdemus, tum ex actionibus, ›› tanquam ex ſuis effectibus, non ꝙ actio omnis ſtructuræ ſit indi- ›› cium, ſed quòd neceſſariò ſtructuram ſequatur actio. Hæc ille. ››

Ego ſanè maiorem inſcitiam nunquam vidi: nam ſi ſtructuram actio neceſſariò conſequitur, ſtructuræ etiam neceſſariò eſt indicium. Addit quædam, quæ fidem abrogent actionibus, inania prorſus, & puerilia, quia actiones ſunt referendæ ſemper ad naturam corporis agentis: vnde ab imbecillo vel ætatis ratione, vel alterius cauſæ non ſunt validæ expectandæ actiones. Quare ſi puer edat actiones puero congruas, ſanus erit: ſic ſenex, & quicunque alius. Verùm ipſe etiam vel ſui oblitus, vel veritate ductus in expoſitione cap. 97. Artis medice ſic ſcribit. Vt morbum effi- ›› ciat aliquid, neceſſe eſt, vt ipſius ratione lædatur præter naturam ›› actio membri, in quo vitium conſideramus. Sed hæc ſatis de ›› Argenterij definitione: nam ſi errata omnia perſequi velim, ero ſtultus ad cribrum.

Definitio Fernelij, & eius reiectio. Cap. XXXI.

CVM vidiſſet Fernelius, definitionẽ morbi a Galeno traditã tot vrgeri incommodis, vt ea declinaret, pulcherrimũ machinatus eſt commẽtũ: aliam. n. inuenit, quæ verbis diuerſa videtur a Galeni definitione, re tamen eadẽ eſt, eos imitatus, qui deprehenſi mutatis veſtibus conantur effugere. Hic primo Pathologiæ cap. 1. dixit morbũ eſſe affectũ cõtra naturã corpori inſidentẽ. cap. 2. diſtinxit affectus, vt alij ſint

naturales

naturales, alij non naturales: non naturales eſſe aut præter naturam, aut contra naturam: ac affectus, conſtitutionesque præter naturam eſſe ait, quæ tametſi ex naturæ præſcripto non ſint, illi tamen nullam vim inferunt, veluti fœdus ictericorum color, & qui Solis ardore contrahitur: ſic vlcuſculum, quod neque ſenſum mouet, neque functionibus obeſt, præter naturam dici ait.
,, Affectum contra naturam eſſe pronunciat, qui non modo natu-
,, ræ limites exceſſit, ſed & illi vim infert, eiusque uires & functio-
,, nes interturbat, atque id modo proxime, modo alterius interie-
,, ctu facit. Quod igitur contra naturam vnum atque idem eſt, at-
,, que præter naturam actionem lædens. Ex hac eius diſtinctione, atq; interpretatione idem eſt dicere, morbus eſt affectus contra naturam corpori inſidens, ac morbus eſt affectus præter naturam actionem impediens: quare eſt eadem re, quæ Galeni definitio. Cùm verò alijs verbis ſit explicata, quàm Galeni definitio, ſubterfugit Argenterij calumnias. At ſi paulo ante ſtatuit, quod præter naturã eſt vim naturæ non inferre, nec lædere actiones, implicat contradictionem, ſtatuere, eſſe aliquid præter naturam, & actiones lædere, & eſſe aliquid contra nauram, quod etiã præter naturam ſit: quomodo enim ſtare ſimul poſſunt, quæ lædunt & non lædunt actiones, & quæ uim inferunt, & non inferunt? certe nullum uidi ſcriptorem, qui primo aſpectu maiorem præ ſe ferat grauitatem, & re ipſa leuior reperiatur, atque inconſideratior. At ſi contra naturam per ſe idem eſt, quod præter naturam actionem lædens, cur obſcure profert, quod planius pronunciare poterat? certè nullam aliam ob cauſam, quàm quia timuit Argenterij obiecta. Verùm ſi hæc definitio eadem eſt cum definitione Galeni ijſdem eſt obiecta criminibus, & ſuis etiam quibuſdam proprijs: nam Argenterius in comm. in Art. Med. uiſa hac eius diſtinctione ita eum interrogat, dicat mihi quo authore, quaue ratione de his nominibus ita ſtatuat: & optimo iure ſic interrogat: nullo enim authore, ſed de ſuo contra veterum vſum hæc finxit Fernelius, & præcipue contra Galen. Affectus non naturales diſtinguit in affectus præter naturam & contra naturam: at Galen. affectus non naturales ſeparat ab affectibus præter naturam, & eo magis ab affectibus contra naturam in lib. de pulſibus ad introd. c. 9. & propterea conſtituit ibi genera cauſarum: quæ pulſus alterant, naturale, non naturale, & præter naturam: inter

non

non naturales cauſas enumerat exercitia, balnea, cibum & potum, & conſimilia, quæ à natura quidem non fiunt, ſed potius principium extrinſecum habent, præter naturam tamen, aut contra naturam non ſunt, ut in hoc conueniat cum Ariſt. 2. Phyſ. 1. qui quæ natura ſunt principium in ſe ipſis motus habere ait, quæ non natura, principium extra ſe ipſa, veluti quæ arte fiunt: vnde & apud Ariſtot. res non naturales non poſſunt eſſe præter naturam, nec contra naturam. Galen. enim mirum in modum Ariſtot. imitatur: vnde 8. etiam Methodi cap. 9. ſeparat, quòd non natura eſt ab eo, quod præter naturam: & aduertendum eſt Galen. hic ponere, quòd non natura eſt medium inter naturale, & præternaturale, quod fortaſſe conueniat neutræ diſpoſitioni. Quare non ſolum contra Galen. ſed contra Ariſtot. etiam eſt hæc eius innouatio. Quod verò aliud ſit præter naturam, aliud contra naturam, neque hoc video eſſe admodum in vſu, immo quòd Ariſtot. & Galen. uocant παρὰ φύσιν, puto ab interpretibus conuerti nunc præter naturam, nunc contra naturam: videtur autem Ariſtot. duobus modis τὸ παρὰ φύσιν vſurpare, altero intelligens, quod omnino rei naturæ repugnans eſt, quod & violentum uocat, veluti igni deſcendere, & terræ aſcendere 8. Phyſ. 3. atque hoc proprie dici poteſt contra naturam, & in hoc ſignificatu morbus non diceretur vere contra naturam, quia non repugnat hominum naturæ in morbos incidere, nec violentum eſt, immo uerò ex principiis intimis homo in morbos incidit, in ſenectutem, & mortem, vt colligitur ex philoſopho 5. Phyſ. 56. & etiam ex Gale. 1. de Tuen. val. c. 1. altero vero modo vſurpat τὸ παρὰ φύσιν, quod ſit declinatio quædam ab eo, quod ſecundum naturam eſt 2. Cœli 17. & ἔκστασιν uocat: Simplicius verò παρέκβασιν: vnde eodē in lib. 10. partic. 37. in hoc ſignificatu ſenectutem & tabem eſſe ait, παρὰ φύσιν, quod rectè præter naturam dixeris, & omnes impotentias præter naturam eſſe aſſerit eo loci. Morbus itaque rectiſſimè à Gale. diligentiſſimo Ariſtot. imitatore dicitur διάθεσις παρὰ φύσιν in hoc ſecundo ſignificatu, & commode à nobis dicitur diſpoſitio præter naturam. Hinc apparet diſtinctionem hanc Fernelij eſſe contra veterum authoritatem, & rerum naturam. Et quàm vana ſit declarat ipſemet: cùm enim hic morbum eſſe velit affectū contra naturam, in progreſſu obliuiſcitur diſtinctionis huius, vnde in 4. lib. Pathologiæ c. 1. ſepties febrē ait eſſe calorem præter naturam:

turam: atqui ſi poſitiones ſuas ſeruare volebat,vt par erat,contra naturam pronunciare debebat eſſe eum calorem. Ac ſanè ſi hoc vnum eſt de illorum numero, de quibus ita ſe iactat in præfa- „ tione,noua quàmplurima, & hactenus incomprehenſa paſſim ad ieci,miram quidem rem inuenit, ac patefecit, qua ſcilicet carere ars non poterat. Cùm præter veterum omnium authoritatem ſit hæc nominum diſtinctio, obſcuritatem etiam parit. Non enim docet hæc definitio quomodo aut æger ipſe, aut medicus morbum cognoſcere valeat. Morbus inquit,eſt affectus contra naturam,quomodo cognoſcam ego affectum quempiam contra naturam eſſe ſine vllo euidenti ſigno? Quid adeſt in hac definitione,quod ſeparet affectum contra naturam ab affectu præter naturam? reſpondebit id apparere ex iam tradita ab eo diſtinctione, & interpretatione eorum nominum: dictum enim eſt affectum contra naturam vim inferre naturæ & actiones impedire:vnde hæc definitio eadem eſt cum definitione Galeni: at breuior eſt, & multa complectitur, & hoc pacto euadit Argenterij, aliorumque obiectiones:præclara ſanè reſponſio,in qua videtur præſtare illud alterum etiam,quod iactat in præfatione, cùm ait.Ob- „ ſcura illuſtraui. Si hoc eſt obſcura illuſtrare, iudicent omnes,mihi quidem videtur planis, & perſpicuis tenebras offendere: cùm enim Galeni definitio rei naturam explicet, doceatque,quomodo res ipſa cognoſci non a medico tantùm,ſed ab ægro etiam poſſit,vt apparuit in examinatione definitionis eius: hic oſcura omnia facit, vt nemo poſſit intelligere,quid velit, niſi nomina diſtinguat,atque interpretetur, abhorrentia ab vſu omnium bonorum authorum. Atqui Ariſt.2.Poſter.83.perſpicuitatem exigit in definitionibus, quod cùm Galen. optime obſeruauerit, Fernelius contra omnino fecit obſcuritatem affectans.

Definitionem morbi à Galeno traditam eſſe perſpectam atque optimam. Cap. XXXII.

CVM reiecerimus obiecta omnia contra definitionẽ morbi à Galeno traditam, quæ ita habebat, morbus eſt diſpoſitio corporis præter naturam impediens actiones primo & per ſe, patet optimam eam eſſe definitionem, quod idem ab initio etiam iudicari potuit, cum ipsã

ex

ex eſſentia, atque ex notione conflatam eſſe conſtet: at id etiam ex Ariſtot. poſſumus oſtendere, qui cùm tria deſideret in vera & legitima definitione, primum ut prædicata in definitione comprehenſa eſſentialiter de definito dicantur, non ex acciden ti, alterum vt ſe ſe recto ordine conſequantur, tertium ut adſint omnia, quæ naturam definiti expleant, nec plura ſint, nec pau ciora, hæc omnia in hac definitione obſeruantur: nam diſpoſitio de morbo prædicatur per ſe, præter naturam eodem pacto, nec ſecus, impediens actiones primo: ordine etiam ſunt collocata, & primo loco, quæ latius patent, & ſic deinceps, nam diſpoſitio latius patet, quàm præter naturam, cùm ſanitati etiam conueniat: quod præter naturam eſt latius patet, quàm actiones impediens primo & per ſe, nam cauſa morbi & ſympto mata ſunt præter naturam, nõ tamen impediunt actiones primo & per ſe, adſunt & omnia prædicata, cùm hæc omnia ſimul ſumpta conuertantur cum definito. Quamobrem definitio hæc optima eſt: vnde Auicennas Auerroisque eam ſunt ſecuti, licet enim quædam uideantur interponere, quia tamen parui ſunt momenti, poſſunt omitti: nec etiam aliquid negocij faceſſere poſſunt. Eſt tamen adhuc aliquid difficultatis in hac definitione, quod miror non aduertiſſe Argenterium. Scribit enim Galenus 8. Methodi cap. 1. Sanè vnus quiſpiam morborum eſt, quos intemperies creat, & febris utique, cùm adeo immodice auctus calor eſt, ut & hominem offendat, & actionem lædat. Quando ſi neutrum adhuc efficiat, quantumuis ſit homo nunc, quàm ante calidior, nondum tamen febricitate eum monſtrauimus. Ex his uerbis inferat quiſpiam definitionem eſſe mancam, atque ita explendam: morbus eſt diſpoſitio corporis præter naturam hominem] offendens, & actiones impediens: nam quòd hæc duo ſint diſtincta, patet ex Galeni uerbis. Offendere uerò eo loci nihil eſt aliud, quàm moleſtiam inferre: unde primo de Tuenda Valetud. cap. 5. morbum actiones impedire, & moleſtiam afferre ait: idemque repetit lib. 6. cap. 5. confirmatur ex primo Epid. ſec. 2. commento 46. Corpora ſana habent ſeu laboris, ſeu doloris, ſeu moleſtiæ vacuitatem ita propriam, vt auelli ab eis non queat. Si non poteſt vacuitas moleſtiæ auelli a ſanis corporibus, certum eſt, cùm copora afficiuntur moleſtia, non eſſe ſana, morbus itaque non ſolùm actiones impedit, ſed moleſtiam

etiam affert. Dicerem ed hoc non poſſe impediri actiones ſine moleſtia ægri, poſſe tamen induci moleſtiam, & offenſam ſine actionum impedimento: & ideo Galenum offenſam tacuiſſe, cùm ab actionum impedimento remoueri non poſſit. Dices verba Galeni aperte innuere, alteraturum ex his ſatis eſſe ad conſtituendum morbum, cùm dicat, quando ſi neutrum adhue efficiat: innuit namque ſi alterum ex his efficiat, aut offenſam moleſtiamque, aut actionum impedimentum, quòd morbus erit. Reſpondeo, hominem morbo affectum non conſiderare ſemper actionum noxam veluti in febre, ſed ſolum moleſtiam, quam percipit ex morbo: & ideo cum moleſtia premitur, quam ferre non poteſt, iudicat ſe ægrotare nullo conſiderato actionum imperdimento, cùm ea tamen moleſtia coniuncta eſt actionum noxa: cùm itaque moleſtia ſine actionum impedimento morbus non ſit, impedimentum actionum ſine moleſtia morbus ſit, ideo in definitione moleſtia non fuit adiungenda, etiam ſi ſæpe adiuncta ſit actionum impedimento. Altera huic conſimilis dubitatio exoriatur ex verbis Galeni in lib. de Diff. morb. cap. 4. ait enim, ſi qua pars vitietur, quæ vſum, aut actionem exhibeat, eum eſſe morbum. Hinc colligas in definitione morbi eſſe ponendum non tantum actionis impedimentum, ſed etiam vſus: cùm præſertim viſuri ſimus partes etiam vſum prebentes morbo affici. Dico in quocunque morbo actionem aliquam lædi, vſum verò non in omnibus, ſed in aliquibus tantum: & ideo complexus eſt in definitione, quod ſemper euenit. Sed hac de re videbimus latius in ſequentibus. Nunc tempus eſt, vt definitioni finem imponamus. Et ad morbos ſimilarium partium veniamus.

COMI-

COMITIS MONTANI DE MORBIS SIMILARIVM PARTIVM EX INTEMPERIE.

LIBER SECVNDVS.

De ſubiectis miſtioni idoneis, & de nominibus quibuſdam. *Cap. I.*

CVM de morbis ſimilarium partium ſummatim antea enumeratis fuſius acturi ſimus, qui intemperies ſunt, vt facilius eorum naturam percipere, & orientes ab eis difficultates eno dare valeamus, paucis aperiendum eſt, quid ſit temperies: ſed quoniam temperies aut miſtio eſt, aut ex miſtione oritur, cognoſcendum eſt antea, quid ſit miſtio. Quod vt dilucide exequamur, videbimus primò ad Alexandri imitationem, quæ nam ſint, quæ ad miſtionem veniant. Miſcentur & temperantur ſimul ea dumtaxat, quæ per ſe ſeparatim ſubſiſtere poſſunt. Cùm autem nihil in rerum natura ſit, quod per ſe ſubſiſtere poſſit præter ſubſtantias, ſequitur ſubſtantias ſolas miſceri & temperari ſimul. Et ideo paſſiones inter ſe miſceri non poſſunt: cùm a ſubiectis ſeparari non queant, nec paſſiones cum ſubiectis miſcentur eadem de cauſa: nec formæ ſubſtantiarum miſcentur, cùm per ſe a meteria ſeiunctæ ſubſiſtere non poſſint, nec materiæ etiam, cùm actu nunquam ſint ſine forma. Hinc relinquitur eas ſolas ex ſubſtantijs venire ad miſtionem, quæ per ſeſe ſubſiſtere, & locum occupare poſſunt: huiuſmodi ſunt naturalia corpora compoſita ex materia & forma, veluti aqua, & uinum, quorum vtrumque ab altero ſeparatum eſt, poſſunt itaque ſimul commiſceri. Habitis his, quæ ueniunt ad miſtionem, uidendum eſt, nunquid miſtio, & temperies ſint idem, uel aliquam inter ſe habeant differentiam. Miſtio igitur, quæ μίξις Græcis dicitur,

ueniant, in quo nulla excellit qualitas: in oſſium formatione ad mediũ ueniant, in quo excellit frigiditas & ſiccitas: in carnis etiã formatione idem eueniat, cùm tamẽ calida ſit, & humida, patet, quã late pateat hoc medium, ut interim partes reliquas taceam: cùm itaque læte pateat medium hoc temperamentum, dum partes ſingulæ medium hoc ſibi conueniens retinent, ſanitate fruuntur ipſæ, & totum corpus vna cum eis, quod ex diſparibus iſtis medijs ſeſe contemperantibus in quibuſdam redditur temperatum ad unguem, licèt rarò id eueniat. Verùm cùm in partibus his alteratur media illa temperies earum naturæ congrua, atque accommodata, morbi exoriuntur, ſed non ex qualibet alteratione: nam & hic ingens eſt latitudo, ut docet Gale. 1. de Tuen. Valetud. cap. 4. in lib. de Conſtit. ar. cap. 10. & in Arte Medica cap. 8. id quod patebit, ſi multorum hominum naturam conſideres, & ſimul conferas: alios enim inuenies æſtuantes, & feruidos, alios egelidos, & torpidos, hos humidiores, illos ſicciores, omnes tamen ſanos, licèt haud exquiſita & inculpabili ſanitate. Si eundẽ etiam conſideres hominem, dum puer, dum iuuenis, dum ſenex eſt, magnam in temperamentis mutationem deprehendes, & tamen ſanus erit: anni tempora, vitæ inſtituta, animi motus, & corporis, aliaque multa temperamenta alterant, non ſemper tamen morbos inuehunt: ſi conſideres etiam actiones, uidebis eas in alijs ualidas, in alijs imbecillas, & tamen erunt hi omnes ſani: ſi ſtatum etiam corporum conſideres, magnam inuenies diſſimilitudinem, & tamen in omnibus eſt ſanitas. Hinc oritur uaſta illa, atque ingens corporum uarijs modis diſpoſitorum latitudo, ex quibus tres ſtatus Galen. conſtituit optimum, deprauatum, & morboſum: optimum vnicum eſſe ait, cùm in omni rerum genere unicum ſit, quod optimum, uitioſa uerò plurima: reliqui duo ſtatus numero definiri non poſſunt, nam deprauatus tot modis fieri poteſt, ut comprehendi non queant, nec ſecus morboſus. At actiones ſtatus hos diſcriminant: nam in optimo ſunt ualidæ, in deprauato imbecilliores, in morboſo læſæ atque impeditæ: unde ſæpe prædicat Galen. hæc duo eſſe neceſſaria ad morbum conſtituendum, & ut diſpoſitio præter naturam ſit, & actiones lædat. Leſio itaque actionum certiſſimum erit indicium, adeo quempiam à temperie ſua receſſiſſe, ut in morbum inciderit. Quamobrem cùm temperies medium ſit, hinc ſequitur,

optimum

tio, & horror vini potu æquali aquæ miſti ſanetur: ait igitur Galenus ſic. ἕκαστον τούτων τῶν εἰρημένων οἴνου πόσις, θεραπεύει ἀκρατεστέρου, τὴν συμμετρίαν δὲ τῆς κράσεως αὐτὸς ἐδήλωσεν εἰπὼν, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος, ὕδατι γὰρ δηλονότι κεράννυσθαι βούλεται τὸν οἶνον ἴσῳ. hoc, & ad alia liquida, quæ ſimul miſcentur, tranſtulere, veluti ad humores: humores enim ſynceros ἀκενθεστέρους vocat Hippocrates, non ſynceros verò, ſed cum alijs confuſos ξυμμεμιγμένους in 2. progn. vbi agit de vomitu, de ſputo, ac de empyicis. 4. etiam de Tuen. Valetud. cap. 6. Gale. ſcribens de compoſitione oxymelitis, atque vſu ſic ait, εἶτ' ἀποθεμένους τούτου μιγνύειν ὕδωρ ἐπὶ τῆς χρήσεως οὕτως κεραννύντες ὡς οἶνον, quæ ſic vertit Linacer. Hinc ab igne depones: quumque vti voles, aquam ei miſcebis ita nimirum temperans vt vinum. Ex hac opportuna vocum explicatione habetur in miſtione, quæ temperatio eſt, ea quæ miſcentur, in vnum corpus vniri, vt patet ad ſenſum: aqua enim & vinum ſi temperentur, vnum corpus efficiunt.

Quomodo ſit miſtio, & quid ſit. Cap. II.

CVM hactenus habuerimus quæ ſint, quæ ad miſtionē veniunt: atque hæc cùm miſcentur, & temperantur, ſimul vniri in vnum ſubiectum, videamus, quomodo id fiat. Conſtat, quæ miſcentur, corpora eſſe naturalia locum occupantia, cùm hæc in vnum conuenere, ſi debent ſimul miſceri, vim habeant agendi, & patiendi, eademque ſubiectam materiam, neceſſe eſt. Huiuſmodi ſunt contraria, quare inter contraria tantummodo ſimul coeuntia miſtio fieri poteſt: non enim quodlibet agit in quodlibet, & patitur a quodlibet: ſed in contrarium, & a contrario: ſimile enim a ſimili non patitur, vnde aqua non miſcetur aquæ, nec vinum vino, ſed aqua vino, nec prorſus diuerſum a diuerſo, veluti vox a linea, quia materiam eandem ſubiectam non habent. Agunt igitur contraria in contraria, & a contrarijs patiuntur, nec ſolum in contraria, ſed etiam in media, nam calidum non ſolum agit in frigidum, & patitur a frigido, ſed in tepidum etiam, & ab eodem patitur. Cùm hæc inter ſe agant, & patiantur, vt facilius id præſtent, humida ſint oportet, aut humido perfundantur, ac præterea in minimas particulas

diuidantur, quæ ſibi inuicem appoſitæ facilius & citius ſe inuicē alterant, & quo diutius morā traxerint, eo magis commiſcentur, quod patet ex iis, quæ arte parantur: nam nitimur moliri hanc diuiſionem ad minimas particulas, aut ualde agitando, & quaſſando, quæ commiſcentur, aut ex alto è uaſe in uas transfundendo, quod eleganter docet Galen. in extremo primo libro de Elementis, ſi modo liber ille in duos diuidi debet contra authoris proprii ſententiam. Eius loci uerba, quia naturam miſtionis
„ aperiunt, ideo adducenda ſunt. Si uinum inquit, exempli gratia,
„ aquæ immiſceatur, particulæ horum utrorumque in minima in-
„ fringuntur, moxque inter ſe mutuo agunt, & patiuntur, & eo fa
„ cilius ſibi inuicem qualitates inpartiuntur, quo fuerint in mi-
„ nutiora redacta, & propterea qui id genus tes permiſcent, diu-
„ tius eas commouent, eo commento diuiſionem in minima mo-
„ lientes. Atqui & ipſa ratio dictat, qualitates eorum melius ſimul
„ uniri, quæ magis & diutius fuerint commiſta: nam tempore opus
„ eſt, ut eorum, quæ commiſcentur mutuo particulæ inter ſe in-
„ uicem exacte agant, & patiantur, atque ita totum id unum & ſibi
„ undique & penitus ſimile euadat. Et hac de cauſa nonnulla poſ-
„ ſunt ſtatim poſt miſtionem ſegregari, quæ ſi diutius permanſe-
„ rint & tantiſper, donec totum factum fuerit unum, nequit alte-
„ rum ab altero amplius diuelli. Hæc Galen. Quæ hactenus dicta ſunt locum habent in iis, quæ arte parantur, & à medicis præſertim in medicamentorum compoſitione, ſi ſenſum ſequamur iudicem. Sed quoniam Galen. 1. de Temperam. c. 9. aſſerit ueram miſtionem non eſſe opus humanæ artis, ſed Dei, & naturæ, licet enim nos multa ſimul commiſceamus, quæ corpus unum ſimilare uideantur eſſe, ueluti emplaſtra, antidota, & alia conſimilia medicamenta, illa tamen nō eſt uera miſtio, ſed potius quædā ſingulorū ad ſingula appoſitio, unde uerius compoſitio appellāda ſit, quàm miſtio, loquamur nos de uera miſtione, quæ a natura celebratur, hanc enim præſens inſtitutum noſtrū exigit. Cùm itaque quæ miſcentur, corpora ſint prædita materia, & forma, & locum occupantia, contrariaque inter ſe, ut poſſint mutuo inter ſe agere, & pati, quatuor elementa ignis, aer, aqua, & terra omnibus prædita ſunt cōditionibus, quæ ad ueram miſtionem, & temperamentum requiruntur. Hæc itaque cùm in unum conuenere, ſi paribus ſint uiribus, fit miſtio, ſi imparibus ita ut vnum

ſuperet

ſuperet reliqua omnia magno exceſſu, non ſit miſſio, ſed generatio, & corruptio, nam quod ſuperat, reliqua in ſe conuertit: quare ipſum augetur, reliqua corrumpuntur, atque hoc pacto ex elemento gignitur elementum, quando alterum ſuperat, & alterum ſuperatur. Sed ſi hæc paribus uiribus ſint, natura agunt aliud in aliud, & patiuntur aliud ab alio ualidiſſime, dum uires habent ſummas, atque integras: ſed cùm paulatim infringantur, & retundantur, antequàm aliud ſuperet aliud, pugna ceſſat, cùm uires fractæ amplius agere non poſſint, & unumquodque ſuperauerit, & ſuperatum fuerit, unde dicebat Ariſt. miſtionem eſſe miſcibilium alteratorum unionem: nam in ea pugna calidum alteratur à frigido, & frigidum a calido, ſiccum ab humido, & humidum a ſicco, & ſic ſumma qualitas in unoquoque remittitur, & ad mediocritatem quandam deducitur: cùm itaque ad medium omnia uenerunt: & pugna ceſſauit, uere ſimul uniuntur, nec amplius ſeruat aliquid ex ramentis illis minutis, ſuperficiem ſuam, ſed ex omnibus corpus unum ſimilare conſtituitur, quod unum uere eſt ſubiecto, & qualitate, non ſemel tantum, ſed bis & ter id pronuntiante Alexandro: & hoc eſt, quod dicebat Ariſto. 2. de Gen. & Corr. 48. ex mutua permutatione elementorum, quando calidum fit frigidun, & frigidum calidum, humidum ſiccum, & ſiccum humidum, ita ut omnia ueniant ad medium, tunc fiunt carnes, oſſa, & aliæ conſimiles partes. Hæc itaque eſt miſtio, quæ uere temperies dicitur.

De temperie. *Cap. III.*

QVAMVIS tota illa actio, in qua elementa in unum coeuntia ſimul pugnant, donec ad mediocritatem deueniant, quam vbi obtinuere, ceſſat pugna, temperies, temperamentum, temperatura, & rectius fortaſſe temperatio dicatur, ita ut non qualitates tantum, ſed ſubſtantias etiam complectatur, ea tamen temperies, de qua quærimus, eſt mediocritas illa, ad quam deueniunt à pugna ceſſantes qualitates: & merito temperies dicitur, quia ſeſe mutuo ſummæ illæ qualitates temperant, calidum frigidum temperat, & ad mediocritatem deducit, ſic contra, frigidum calidum, ſic humidum ſiccum, & ſiccum humidum. Eſtq; hæc temperies qualitas, quæ ex

omnibus illis reſultat, mediocris & moderata. Hanc mediocritatem Ariſtot. loco ante citato non indiuiduam, ſed amplam, & late patentem eſſe vult, atque id rei natura indicat: cùm enim corpus humanum conſtet ex multis partibus ſimilaribus, varijs, atque diuerſis: & in conſtitutione vnius cuiuſque partis elementa veniant ad medium, non poſſunt ad idem medium in omnibus deuenire: quare late pateat medium illud, neceſſe eſt: in quibuſdam quidem partibus videntur ad exquiſitum medium deuenire, in quo nullus ſit inſignis exceſſus qualitatis alicuius: in quibuſdam leuis apparet exceſſus: in alijs magis conſpicuus, & in alijs adhuc magis. Hinc varia exoriuntur temperamenta, de quibus acturus Galen. in lib. de Temperamentis in principio ſtatim ait. „ Animalium corpora conſtare ex calidi, frigidi, ſicci, humidique miſtura, nec eſſe horum omnium parem in temperatura portionem, demonſtratum antiquis abunde eſt tum philoſophorum, tum medicorum præcipuis. Sequuntur hæc temperamenta qualitatem elementi dominantis in vnoquoque miſto. Quare vnaquæque pars ſimilaris ſuum proprium eſt ſortita temperamentum a qualitate dominante, vt licet colligere ex Galeno in libris illis, & præſertim lib. 1. capit. 9. Hinc cutis interna manus, cùm conſtituta ſit ex pari elementorum portione, temperata dicitur, ita ut nulla in ea qualitas excellat, atque hoc, quia cùm elementa conſtituentia paribus eſſent viribus, ad vnguem ſe temperarunt in conflictu. In oſſibus conſpicua eſt qualitas frigida & ſicca, quia cùm plus terræ habeant, quàm aliæ partes in miſtione, licet ad medium venerint qualitates, non ita tamen medium attigere, quin terræ qualitates eminuerint. Carnes calidæ ſunt atque humidæ, quia multum aeris continent: aliæ ſunt humidæ & frigidæ, veluti cerebrum, & nerui: aliæ calidæ, & ſiccæ, veluti cor: ſed in humoribus valde excellunt qualitates: & licet in multis exceſſus ſit qualitatum conſpicuus, eſt tamen & illa mediocritas, quia quidquid naturæ partium ſingularum conuenit, mediocre eſt, & temperatum dicitur temperie Iuſtitiæ. Media igitur illa qualitas, ad quam veniunt elementa in miſtione, & conſtitutione partium, eſt temperies illa, quam quærimus. Hinc Auicennas recte definiuit temperiem, eiuſque ad vnguem eſſentiam ac naturam expreſſit, cum dixit temperiem eſſe qualitatem, quæ prouenit ex mutua actione & paſſione

ſione contrarium qualitatum in elementis inuentarum, cùm ſi- ,,
mul miſcentur. Hoc idem ſenſit Alexander: ait enim pugnam ,,
elementorum eouſque progredi, donec abiectis contrarietatum exceſſibus, per quas inter ſe diuerſa erant, & contraria, vnam ex omnibus facultatibus gignant qualitatem. Atque hæc quidem eſt temperies partium ſimilarium, ſi loquaris autem de temperie totius, quæ exoritur ex ſingularum partium temperie, ſequetur hæc partium dominium, ſi calidæ enim ſuperabunt, totum erit calidum, ſi frigidæ frigidum, atque idem de reliquis: idem dixeris de temperie influente ad totum ex corde, & hepate.

Fernelij obiectio contra Auicennæ definitionem, eiuſque refutatio. Cap. IIII.

DICET rationi, & ſenſibus etiam ſit conſentaneum, temperiem eſſe qualitatem, quæ in mixtis oriatur ex pugna qualitatum primarum, Fernelius tamen authoritate cenſoria, quam ſibi paſſim vſurpat, ſubabſurdam eſſe ait Auicennæ definitionem, nam ſi verum, inquit, eſſet, hanc temperiem quintam eſſe qualitatem, qualitates omnes priores euanuiſſent, quod falſum eſt, cùm manifeſtum ſit eas adhuc ſuperſtites eſſe, ſed ſi concedamus, inquit, eas euanuiſſe, quænam in corpore remanebit repugnantia, cùm vnica tantùm ſit qualitate præditum? quod ſi nulla reſtat repugnantia, vnde oritur temperamenti mutatio per ſingulas ætates, vnde morbi, vnde ſenium, & tandem interitus? Præterea ſi pereunt qualitates illæ, quomodo in corporis diſſolutione vnumquodque elementum in ſuum rurſus abit elementum, ut voluere Hippocrates & Galenus? Hæc ille contra Auicennam in 3. partis natur. med. cap. 1. cum quo facit Fuchſius 1. Inſtit. ſec. 3. capit. 1. Cæterùm obiecta hæc aduerſus Auicennam, & veritatem facile reijciuntur. Quantum igitur ad primum, dico temperiem non eſſe quintam qualitatem diuerſam a quatuor primis qualitatibus, ſed ex omnibus illis reſultare, & vnam ex illis eſſe non ſummam atque intenſam, ſed remiſſam ac refractam: vnde temperies cutis non eſt aliqua ex illis, ſed omnium mediocritas: frigiditas, & ſiccitas oſſium eſt terræ frigiditas & ſiccitas, quæ in oſ-

ſibus

ſibus dominatur, non illa quidem ſumma frigiditas & ſiccitas, quæ terræ elemento propria eſt,ſed refracta,& contemperata ab humiditate & caliditate aliorum elementorum. Quod ſi etiam dicas hanc quintam eſſe qualitatem, cùm Ariſt. 7.Metaphyſ.ult. aſſerat compoſitum non ſolùm eſſe res componentes, ſed aliquid aliud: unde ſicuti caro non eſt ignis, & terra, ex quibus componitur, ſed aliquid aliud, ſyllaba BA, non ſolùm eſt B,& A, ſed aliquid aliud, ita temperies non ſolùm eſt aggregatum quatuor primarum qualitatum, ſed aliud aliquid, non ideo ſequitur primas qualitates euaneſcere: ſunt enim ſuperſtites adhuc, non in illo quidem ſummo gradu, ſed remiſſo & moderato. Cùm uerò ait, quæ reſtabit in corpore repugnantia, cùm vnica ſit qualitate præditum, quæ ſecum ipſa pugnare non poteſt, tantam demonſtrat inſcitiam, ut ex albo philoſophorum ac medicorum ſit excludendis: uidetur enim putare totum corpus unicum eſſe miſtum, quod una tantum ſit præditum qualitate, nam ſi hoc nõ putaſſet, argumentum huiuſmodi eſſet ab hoc propoſito alieniſſimum: atqui ex iis, quæ iam declarata fuere, conſtat, corpus conſtare ex miſtis inumerabilibus, quorum unumquodque ſua præditum eſt temperie ab aliorum temperiebus diuerſa: unaquæque enim pars ſimilaris ſuam habet temperiem, non continentes tantùm, ſed contentæ etiam,& impetu diſcurrentes: cùm itaque corpus ex uariis conſtet partibus ſuo quibuſque temperamento præditis poteſt inter partium temperamẽta pugna oriri, quæ mutet vniuerſum temperamentum. Ac cùm duplex oriatur in corpore humano mutatio, altera naturalis, altera præternaturalis, illam molitur calidũ inſitum agens in humidum primigenium, unde prouenit ætatum mutatio, ſenium, & mors, vt late declarat Gale. in princip. librorum de Tuen. Valetud. hanc cauſæ tam internæ, quàm externæ, quæ & morbos, & mortem pariunt: internæ potiſſimum ſunt humores, qui aut aucti, aut imminuti, aut inalterati corpus uexant: externæ ſunt res omnes, quas uocant non naturales, quæ uim habent corpus alterandi. Quod tandem prohibeantur elementa reuerti in miſti diſſolutione ad ſua congenera elementa, niſi in miſto retineant ſummas qualitates, id non ſequitur: nam paulatim fit illa ſeparatio, ac quando facta eſt, integre, atque perfecte, unumquodque qnalitatem illam ſuam ſummam actu recuperat, quam poteſtate in miſto obtinebat, atque

hoc

hoc longo fit tempore, longo enim tempore putreſcũt corpora, & corrumpuntur: vnde ſicuti elementa cùm ad miſtionem deuenerunt, ſummas obtinebant qualitates, quæ paulatim ſe inuicem retundentes ad mediocritatem redigebantur, ita in corruptione paulatim accedunt ad ſummum gradum, quem ubi integre à ſe inuicem ſeparata fuerint, integrum acquirunt. Fiunt quæ putreſcunt authore Ariſtotele, & ſenſu prius humida, deinde cinerulenta, & hæc eſt ea pars, quæ reſtat ſenſibus conſpicua, quam veriſimile eſt, ea frigiditate & ſiccitate eſſe præditam, ſicuti & terra eſt: terra inquam hæc, quam calcamus, quæ cùm pura non ſit terra, ſummam frigiditatem & ſiccitatem non obtinet: de Galeni nanque ſententia neque terra, neque aliud elementum apud nos purum & ſincerum eſt: atque vnico verbo cùm elementa in miſto contineantur poteſtate, non actu diſſoluto & corrupto miſto, mirum non eſt, ſi iterum exeant in actum, & vnumquodq; ad elementum ſuum reuertatur, ignis ad ignem, aer ad aerem, aqua ad aquam, & terra ad terram. Reiectis eius argumentis aduerſus Auicennam, videamus quid ipſe ſenſerit de temperie.

Fernelij poſitio de Temperatura, & confutatio. Cap. V.

HIC eiuſdem libri cap. 2. de temperie ſententiam ſuam aperit, quam in primo obſcure protulerat: vult itaq; in miſto uigere ſummas qualitates, ſummam caliditatem, ſummam frigiditatem, ſummam humiditatem, & ſummam ſiccitatem: nam licet ad ſenſum id non appareat, hoc ideo euenit, quia alia aliarum vires infringit, & perinde eſt ac in temperatione aquæ gelidiſſimæ & feruidiſſimæ paribus portionibus, nam nec ingens illud frigus, nec calor tangentibus apparet, quia alter alterius vires infirmat, nec credendum eſt tam ſubito receſſiſſe ſummam frigiditatem ex frigida, & ſummam caliditatem ex calida: hinc ſtatuit ipſe temperiem eſſe rationem miſtionis, proportionem, comparationem ſummarum qualitatum inter ſe, concentum, & harmoniam, quæ omnia cùm repugnent ſenſui, & rationi, credo a nemine percipi, nec etiam ipſum percepiſſe puto, quid voluerit. Statuit etiam authorem Galenum huius opinionis, quod qualitates reſtent ſummæ,

mæ in miſtis, eamque defendit ab Auerroi. Sed quàm vana ſit hæc opinio, quòd elementorum qualitates in miſto ſummæ ſint, hinc licet animaduertere: nam ſi ab eo quæras, cùm ſummæ ſint, cur non agunt, & pugnant inter ſe? riſpondet quia vim non habent agendi: ſi quæras iterum, cur vim non habeant, reſpondet, propter reſiſtentiam contrarij: cùm enim adſit ſumma caliditas impedit ſummam frigiditatem, ne agat, & frigiditas contra impedit caliditatem, quod alijs etiam duabus euenit, quoniam licet ſummæ ſint, tamē cùm impeditæ, ac veluti deuinctæ ſint, vi carent agendi. Sunt itaque qualitates in ſummo gradu, vires tamen habent imminutas, vnde cùm Ariſtot. ait, eas ad medium deuenire, non de qualitatibus intellexit, ſed de viribus qualitatum. At quæro ego iterum, cùm ſimul conuenere elementa ad miſti compoſitionem, quomodo egerunt? quomodo miſtum compoſuerunt mutua actione, & paſſione? cur non ſe impediuerunt & tunc? cur non deuincta fuit eorum vis? poſt miſti compoſitionem quid noui accidit, quod eorum vim deuinxerit? videtur innuere hanc reſponſionem: quod in miſto hæ magis ſunt perfuſæ contrarijs, cùm tota per tota miſceantur, & ideo magis deuincta eorum vis: at iterum inſto, quando cœpit fieri miſtio, nonne facta eſt in minima diuiſio, & minimorum applicatio, & vnumquodq; minimum ſua qualitate peruaſit per tota alia minima, & ſic pugnatum eſt, donec miſtum abſolutum eſſet? quare igitur & tunc contrarij perfuſio non impediuit vim agendi? quoquo ſe vertat, ſemper diſſentanea loquetur, & ab Ariſtotelis decretis aliena: nam ſi qualitates in ſummo maneant, ea, quæ veniunt ad miſtionem, non alterabuntur, calidum non fiet frigidum, nec frigidum calidum, humidum ſiccum, & ſiccum humidū: quod ſi hæc alteratio non fiat, nec etiam vnio fiet, & noua forma partium ſimilarium. Præterea ſi vis hæc agendi impedita iacet, nonne vrgetur hæc poſitio eiſdem incommodis, quibus vrgebat ipſe Auicennam, & grauius vrgetur, quia Auicenna facile elabi potuit, & declinare incommoda ea, quæ eius poſitio effugere non poteſt: nam ſi deuincta eſt vis agendi, quomodo fiet repugnantia in corpore, quomodo mutatio temperamentorum? quomodo inuaſio morborum? ſenij, & mortis? Abſurda eſt quidem poſitio, ſed eius demoſtratio abſurdiſſima, tùm vult in temperatione aquæ gelidiſſimæ, & feruidiſſimæ ſeruari in illa

ſummum

ſummum algorem, in hac ſummum feruorem, quia non poteſt adeo ſubito euaneſcere qualitas utraque. At quantum hæc ſenſui repugnent,& quotidianæ experientiæ,hinc diſcas,licet. Videmus interdum febre ardenti æſtuantes potu largo aquæ frigidæ æſtum ſubito reſtinguere, & febrem pellere: quid dicemus tunc? aquam frigidam perſiſtere in corpore retinentem ſummã frigiditatẽ,& in membris perſiſtere ſummũ illum æſtum,ſed non percipi, quia uim agendi amiſit vtrunque, adeo ut æſtus impediat,quominus percipiatur frigus,& frigus, quominus percipiatur æſtus? ſunt hæ nugæ meræ, æger enim liberatur à febre omnino,nec æſtum,ſitim,& alia ſymptomata percipit,quæ percipiebat antea,& interdum euomet aquam ipſam, ne dicas ipſam adhuc in corpore remanere,& ſua frigiditate reſiſtere calori febrili.

Præterea iniicias globum ferreum ignitũ, & candens in aquã gelidam, & ſtatim educas, proculdubio inuenies aquam illam teporem quendam acquiſiſſe, & frigiditatem depoſuiſſe, & globum etiam illum multum de calore remiſiſſe, quis neget eo inſtanti, & ferrum egiſſe in frigidum aquæ, idque retudiſſe, & aquam egiſſe in feruorem ferri, idque pariter debilitaſſe? ſunt hæc ſeiuncta, & dicere non potes frigiditatem aquæ impedire, ac deuincire æſtum ferri, ne agat, & percipiatur: nec feruorem ferri deuincire ac impedire geliditatem aquæ,ne agat in tactum noſtrum. Negare igitur qualitates contrarias vno in loco coeuntes,& eas maxime,quæ maximam uim habent agendi, non agere inter ſe,& pati,eſt negare, quæ ſenſui ſunt euidentiſſima,quod nemo faciat,qui ſenſu,& mente ſit præditus. Præterea cùm in miſto qualitates per totam ſubſtantiam permeent, ſi aderunt in eo ſummæ hæ qualitates,nonne in eodem ſubiecto vno & eodem tempore contraria ſimul reperientur? Reſpondet ipſe ſic huic argumento, Ita contraria eodem ſubiecto contine- ›› ri inficiamur,iccirco ſanè quod ſimul illa vna eademque ſede ex- ›› cellere & dominari nequeunt: neque quicquam poſſit à contra ›› riorum utroque nomen obtinere, ſed ab eo duntaxat cuius uis ›› præſtat,atque uincit.His uerbis reddit quidem rationem,quod contraria ſimul eſſe non poſſint, ſed tamen non liberat poſitionem ſuam ab eo incommodo, & præterea regugnantia inducit: & iam oblitus eſt, quod paulo antea dixerat. Permanent fermè ›› quales puris ſimplicibusque elementis inſidebant, hoc tantum ›› diſcrimine,

,, diſcrimine,quod nunc per totas confuſæ eandem communemq;
,, materiam obſident. Habes itaque nunc eas eſſe ſummas, nunc alias vincere, alias uinci. Habes nunc eas communem occupare materiam, nunc in eadem ſede non dominari, atque excellere: eſt & alia diſſonantia, cùm enim ſummas perſiſtere in miſto aſſeueret, ut declinet incommoda, quibus ipſe urget Auicennam, ſic
,, ait. Quæ in præmiſtionem & remperamentum uenerunt quo-
,, dammodo pares, etiam ſi per initia non luculenter ſe viciſſim de-
,, moliantur, diuturnitate tamen & dierum numero diſparili pro-
,, portione euadunt. Sed quomodo fit hæc proportio diſpar? certe quia incipit aliqua dominari, atque excellere, ſed hoc non euenit, niſi agant inter ſe, at eas agere iam negauit: dicat fortaſſe eas quieuiſſe diu, deinde pugnam renouaſſe. At quid cogitabat, cùm temperamentum primarum qualitatum, concentum, & harmoniam eſſe protulit? perijſſet, niſi ex ſomnio Scipionis in hæc ſua ſomnia concentum illum Pythagoricum corporum cœleſtium immiſcuiſſet. Si temperamentum eſt concentus, uel proportio ſummarum qualitatum, quæ nihil agunt, quid aget iſte concentus? pyrethri, piperis, lactucæ, & mandragoræ temperamentum eſt ne concentus ſummarum iſtarum qualitatũ in pyrethro, pipere, lactuca, & mandragora? quid agunt igitur ſuo hoc concentu, & temperamento? illa calefaciunt ad modum, hæ refrigerant. Illorum igitur temperamentum eſt caliditas excellens, harum frigiditas, & ſuis iſtis temperamentis ſubſiſtentibus uim habent agendi, non autem uano illo concentu, qui ſola cogitatione fingitur. Tolerabilia eſſent hæc omnia, ſi authorem ſe ipſum faceret tam abſurdæ opinionis: at cũ eam Galeno aſcribat, hoc ferri non poteſt: quomodo enim Galen. id ſentiat, qui paſſim cum Hippocrate, & Ariſtot. pronuntiet, qualitates iſtas to-
" tas per totas temperari, & uim habere totam ſubſtantiam permu-
" tandi? an qui in elementis ijs, quæ nobis paſſim ſunt obuia, ne-
" gat puras & ſummas illas ineſſe qualitates, quia pura non ſunt
" elementa, in miſtis eas eſſe aſſeuerabit? at ipſum audiamus primo
,, de elementis cap. 3. ſic loquentem. Quotieſcunque ex pluribus
,, quippiam componitur, ſi ea, quæ in compoſitionem ueniunt,
,, qualia ſunt talia ad extremũ vſq; durauerint, nunquam id profe-
,, cto nouam ullam aduentitiamque adipiſcetur formam, quæ in
,, his non præfuerit, è quibus conſtituebatur. Quod ſi ea multifariam

riam varientur,tranſmutantur & alterentur:poterit tunc in com ,,
poſito aliquid ſuboriri,quod ab his,quæ prius in primis illius ele ,,
mentis reperiebantur, ſit generis alterius. Et paulopoſt. Ne- ,,
quit ex elementis, quæ ſuas qualitates vſquequaque immutatas ,,
ſeruent,quicquam generis diuerſis gigni:ſed ſi tranſmutentur, ſa ,,
nè poterit. Si his in locis, & alijs quamplurimis immutari vult
qualitates elementorum in miſtione, quomodo aſſerere poterit
ſummas eas,atque integras permanere? Idem 3. de Sympl.Med. ,,
in calce cap. 15. Contrariorum inquit,miſturæ ſummitates ipſas ,,
frangunt.Præterea quomodo ſummas iſtas qualitates ſeruari aſ-
ſerat Galen.ſi elementa non actu,ſed poteſtate in corpore conti
neri ſtatuit 8.de Decretis cap.4. & 1. de Humoribus commen. 1.
Nolim inquit,quemquam cogitare corpora ex quatuor elemen- ,,
tis abſolute eſſe conflata quandoquidem illa ut poteſtate ſint in ,,
corporibus, actu tamen nullo modo, inſunt. Si itaque admit- ,,
teretur hæc opinio,corrueret tota diſciplina Hippocratis,Gale.
& Ariſto.corruerent & res ipſæ,& miſtum nullum produceretur:
frigidum agere in calidum,& calidum in frigidum,humidum in
ſiccum, & ſiccum in humidum, donec ad medium deueniant,
aſſerit Ariſtot. & medium illud eſſe vere temperamentum, reci-
piunt omnes,quare & nos recipiamus.

De latitudine Temperamenti, ac ſanitatis. Cap. VI.

VIDIMVS temperamentum partium eſſe mediam illã qualitatem,ad quã deueniunt in miſtione quatuor elementorum qualitates, quæ quàm late pateat,inde colligi poteſt, quia in cutis conſtitutione ita ad mediũ ueniunt hæ qualitates,vt nulla videatur excellere,vnde cutis manus,interna præſertim vere temperata dici poteſt:in conſtitutione oſſium veniunt etiam ad mediũ,ſed non ita,quin emineant terræ qualitates, cuius magna portio concurrit ad oſſium fabricationem,vnde oſſium temperies frigida & ſicca eſt: in conſtitutione etiam carnis,quæ proprie caro dicitur,veniunt ad mediũ, neque illum quidem exquiſitum, ſicuti in cute,nam in carne dominatur caliditas, & humiditas pro ratione dominantium elementorum. Cùm itaq; in cutis formatione qualitates ad mediũ

latius patet, temperies verò ſtrictius, vnde temperies eſt miſtio quædam, miſtio itaque communiter capitur pro compoſitione, ſed non pro quacunque, quia latius patet compoſitio quàm miſtio: nam compoſitio eſt, quando multa ſimul apponũtur, quæ ſeſe tangant, quæ ſi eiuſdem generis ſint, compoſitio ſolùm dicitur, ueluti aceruus tritici, aceruus milij, aceruus fabæ: ſi diuerſi, non ſolum compoſitio, ſed miſtio etiam dicitur, veluti aceruus tritici, milij, fabæ, ſimul collocatorum. Ea, quæ hoc modo miſcentur, integra ſeruãtur, & ſeparari poſſunt: at ſi ita miſceantur, ut in unum corpus vniantur, tunc miſtio illa eſt proprie, quæ κρᾶσις a Græcis dicitur, a nobis temperies, temperatio, temperatura, temperamentum. Colliguntur hæc ab Ariſtot. 1. de Gen. & Corr. 86. vbi diſcrimen illud addit inter veram miſtionem, & compoſitionem, quod in vera miſtione, quæ ſimul attemperãtur, efficiunt corpus vnum ſimilare. Quare ſi ſimul miſceantur aqua & vinum, ex aqua & vino fit corpus vnum ſimilare perinde, atque aqua & vinum per ſe: ſi verò quæ veniunt ad miſtionem in minima ſecentur, & talia ſeruentur, horum miſtio non eſt, ſed compoſitio: vnde in lib. de Anima Alexander vbi agit de phantaſia inter temperationem, & compoſitionem, ſtatuit id diſcriminis, quod temperatum ex aliquibus ex illis eſt, ſed non illa, quod indicat illa non ſeruari ſub ſua forma, compoſitum vere ex quibuſdam, & ex illis eſt, & illa, quod indicat componentia integra ſeruari, ſed cum quodam ſitu, atque ordine. Quæ itaque miſcentur vere, attemperanturue, in vnum ſubiectum vniuntur. In vnum verò ſubiectum facile vniuntur, quæ facile terminantur, & humida ſunt, veluti vinum & aqua: quare apud Græcos κρᾶσις proprie vſurpatur de hac vini & aquæ miſtione, ac temperatione, quæ plurifariam fiebant, vt patet apud Euſtathium in Odyſſeæ 9. & latius apud Athenæum in 10. Dipnoſop. illud itaque miſcere, & temperare vinum aquæ vocabant κεραννῦσθαι, & κεραννύειν, actionem illam κρᾶσιν, & miſtum illud totum κρᾶμα, quod & Latini retinuerunt: vnde Horatius dicebat. Et deſiderij temperare poculum. Et alius: Mille alias herbas miſceat illa: bibam. Nec ſolum poetæ, atque Oratores Græci ita obſeruarunt, ſed medici etiam, vnde vinum purum & meracum ἀκρατὲς vocarunt: ad id oſtendendum ſatis ex infinitis fuerit vnus Galeni locus 7. Aphor. commento 66. docet ibi Hippocrates, quomodo anxietas, oſcita

tio

optimum ſtatum eſſe vnicum, qui à bona temperie pendet, deprauatos vero & morboſos plurimos, quia receſſus à medio in omnes partes fieri poteſt: cutis eſt in medio exquiſite, recedere itaque à medio poteſt per omnia contraria ad calidum, ad frigidum, ad humidum, ad ſiccum: eodem pacto euenit in partibus illis, quæ non exquiſitum medium obtinent, ſed medium tantum ſuæ naturæ congruum, nam in his aliqua excellit qualitas, veluti in carne maſculorum, quæ calida atque humida eſt, ideoq; dũ moderatam & mediocrem illam caliditatem atque humiditatem obtinet, quæ ſibi debetur, in optimo ſtatu reperitur: ab ea autem multis recedere poteſt modis, tam ſi intendantur nimis qualitates naturales, quàm ſi remittantur: vnde ſi plus incaleſcat, ſi plus humeſcat, quàm par ſit, iam ſtatus hic deprauatus eſt: ſi adhuc magis intendantur, ita ut actiones euidentur lædantur, iam morbus adeſt: ſed ſi recedat ad contraria, ut pro calida frigida, pro humida ſicca reddatur ſine inſigni noxa actionum, uitioſus eſt & ſtatus ille: ſi uerò ita qualitates illæ intendantur, ut inſignem actionibus noxam inferant, ſunt & illi morbi. Quot igitur modis recedet corpus à medio temperamento, ita ut actiones lædã tur, tot erunt morbi ex intemperie, quos etiam morbos partium ſimilarium uocamus: inuenimus autem in primo libro corpora ſexdecim modis à media temperie recedere, quare ſexdecim erunt morbi ex intemperie, vel ſexdecim intemperies præter naturam, quatuor ſimplices, calida, frigida, humida, ſicca, quatuor ex duabus qualitatibus compoſitæ, ſicuti ſe habent etiam in elementis, calida & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca. Hæ octo intemperies aut nudæ, & ſine affluxu alicuius ſubſtantiæ, aut cum ſubſtantiæ affluxu, quales ſunt tumores præter naturam, vnde octo aliæ intemperies præter naturam oriuntur: quare omnes morbi partium ſimilarium proprij erunt ſexdecim, qui intemperies uocantur, quos omnes ſigillatim explicabimus, ab intemperie calida ducentes exordium.

De morbo ex intemperie calida. Cap. VII.

TAM corpus vniuerſum, quàm ſingulas partes vexare ſolent huiuſmodi intemperies, atque vt a calida incipiã, febris de earum numero eſt, quæ totum infeſtant corpus: incaleſcunt & ſingulæ partes plus nimio ſæpe: crura enim in longis atq; inſolitis itineribus contrahunt interdũ tã magnum calorem, ut ab ægro magna cum moleſtia percipiatur, & ab alijs eum tangentibus: ſic manus cùm plurimum laborant, vel remigando, vel rure colendo, vel labores alios conſimiles ſubeundo, adeo interdum incaleſcunt, vt ab agendo impediantur. Ex diuturna mora in Sole ſolet totum corpus, & caput ei magis expoſitũ plurimũ accẽdi, vnde exoritur mala illa diſpoſitio, quã Galenus uocat ἔγκαυσιν: interpretes alij ambuſtionẽ, alij vſtionẽ, alij ardorem vocant: ſic appellat ille caliditatẽ ſtabilem capiti impreſſam ab æſtiuo Sole 2. de Med.loc.capit. 1. quo ex loco colligi uidetur ἔγκαυσιν eſſe vſtionem capitis tantummodo. Idem colligitur lib. de cauſ.morb.cap. 2. vbi ait. Diuturnæ quoque moræ
,, in locis Soli expoſitis, nudis quidem totam aliquando cutim ſu-
,, premam calefaciunt, at ijs, qui ueſtibus operti ſunt, ſolum ca-
,, put, atque hæc exuſtio uocatur: ut naturam huius morbi Valeriola parum percepiſſe uideatur: exponens enim librum de Diff. morb.cap. 5. per ἔγκαυσιν intelligit calorem præter naturam contractum non in ſolo capite, ſed in uniuerſitate, non a Sole tantum, ſed etiam ab igne: unde locum illum ex lib. de cauſ. nunc adductum ſic interpretatur, ut pars illa [atque hæc exuſtio uocatur] non ad proximam præcedentem particulam, in qua de capitis tantum calore Gale. agit, ſed ad ambas illas ſimul referatur, ut ſenſus ſit, non eum tantum affectum, qui ex capite calfacto oritur, ſed & eum, a quo tota cutis calidior redditur, ambuſtionem nominari: vnde & in comm.lib. etiam de cauſ.morb. cap. 2. ambuſtiones uocari ait membri cuiuſpiam, aut totius etiamnum corporis a calore externo Sole, igneue incenſiones, ac ueluti inflammationes, quibus affecta pars penè uri uidetur: verùm cùm ex ſe patet, Valeriolam ſenſum eius loci extorquere, tum ex alijs Galeni locis, qui ambuſtionem uocat ſemper ardorem capitis ſolius, ex inſolatione tantummodo contractum. Præter locos citatos

tatos

tatos id apparet ex 8. Metho. cap. 3. vbi ſæpe abuſtionis mentio-
nem facit, nam quod de ſolo capitis ardore intelligat, patet ex
curatione, cùm caput tantum frigidis perfundat: ſed & in nono
Metho. cap. 9. ambuſtionem capitis peculiarem affectum eſſe ait.
Locus tamen ex cap. 5. de Diff. morb. uidetur facere pro Valerio
la: ex prima inquit, morborum differentia, quæ complectitur nu ,,
das & ſimplices intemperies, eſt diſpoſitio, quæ relinquitur in ,,
qualibet parte, uel toto animalis corpore ex Solis ambuſtione, ,,
uel ignis calefactione: plane hic aſſerit Galen. ambuſtionem So-
lis corripere quamlibet partẽ corporis, & totum etiam corpus,
non ſolùm caput: dicas, ἔγκαυσιν eo in loco ſignificare cauſam
emanentem à Sole, quæ ſanè quamlibet partem poteſt afficere,
ſed quando ſignificat diſpoſitionẽ, id eſt, morbũ ipſum, eſt ſolius
capitis diſpoſitio: nã quod multiplex ſit huius uocis vſus apud au
thores ex eorũ lectione obſeruari poteſt: ſed & Gale. id docet 1.
de Diff. feb. c. 3. ἔγκαυσις, inquit, ſiue actio à Sole talem ſortiatur, ,,
appellationẽ, ſiue paſſio quæ in corpore fit, ſiue quæ iã facta eſt: ,,
cùm itaque vox hæc vſurpetur pro cauſa, & pro affectu in libro de
Diff. morb. ſumitur pro cauſa. Cæterùm de vſu uocum periculo-
ſum eſt, certi aliquid affirmare, cùm alij alijs modis eas vſurpaſ-
ſe uideantur: vnde Paulus Aegineta lib. 1. cap. 40. pro ardore to-
tius uidetur ambuſtionem ſumere, licet fortaſſe poſſet & locus
ille ad capitis tantum ardorem referri: ſed quomodocunque ca-
piamus, certum eſt calorem accendi poſſe in qualibet parte cor-
poris: vnde Auicen. 3. primi doctr. 5. cap. 3. multa ſcribit pro iter
agentibus ad propulſandas noxas, quæ ex nimio calore contra-
huntur, non in capite tantùm, ſed in quacunque alia parte, & in
vniuerſo ipſo corpore. Poſt locum ex cap. 5. de Diff. mor. nunc
adductum ſunt uerba hæc. οἷαι καὶ αἱ τυφοειδεῖς, καὶ πυρατώδεις ὀνομα ,,
ζόμεναι, quibus videtur uelle Galen. adducere exempla affectio- ,,
num excitatarum ab ardore Solis, & ignis, aut vtriuſque, aut alte-
rius tantùm, & propinquioris: vtriuſque exemplum eſſe vult
Valeriola, cùm dicat. Itaque qui ab adurente Sole, aut igne af-
fectus creantur, Græcis καύματα, καὶ πυρακτώσεις, id eſt ambuſtiones, ,,
& incendia uocari Galen. aſſerit, ut καύματα ſint ardores, qui à ,,
Sole, πυρακτώσεις qui ab igne relinquuntur. Videtur autem hic ,,
mutare Galeni verba. Fuchſius in eadem eſt ſententia, ſed re- ,,
tinet vulgatam lectionem, quam nos adſcripſimus: & τυφοειδεῖς
 uertit

uertit incendia, atque ad affectus à Solis ardore oborientes refert: πυρατώδεις uertit ambuſta, & ab igne excitari vult. Cùm uerò multa de uoce τυφώδης, vt ſcribit ipſe, uel τυφωειδὴς, ut habet vulgatus codex, dicat, aſſerit tamen ſe eam nuſquam reperiſſe apud Ariſtot. aut apud Galen. quod miror, eum diligentiſſimum obſeruatorem Galen. pronunciaſſe, cùm ſæpe apud Galen. reperiatur, qui in prima particula Aphoriſmor. commento 12. in 7. commen. 42. & cap. 1. aduerſus Lycum Typhodem febrem commemorat inter humidas, ac diuturnas: nec ſolùm oblitus eſt Fuchſius Galeni, ſed ſui ipſius, cùm in annotationibus duodecimi illius commenti, hanc febrem interpretetur, & alios Galeni locos afferat: de his mentionem facit Galen. etiam 2. de præſag. ex pulſ. cap. 9. Nolim autem hoc eſſe annotatum inter errores Fuchſij, ſed potius eſſe documentum hominum, ut ſciant ſe eſſe homines, & facile labi poſſe, & in memoria præſertim: unde ſi in Gale. aut alio celebri authore deprehendant hos lapſus interdum, ne uitio uertant, quanquam fortaſse excuſari poſset Fuchſius, quod aſserat hanc uocem nuſquam alibi reperiri apud Galen. in eo ſignificatu, nam licet febrem typhodem ſæpe inuenias apud eum, ambuſtionem tamen à Sole non ſignificat. Fernel. 4. Patholog. 2. febrem, quæ ex eryſipelate iecoris, lienis, & aliorum fit, typhodem appellat, neſcio quo authore: Galenus certe hanc inter febres enumerat, quæ non oriuntur ex alicuius uiſceris inflammatione, immo uerò febres has typhodes, elodes, lypirias, hepialas, peſtilentes, & cauſum contradiſtinguit ijs, quæ ex inflammationibus uiſcerum excitantur. Sed ut præſentem locum illuſtrem faciamus, dico non eſse hæc ſatis commoda exempla exuſtionum excitatarum, uel à Sole, uel ab igne: altera vox eſt Fuchſio ſuſpecta, nec à Galen. uſurpatur in eo ſignificatu, & hoc in loco ſi voluit affectus illos exemplis patefacere, debuit affectus notos & tritos in medium afferre. Quapropter cùm uideam eſſe varias in hoc loco lectiones, puto eum non carere mendo, & ueram lectionẽ ex codice manuſcripto Leoniceni reſtitui poſse arbitror, in quo pro uocibus illis anteſcriptis habetur, οἷαι καὶ αἱ ὀνομαζόμεναι φολίδες, ut conuertas, quales ſunt, quæ uocantur ſquammæ. Sol enim atq; ignis adeo poſsunt adurere, atque indurare partes aliquas, vt ſquammæ videantur, & ſic etiã vertit Leonicenus, ſed nec mihi placet hæc lectio, cùm haud obſeruetur apud authores, ali-

quos

quos eſſe morbos, qui φωλίδες nominentur: cùm itaque tantam videam codicum varietatem, puto detracto λ, ex voce φωλίδες, nos eſſe habituros veram lectionem huius loci: legendū eſt itaq; φωΐδες cum Galeno in lib. de linguis: aut φῶδες cum Erotiano. Sunt autem φωΐδες idem quod φαύσιγγες, quæ proprie ſunt circuli rubicundi in tibijs ab igne excitati, quos nos Vicetini vulgo vocamus vaccas, improprie verò & alias maculas ſignificant: ſi proprie ſumamus, exemplum habebimus affectionum calidarum ab igne excitatarum: ſi impropric, earum etiam, quæ à Sole excitantur, nam & Sol maculas cuti inurere poteſt. Affectus hic vulgatiſſimus eſt, hyeme præſertim: atque hæc exempla ſatis ſunto ad indicandas calidas intemperies ſimplices, ac ſine humorum affluxu. Reſtaret modo conſiderandum, an temperies hæc ſola poſſit in corpore excitari, ſed quia de tribus etiā reliquis id examinandum eſt, reijciemus hanc contemplationem ad difficultatum explanationem. Nunc ad tres reliquas intemperies ſimplices frigidam, humidam, & ſiccam tranſeamus.

De morbis ex frigida, humida, & ſicca intemperie. Cap. VIII.

FRIGIDA intemperies non raro inuadit extremas partes adeo vehemens, vt mortuæ decidant: nec ſecus totum corpus occupat, vt ſolet euenire iter facientibus in ualido frigore: quidam enim ita opprimuntur, ut ipſo in itinere intereant: quidam aut nacti diuerſorium, aut domum reuerſi ſemimortui, ac gelidi iacent. Variat & hic codex manuſcriptus ab impreſſo. Vbi enim legitur [οἱ δὲ εἰς πανδοχεῖον πρὶν] non habet uocem illam [πρὶν] vnde locus eſt uertendus, ut nunc ego uerti, & ſenſus magis quadrat. Inuadit & eos, qui in aqua frigida natant, quod contigit magno Alexandro, cùm in Cydnum flumen gelidiſſimum ſe proiecit: uocant has alterationes Græci ψυγμοὺς, id eſt, refrigerationes, ut admonet Gale. 2. de Simpl. med. cap. 21. uocant etiam ψύξεις eodem authore 3. de Tuen. Val. cap. 10. Præterea oriri ait diſpoſitionem hanc ſæpenumero in apoplecticis, epilepticis, tremulis, & conuulſis: quo in loco inquiſitione di gnum uidetur: intelligat ne de intemperie frigida, quæ præcedit

commemorata ſymptomata, atque eorum quodammodo cauſa
eſt, an de ea, quæ ex ſymptomatibus his ſolet exoriri, cùm vtrun-
que poſſit accidere:& cùm ſymptomata hæc ſoleant corrumpere
ſpiritus,& natiuum calorem, vnde habitus totius corporis redda
tur frigidior, videtur eſſe intelligendum de frigore orto ab huiuſ-
modi ſymptomatibus:& ſic intellexit Fuchſius:idque quomodo
eueniat, in epilepticis, & in tremulis ob timorem demonſtrauit.
At ſi conſideremus Galenum hic agere de morbis, qui ſympto-
matum cauſa ſunt, credendum eſt eum intelligere de ea intempe
rie frigida, quæ præcedit huiuſmodi ſymptomata, quæ morbus
eſt,& uera horum ſymptomatum cauſa, nam intemperies frigida
epilepſiæ, apoplexiæ, tremoris,& conuulſionis cauſa eſt,& de tre
more quocunq; intelligit oriente ab intemperie frigida, non de
oriente à timore tantum: quodque de ea intelligat, ſtatuendum
eſt, cùm addat, eos, qui in itinere præ frigore perierunt, de qui-
bus antea fecerat mentionem, aut emproſthotono, aut opiſtho-
tono, aut tetano fuiſſe correptos, vel congelatione, vel affectibus
apoplexiæ ſimilibus. Sic eſſe intelligendum declarat etiam dubi
tatio illa, quam ſtatim ſubdit. Cùm enim verba fecerit de frigida
intemperie, quam ſolent conſequi epilepſia, apoplexia, tremor,
,, conuulſio,& alia huiuſmodi ſymptomata, ſic dubitat. Cæterùm
,, in omnibus ijs, quibus ſymptoma aliquod acceſſerit, ipſum non-
,, nullorum intelligentiæ adeo imponit, ut ſymptoma putent mor
,, bum eſſe,& morbum ſymptomatis cauſam,&c. Cùm itaque du-
bitatio illa occaſionem habuerit ex præcedentibus, neceſſe eſt
Galenum hic intelligere de intemperie præcedente, & quæ ſym-
ptomatum cauſa eſt. Haud tamen prorſus negandum eſt, quin
Fuchſij expoſitio locum habere poſſit. Inter hos affectus men-
tionem facit & congelationis, quam πῆξιν uocat, & eſt, quando
pars ob frigus concreſcit, ac dureſcit, ut patet ex primo de Diffe-
,, ren.feb.cap.7. ubi ait. Duricies tunicis aduenit arteriarum, aut
,, ob congelationem, aut tenſionem, aut ſiccitatem, congelatio-
,, nem igitur uehementes algores efficiunt.

Hæc de frigida intemperie, humida uerò & ſicca, ut ſæpe cor-
ripiunt corpus totum,& quamlibet partem ſine aduentu ſubſtã-
tiæ alicuius, non ita tamen facile ſub ſenſum veniunt, niſi uehe-
mens fiat alteratio, quod in ſphacelo ſolet euenire, quando par-
tes corrumpuntur:hæ enim quandoq; ita exſiccantur, ut ſale cõ-
dit æ

ditæ eſſe uideantur, quandoque ita mucidæ & laxæ apparent, vt ſi tentes attrectare è manibus tanquam aqua effluant: in oſſibus etiam putridis interdum apparet ueluti quoddam ſabulum non ſecus, atque in lignis carioſis vetuſtate corruptis: interdum contra, ſunt oſſa laxa, mucida, & fluida, vnde in illis ſicca, in his humida intemperies dominatur. Verùm hoc in loco dubitet quiſpiam: cum Galeno propoſitum ſit deſcribere morbos ex intemperie ſicca, & humida, morbos eum non deſcripſiſſe, ſed corruptiones, quæ corrigi amplius non poſſunt, & perinde eſt, ac ſi volens deſcribere intemperiem frigidam, frigiditatem mortui hominis attuliſſet: poſſumus dicere in his intemperaturis ab eo deſcriptis, licet quædam ſint partes corruptæ & demortuæ, eſſe tamen & alias, quæ adhuc reſtitui poſſunt, ſi intemperies illa corrigatur: poſſumus etiam dicere, cùm difficulter dignóſcantur huiuſmodi intemperies abſque ſubſtantiæ affluxu, niſi ualde ſint inſignes, atque excellentes, vt ipſe ibi aſſerit, ideo ipſum in medium eas attuliſſe, quæ ſunt vehementiſſimæ, et facile ſenſu percipiuntur. Reliquæ vero, quæ non adeo ſunt inſignes, & imbecillitates à Methodicis vocabantur, non ita facile ſub ſenſum cadunt, ex læſione tamen actionum & alijs ſignis percipiuntur: vnde ſi quis intemperiem ſiccam aut humidam noſſe cupit, adeat ſeptimũ Methodi, vbi omnes intemperies ventriculi curare docet, intemperiei etiam ſiccæ totius corporis pulcherrimum affert exemplum ſexto de Tuen. Valet. cap. 11. humidæ etiam aliud pulcherrimum eſt exemplum vxor Boethi in lib. de præcogn. cap. 8.

De intemperie compoſita. Cap. IX.

VIDIMVS ſimplices intemperies & nudas, hæ ſimul iunctæ faciunt compoſitas intemperies: cùm verò ſex modis coniungi poſſint, duo, qui ex contrarijs connectuntur, excludendi ſunt: quare quatuor tantùm relinquuntur coniugationes, vt ſæpe declarauit Galenus, ſunt autem hæ, calida & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca, quarum exempla non affert Gale. cùm ex ſimplicibus ſimul iunctis facile vnuſquiſq; parare ſibi poſſit exẽpla. Sed videbitur fortaſſe cuipiam, ſimplices ẽt intemperies eſſe compoſitas:

nam ſi vnica tantùm qualitas dominetur, exempli gratia, ſicca,& mediocritas adſit in caliditate & frigiditate, duæ uidentur eſſe hæ temperaturæ ſimul coniunctæ, altera moderata, altera immoderata, non minus quàm ſunt ſicca & calida, id ipſo atteſtante Galeno 3. Aphoriſ. commento 16. at licet hoc non ſit a ueritate alienum, ait tamen Galen. in diſciplinis uſum obtinuiſſe, ſimplices eſſe intemperaturas, in quibus unius tantum qualitatis exceſſus uiſitur, non ſimplices uerò, in quibus plures excellunt qualitates: & ideo quatuor erunt ſimplices, in quibus una tantum, quatuor compoſitæ, in quibus duæ excellunt qualitates. Ex octo commemoratis intemperaturis quatuor priores ſimplices dicuntur a Galeno ad aliarum quatuor differẽtiam, ſed & hæ octo omnes ab eo ſimplices uocantur 2. de med. localibus cap. 2. alio genere ſimplicitatis, ut uidelicet diſtinguuntur ab ijs, quæ a fluxu ſubſtantiæ pendent: atque hoc eſt obſeruandum, ne multiplicitas ſimplicitatis nos decipiat, & credere faciat eandem intemperiem & ſimplicem & non ſimplicem uocari a Galeno. Sed ſequimur nunc eum in lib. de Diff. morb. quare dicamus octo eſſe intemperies ſine ſubſtantia, quatuor ſimplices, compoſitas quatuor, & præterea aliæ ſunt octo cũ humorum affluxu, quatuor ſimplices, quatuor compoſitæ. Compoſitarum in promptu ſunt exempla: cùm enim ſint tũmores præter naturam, ſi ex ſanguinis affluxu excitetur tumor, inflammatio dicitur, & erit morbus ex intemperie calida atque humida cum affluxu. Eryſipelata & herpetes ſunt intemperaturæ calidæ & ſiccæ cum affluxu flauæ bilis, oedemata ſunt intemperaturæ frigidæ atq; humidæ cum pituita, ſicuti carcinomata, & elephantiaſis, intemperies frigida & ſicca ex melancholia. At cùm humores hi non ſemper puri & ſynceri ad partes affectas excernantur, ſed interdum ſimul permiſti, hinc datur occaſio inueniendi quatuor etiam intemperies ſimplices, cum humorum affluxu, vt videbimus in Auuerrois confutatione. Atque hactenus explicauimus ſexdecim morbos ex intemperie.

Quo

Quomodo Argenterius demonſtrat ſexdecim morbos ex intemperie non eſſe morbos, ſed morborum cauſas: & Vegam cum eo ſentire. Cap. X.

CONSTITVTVM eſt ex Galen. morbos partium ſimilarium eſſe ſexdecim intemperies, quatuor ſimplices, compoſitas quatuor, ſine affluxu omnes ſubſtantiæ alicuius, & totidem cum ſubſtantiæ affluxu. In his alij alia Galeno obijciunt. Argenterius unicam affert obiectionem, quæ hos morbos omnes euertit: ſtatuit enim nullum ex his morbum eſſe, ſed potius morbi cauſam, quod demonſtrare nititur 1. de morborum Gener. capit. 2. ac in Artis Medicæ comment. aduerſus Fuchſium. Vis argumentorum ex utroque loco hæc eſt. Galenus initio ſtatim librorum de ›› Temperamentis ait animalium corpora conſtare ex calidi, fri- ›› gidi, ſicci, humidique miſtura, nec eſſe horum omnium parem ›› in temperatura portionem. Hinc patet temperaturam conſtare ex quatuor qualitatibus, vnde ſequitur nullam ex ipſis temperaturam eſſe: nam & domus conſtat ex fundamentis, parietibus, & tecto: fundamenta tamen domus non ſunt, nec parietes, nec tectum. Quod ſi nulla qualitas eſt temperies, nulla etiam erit intemperies: nam ſi exceſſus caloris immoderati eſſet intemperies, ſequeretur mediocritatem eiuſdem eſſe bonam temperiem, quod abſurdum eſſe uiſum eſt. Idem de reliquis dixeris. Iſte itaque caloris exceſſus intemperies non eſt, ſed cauſa intemperiei, ametriæ, & malæ proportionis, cùm corrumpat decentem proportionem, & ſymmetriam, quæ erat inter omnes qualitates: vnde ſi corrigatur hic exceſſus, & ad mediocritatem reuocetur, hæc mediocritas non erit bona temperies, ſed cauſa bonæ temperiei. Hinc iam patere poteſt, exceſſum vnius, aut alterius qualitatis non intemperiem eſſe, ſed intemperiei cauſam. Quare cum febrem morbum eſſe dicimus, non eſt credendum cum eſſe calorem, ſed intemperiem quatuor qualitatum, ortam caloris exceſſu: erit igitur calor non febris, ſed cauſa febris: & in eadem ſententia Galenum quoque eſſe ait: quamuis enim uerba eius aliter quandoque ſonent: octauo tamen Methodi cap. 1. cùm dixit, fe- ›› brem eſſe intemperantiæ exceſſum in caloris abundantia, aperte ››

ſigni-

ſignificauit calorem non eſſe febrem, aut intemperiem, ſed eius cauſam. Alibi Galen. morbum ſimilarium inæqualitatem calidi, frigidi, ſicci, & humidi eſſe ait, & in lib. de cauſ. morb. alibique ſæpiſſime eſſe intemperiem, ſed quis qualitatis vnius exceſſum dicat eſſe aut inæqualitatem, aut intemperiem, & non potius inæqualitatis & intemperiei cauſam? Chriſtophorus a Vega in 3. de art. & primo de Diff. febr. ca. 1. Argenterium ſequitur, vnde febrem ait eſſe intemperiem, calorem verò præter naturã cauſam eius intemperiei, & formale febris improportionem eſſe ſtatuit, materiale uerò calorem præter naturam: atque hic huius opinionis fuit, quia manus dedit Argenterij argumento: & quia putauit morbum non eſſe qualitatem, ſed puram relationem, ut uidimus in 1. lib. quando eius opinionem confotauimus.

Fuchſii reſponſio, & Eraſti argumenta. Cap. XI.

FVCHSIVS tertio Inſtit. ſec. 1. cap. 3. ad hæc reſpondet, communem eſſe medicorum omniũ uſum qualitatis exceſſum vocare temperiem ipſam uitiatam, quæ intemperies dicitur, non autem intemperiei cauſa, & ſic etiam Galenũ ſentire in eo 8. Methodi citato ab Argenterio pro confirmanda poſitione ſua. Cùm enim ait febrem eſſe intemperantiæ exceſſum in caloris abundantia, indicat intemperiem febrilem eſſe ipſammet abundantiam caloris: nam ſi cauſam febris uoluiſſet eſſe caloris abundantiam, dixiſſet ex abundãtia caloris, non in abundantia caloris: hic enim loquendi modus innuit febrem eſſe caloris abundantiam, ut alibi nos etiam declarauimus contra Vegam, cùm explicauimus quot modis quippiã dicatur eſſe in altero. Hæc Fuchſius ieiune admodum: quare videamus diligenter & nos in hac difficultate, quæ uiros præclaros decepit, quid dicendum.

Galenus in primum de nat. hum. commento 5. admonuit Hippocratem in confutandis aliorum opinionibus duo obſeruare, alterum, ut opinionem euertat, alterum, ut rationes confutet, quibus opinionem ſuam confirmant. Idem fecit & Ariſtot. ut paſſim annotãt expoſitores, & Simplicius præſertim in primo Phyſ. 13. quæ præcepta ſi ſecutus eſſet Fuchſius hoc in loco, nobis laborandum non eſſet, at ipſe rationes, & argumentorum uim

non

non attigit,opinionem debiliter fregit ex communi medicorum vſu, qui exceſſus qualitatum intemperantias vocant, non intemperantiarum cauſas. At meminiſſe debuerat ſe pugnare aduerſus Argenterium dogmatum innouatorem, & ex conſequenti a communi reliquorum vſu recedentem: quidquid habet commodi in hac difficultate Fuchſius, eſt vera interpretatio eius loci Galeni ex 8. Method. cùm itaque adeo frigide ſe geſſerit, non eſt mirum, ſi Argenterius in ſuis commentarijs in Artem Medicam in ipſum gloriabundus ſic exultet. Nequit Fuchſius diſcrimen „
ponere inter intemperiem,& calorem exuperantem in febribus. „
In quo planè oſtendit ſe rudimenta medicinæ nequaquam intelligere. „ Verùm excuſare hic Fuchſium poſſumus, cùm argumentum id diſſoluere neſcierit, quod alios multos celebres viros illaqueauerit, Vegam in primis, ut uiſum eſt,& Thomam Eraſtum, qui in calce vltimæ epiſtolæ de cauſa continente, licet vir ſit in diſputando acer, non tamen audet hoc argumentum attentare, ſed laudat potius, & confirmat nouis rationibus. Sumit enim a definitione morbi argumentum, quo probat nullam qualitatem eſſe morbum, quia nec exceſſus caloris, nec frigoris, nec ſiccitatis, nec humiditatis diſpoſitiones ſunt: cùm in diſpoſitione poſitionem quandam eſſe oporteat vel ſecundum locum, uel ſecundum virtutem, vel ſecundum formam: at in exceſſu harum qualitatum per ſe cõſiderato poſitio nullo modo apparet: verùm ſi cõſideretur proportio omnium qualitatum, apparebit poſitio ſecundum virtutem:& propterea exceſſus harum qualitatum nõ ſunt intemperies, ſed cauſa intemperiei: intemperies igitur ideſt mala illa proportio inter iſtas qualitates morbus erit, exceſſus vero qualitatis cauſa morbi. Arguit præterea ex authoritate Galeni de opt. ſec. ad Thraſibulum, indicationem curandi ſumi a cauſis morborum, quare cùm a calore febrili ſumatur curandi indicatio, ſequitur, calorem febrilem non eſſe morbum, ſed cauſam murbi.

Argen-

Argenterij, & ſectatorum eius confutatio. *Cap. XII.*

IN diſputatione noſtra contra Vegam, qua demonſtrauimus morbum eſſe nõ ſolum relationem puram, ſed etiam qualitatem: & in altera contra Ferneliũ, in qua aſſeruimus temperiem eſſe non concentum qualitatum quatuor, ſed mediam illam qualitatem, quæ ex miſtione oritur, iam confutata eſt hæc Argẽterij opinio, & eius etiam demonſtratio: cùm enim ſemel conſtitutum fuerit temperiem eſſe, non proportionem inter quatuor qualitates primas, ſed mediũ illud, in quod deſinunt peracta miſtione, & receſſum ab eo medio eſſe intemperiem, confecta iam res eſt: nam ſicuti frigiditas, & ſiccitas moderata, ad quã deueniunt elementa in oſſium miſtione, caliditas & humiditas in carnis muſculorum miſtione ſunt temperies oſſium, & carnium, ita receſſus ab eiſdem eſt intemperies, qui ſi tantus ſit, ut actiones palam lædat, iam morbus eſt: qui receſſus cùm ſexdecim modis fieri poſſit, morbi hi erũt ſexdecim, vt ab initio ſtatuimus, ſiue hic receſſus ſit in vna tantum qualitate, ſiue in duabus, ſiue cum affluxu, ſiue ſine affluxu: Quapropter caliditas excedẽs erit intemperies ipſamet, non cauſa intemperiei, & ideo febris eſt calor ipſe præter naturã, & calor ille eſt intemperies, & morbus. Ad argumentum igitur dico temperaturam non conſtare ex quatuor qualitatibus, ſed ex miſtione quatuor qualitatum exoriri, ut recte ſenſiſſe Auicennam demonſtrauimus, & ideo cùm deducit, ergo nulla qualitas per ſe temperatura eſt, ſicuti parietes non ſunt domus, nec tectum, nec fundamenta, perperam fit hæc deductio: nam domus uere conſtat ex illis: at temperatura ex quatuor qualitatibus non conſtat, ſed una eſt ex illis, vt patet omnia miſta conſideranti: nam eorum temperies eſt qualitas excellens in ipſis, quæ ſi uitietur, fit intemperies. Ad Galeni locum, cum ait animalium corpora eſſe temperata ex calido, frigido, ſicco, & humido, concedo id eſſe uerum, ſed uideamus quid ſubdat, non eſſe ſcilicet horum omnium parem in temperatura portionem, quod etiam verum eſt, cùm aliæ partes plus habeant calidi, aliæ plus frigidi, aliæ plus humidi, plus ſicci aliæ: atque hinc, ut paulopoſt ait, corpora animalium, & partes corporis nomina temperaturarum ſortiuntur: nam quæ plus habent calidi

calida, quæ plus frigidi frigida dicuntur, & ſic de alijs. Totá tandem diſputatio temperamentorum in illis libris in hoc uerſatur,ut temperamenta denominentur à qualitate ſuperante: qualitas autem hæc ſuperans ea eſt, quæ poſt miſtionem oritur cum Ariſtot.Alexandro,& Auicenna:& mirum eſt Argenterium conſtituere hic temperiem eſſe proportionem quatuor primarum qualitatum,in ſuis tamen commentarijs in Artem Medicam, ubi hoc iterum aſtruit, aliter ſtatuere: nam longa diſputatione refellit Fernelium, qui temperiem, concentum & harmoniam vocet, atque eo refutato laudat opinionem Auicennæ his uerbis. Definit Auicenna recte temperamentum, & ſi Fernelius ſubabſurdam aſperius vocat illius definitionem: ait enim Auicenna temperamentum eſſe qualitatem, quæ ex mutua actione, & paſſione primarum qualitatum prouenit. Et audet hic notare Galenum inconſtantiæ, cùm ipſe eodem in libro, & in eiuſdem ferè capitis expoſitione tam repugnantes inter ſe opiniones conceperit. Ratione eius exploſa, patet etiam opinionem, quæ demonſtrationi illi innitebatur, eſſe exploſam: cùm enim conſtet temperiem eſse qualitatem illam,quæ ex miſtione elementorum quatuor oritur, & receſſum ab hac temperie eſſe intemperiem, patet etiam exceſſum caloris febrem eſſe, non cauſam febris, exceſſum frigoris eſſe intemperiem frigidam, non cauſam intemperiei frigidæ, & ſic de reliquis: nam ad reliqua Galeni loca facilis eſt reſponſio:cùm enim dicit morbos ſimilarium eſſe intemperiem, concedimus aſſerentes intemperiem illam exceſſum eſſe unius, aut duarum qualitatum: cùm ait morbum ſimilarium 5.de Decret.cap.2. eſſe inæqualitatem calidi, frigidi, humidi, & ſicci: at inæqualitas cadit inter omnes qualitates, dico ut dixi etiam contra Vegam, bonam temperiem & malam eſſe quidem non ſolùm qualitates, ſed etiam relationes, & ideo eſſe ſymmetriam & ametriam bonam proportionem,& malam,æqualitatem & inæqualitatem, & hæc omnia conſiderari in collatione omniũ qualitatum inter ſe, ſed præter iſtam collationem, dico temperiem, & intemperiem eſſe qualitatem illam dominantem, à qua miſta omnia denominantur: ſiue autem hæc vocetur ſymmetria & ametria,vt à Chryſippo,& ab Ariſt.7.Phyſ.ſiue æqualitas & inæqualitas, ut ab Ariſt.7. Metaph.23.ſiue mediocritas & exceſſus, ut ſæpe à Gale.ſiue concordia & ſeditio,ac diſſidium qualitatum,

vt

vt a Platone in Sophiſta,ſemper idem ſignificatur,& licèt autho-res varie loqui videantur, ſemper naturam rei ſequi debemus, quæ ueritatem ipſam indicat. Ariſtot. 7. Metaph. 23. & 30. aſſerit calorem inductum ab exercitio in corpus laborans frigore eſſe, aut ſanitatem, aut partem ſanitatis, aut ad eum conſequi ſanitatem. Galen. etiam noſter 5. de Decr. cap. 2. & 3. examinans Chryſippi decreta ait ſymmetriam primarum qualitatum facere ſanitatem, quod ſi verum eſt,ſymmetria erit cauſa ſanitatis, non ſanitas, ſed eodem in loco aſſerit hanc eandem ſymmetriam eſſe ſanitatem: quare debemus nos inſpicere naturam rei,ea enim duce cognoſcemus,quid ſit morbus,quid cauſa morbi. Dico igitur temperiem congruam vnicuique parti corporis eſſe ſanitatem: hanc eãdem eſſe morbum, ſi incongrua reddatur, & quod ipſam incogroam facit, cauſa eſt morbi: quod ad congruitatem reſtituit, cauſa eſt ſanitatis: atque hoc erit apertius, ſi exemplo illuſtretur: temperies calida & humida certis terminis circumſcripta eſt tẽperies iecoris conueniens,ſymmetra,æquabilis:hos ſi excedat terminos,ita vt eius lædat actiones, erit aſymmetra, inæquabilis, & tandem morbus: laboret itaque iecur intemperie ualde, calida atque humida, ita ut eius lædantur actiones: Hic habemus ametriam,incongruitatem,inæqualitatem,ſeditionem, diſſidium qualitatum primarum in iecore, & tandem intemperiem calidam atque humidam in exceſſu. Hæc eſt quæ facile a medico cognoſcitur, quæ morbus eſt citra controuerſiam, nam & diſpoſitio præter naturam eſt,& actiones lædit, & curationem poſtulat. Quæ hanc intemperiem induxerunt, cauſæ ſunt morbi, quæ corrigent cauſæ ſunt ſanitatis: ſed hæc eadem intemperies aſymmetra, incongrua,indecens,inæqualis,excedẽs eſt:quia iam ſtatuimus morbum & in genere qualitatis eſſe, & in genere eorum, quæ ad aliud referuntur. Hæc ad Argenterium, nunc ad propria Eraſti argumenta veniamus. Hic adeo fuit addictus cauſæ continẽti, vt pro ea defendẽda pepererit in hac arte monſtra non minus prodigioſa, quàm quæ ipſe in Paracelſo deprehenderit,ut in hoc patet argumento, in quo non vnus tãtum eſt error, ſed plures. Negat ille caliditatem præter naturam, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatem eſſe morbos, quia diſpoſitiones non ſunt, cauſas uerò morbi eſſe concedit, ac ſi cauſæ diſpoſitiones non ſint: at demonſtrauimus nos in primo lib. ex Galeni

ſententia,

ſententia,& ex rei natura,tam cauſas quàm morbos eſſe diſpoſitiones præter naturam: negat caliditatem & frigiditatem diſpoſitionem eſſe, cùm tamen Ariſt. caliditatem & frigiditatem pro exemplis diſpoſitionis aſſumat. At inquit, poſitionem non habent, non ergo diſpoſitiones ſunt, nam authore Ariſtotele quinto Metaphiſ. 24. diſpoſitio poſitio quædam eſt. Nunquam uidi hominem magis à ratione, non à ratione dixerim, ſed à ſenſibus alienum: nam nihil eſt, quod magis uocari poſſit diſpoſitio, quàm qualitates primæ,& nihil eſt, quod magis præ ſe ferat ordinem, & poſitionem partium, ut ex ijs patet, quæ in primo lib.de diſpoſitione diximus: ubi determinatum eſt, diſpoſitionẽ eſſe ordinem,& diſtributionem poſitionum, quæ ab agẽte in patiente ponuntur, vnde aſſerendũ eſt multo magis qualitates iſtas poſitionem habere, quàm proportiones illas ſuas, cũ qualitates res ſint poſitiuæ, proportio verò res imaginaria potius quam poſitiua. Cùm arguit præterea indicationem curandi ſumi à cauſis morborum, non à morbis, monſtrum eſt, quod monſtra ſuperat Paracelſica, inauditum, infandum, totamq; artem contaminãs, & corrumpẽs. Nitor, inquit, Galeni authoritati lib.de opt.ſec.ad Thraſib. c. 25. aperte ſcribentis, indicationem curandi a cauſis morborum non à morbis ſumi. Reſpondeo librum illum Galeni non eſſe, & propoſitionem illam à Galeni placitis eſſe alieniſſimam,& præterea falſiſſimam. Galeni non eſſe, declarat modus ſcribendi longe diuerſus ab vberrima & facunda Galeni elocutione. Nuſquam Galenus meminit eius libri, ut aliorum meminiſſe ſolet, quos tanquam ſuos agnoſcit: licèt enim inter libros ſuos commemoret librum de opt. ſec. de hoc non poteſt intelligere, cùm eorum nihil in hoc libro tractetur, quæ in libro de opt.ſec. narrat ipſe ſe tractauiſſe. Quod ſi placita expendas, multa author huius libri ſcribit Galeni placitis contraria: multa poſſem adducere, ſed ſatis mihi ſit in præſentia demonſtrare Galeno repugnare, ſi dicas indicationes curandi ſumi à cauſis, non a morbis. Nam Galen. paſſim in libris Methodi, & præſertim lib. 2. cap. 2. curationem à morbis ait indicari,& hanc ſolam proprie uocari curationem: nam quæ à cauſa ſumitur, prouiſio, prouidentia, uel præſeruatio dicitur. Sed res patefiat exemplo. Scribit Hippocrates, ſpontaneæ laſſitudines morbos denunciant, cũ hæ laſſitudines oriantur à cachochymia, uel à plenitudine, uel ab

utraque,

vtraque, ſi corpus euacuabis, cùm procliue eſſet ad morbum, à morbo præſeruabis, quare hæc cauſæ ſublatio erit præſeruatio, non curatio. At ſi cauſa morbum iam inuexit, utimur præſeruatione cauſam ſummouentes, & curatione morbo contraria admouentes: ſed tunc totum hoc miniſterium quandoque curationem uocamus, quia unà cum cauſa morbum depellimus, quare ſi cauſæ depulſio tunc curatio vocatur, non per ſe uocatur, ſed quia adiunctam habet morbi depulſionem. Hæc eſt vera, & germana Galeni ſententia tam trita & vulgata apud eum, vt pluribus mihi laborandum non ſit in ea demonſtranda: & ſubeat mihi admirari non de Argenterio, & Eraſto, ſed de quibuſdam viris doctiſſimis, qui in tradenda diſciplina indicationum auditoribus ſuis plurimum innitantur authoritati eius libri ſpurij, & errorum pleni: nam ut de hac propoſitione loquar, indicationem curandi ſumi à cauſa, non à morbo: quis non videat eam eſſe non ſolum Galeno aduerſiſſimam, ſed etiam falſiſſimam? nam ſi uera eſſet, ſequeretur, morbos, qui cauſa carent, curationem non admittere: vnde à febre ephemera, ab hectica, à luxatione, à fractura, à vulneribus, & alijs morbis conſimilibus cauſa carentibus nulla ſumeretur curandi indicatio, quod quàm abſurdum ſit, conſiderent qui authorem illum magno habent in pretio. Poſſem ego alia multa eius dogmata proferre repugnantia Galeno, & rerum naturæ, ſed nimis longe recederem ab inſtituto: cùm præſertim oblaturæ aliæ ſe mihi ſint in curſu diſputationis meæ eius ſententiæ non minus mendaces, quàm nunc propoſita. Sed ad rem redeuntes dicimus, cùm calor febrilis ſui indicet amotionem, non ideo arguendum eſſe, calorem eſſe febris & morbi cauſam, ut arguebat Eraſtus, ſed potius morbum ipſum, & febrem ipſam, cùm veræ curandi indicationes à morbis ſumantur, non à cauſis. At vir hic librum eum cæteris omnibus anteponit, cùm plura inde inueniat argumenta pro ſua cauſa continente, quàm alibi. Et decretum hoc Argenterij libenter etiam amplectitur, quia eo pacto morbi omnes cauſam haberent continentem, de qua quid ſentiendum ſit, nos cùm de cauſis agemus, ſententiam noſtram proferemus: atq; hac in re adeo cæcus eſt hic Eraſtus, ut à ſe ipſo diſſentiat in eadem tractatione apertiſſime. Hic enim ſtatuit morbum & ſanitatem eſſe ad aliquid, quod tamen antea in prima epiſtola confutauerat, ut uidimus in 1. libro. His cõfutatis

ſtatuendum

ſtatuendum eſt, veriſſimum eſſe Galeni decretum, ſexdecim qualitatem exceſſus iam commemoratos eſſe intemperies, & ex conſequenti morbos, non cauſas morbi, & eſſe eas, quæ rationem curandi, indicant, quæ ratio ualidiſſima eſt ad demonſtrãdum eos eſſe morbos. Sed quid clarius eſſe poteſt? cùm iſti exceſſus ij ſint, qui primò actiones impediant. Quod ſi hi morbi non eſſent ſequeretur etiam id abſurdi, quòd quibus nominibus morbi partium ſimilarium eſſent appellandi, non haberemus, & appellatio à cauſis eſſet deſſumenda, id quod Argenterio contigit c.5. eiuſdem lib. uocat enim hos morbos qualitatum primarum exceſſum orientes. Conſtitutum igitur ſit ſexdecim eſſe morbos proprios ſimilaribus partibus, ſicuti ab initio ſtatuimus. Diſcutienda fortaſſe & hic eſſet eorum opinio, qui negabant, ubi non ſit tumor præter naturam, aut ulcus, ibi eſſe morbum, quare ſequebatur, nullum ex nuda intemperie morbum eſſe: fuit hoc Eraſiſtrati dogma, vt docet Gale. 6. de Loc. aff. c. 1. morbos uerũ iſtos imbecillitates uocabat, ut patet apud eundem Galen. lib. de Diff. morb. cap. 5. & 7. Method. ca. 2. & 2. de naturalibus facul. cap. 9. ſed cùm haud extent rationes, quibus utebatur Eraſiſtratus, & opinio ipſa ſatis ſit à Galeno locis adductis, & alijs exploſa, fruſtra non eſt in ea tempus conterendum.

Argumenta eorum, qui ſtatuunt morbos ex intemperie pauciores eſſe, quàm ſexdecim. Cap. XIII.

MVLTAE aliæ obiectiones afferũtur contra hos morbos ex intemperie, cùm quidã pauciores eſſe ſtatuãt, quàm ſexdecim: alij contra plures. Multa tã hi, quàm illi argumẽta afferunt partim ſophiſtica, partim probabilia, & valida. Nos leuia, & inania omittemus, & ea tantum in medium producemus, quæ vim aliquam habere uidentur: & primo incipiemus ab ijs, qui de horum morborum numero detrahunt. Primum Auerr. 3. coll. cap. 1. prima cantic. tract. 1. commento 22. & 23. & tract. 2. comm. 163. negat inueniri morbos ex ſimplici intẽperie, ſiue ſint ſine materiæ affluxu, ſiue cũ affluxu: & facillime id demonſtratur: nã ſi cũ materiæ affluſtu morbi excitentur nõ poſsũt eſſe niſi cõpoſiti, ſi quidẽ materia afflués ſunt quatuor

tuor humores, quorum vnuſquiſque gemina prædítus eſt qualitate: quare ſi ſanguis affluat, phlegmonem inducit, quæ intemperies eſt calida & humida, ſicuti ſanguis ipſe, ex quo conſtat, calidus eſt & humidus: ſic ex affluxu atræ bilis fiunt intemperies frigidæ & ſiccæ: ex flaua bile intemperies calida & ſicca, & ex pituita frigida atque humida. Hinc fit, ſi intemperies ſint cum affluxu ſubſtantiæ, ſemper compoſitas eſſe, ſimplices nunquam.

Quod ſi dicas intemperies iſtas ſimplices eſſe ſine materia: Reſpondetur, cùm hæ excitentur à cauſis extrinſecis authore Auerroe, & omnes cauſæ extrinſecæ ſint aut calidæ & humidæ, aut calidæ & ſiccæ, aut frigidæ & humidæ, aut frigidæ & ſiccæ, hinc fieri, ut omnes intemperies ab eis excitatæ ſint compoſitæ, & nulla ſimplex. Quare ſi fingas eſſe morbum aliquem ex ſola caliditate, aut ſola frigiditate, ſequetur, reperiri rem aliquam calidam tantummodo aut frigidam: ſed hoc falſum eſt, & impoſſibile: ergo & ex quo ſequitur: ſequitur autem expoſitione, quod extent morbi ex intemperie ſimplici: nullus igitur morbus conſtat ex ſimplici intemperie. Quod verò nihil conſtet ex ſimplici intemperie, patet res omnes naturales, quæ corpus humanum conſtituunt, & alterant, percurrenti: nam ſi recte conſideres totam corporis conſtitutionem à principio conceptus vſque ad perfectionem, nihil inuenies, quod compoſita temperie non ſit præditum: quatuor elementa, ſemen genitale, ſanguis menſtruus, quatuor humores, ſpiritus, lac, edulia omnia, aer ambiens, res tandem omnes non naturales, quæ uim habent gignendi, nutriendi, augendi, & alterandi corpus, compoſitam habent temperiē: quare ſimplex temperies reperiri non poteſt: hinc factum eſt, ut partes omnes ſimilares gemina excellant qualitate: facultates etiam, in quibus vis eſt agendi, ſunt huiuſmodi: ut enim colligitur ex Galen. 3. de ſympt. cau. cap. 3. quatuor facultates naturales miniſtrantes omnes ſunt calidæ, alteratrix humida, tres reliquæ ſiccæ: vnde recte dixit Auicennas caliditatis miniſterium quatuor omnibus commune eſſe, ſiccitatem in actionibus triū eſſe neceſſariam, retentricis, attractricis, & expultricis: retentricem tamen plus indigere ſiccitate, quàm caliditate: attractricem plus caliditate, quàm ſiccitate: at explutricem minus his duabus ſiccitate egere, ut harum facultatum temperaturas ſic poſſimus conſtituere: attractrix calida admodum & moderate ſicca, retentrix

trix moderatè calida & admodum ſicca, expultrix minus calida attractrice, minus ſicca etiam: alteratrix verò calida atque humida: vtcumque autem omnium temperies compoſita eſt. Hinc concludendum eſt nullum morbum ex ſimplici intemperie ſiue ſola, ſiue cum affluxu ſubſtantiæ eſſe: quare his excluſis erunt quatuor compoſitæ tantùm, quæ cùm & ſolæ, & cum affluxu eſſe poſſint, octo exoriuntur morbi ex intemperie. His rationibus euincitur, intemperies ſimplices non extare: at cùm nonnulli medici, & philoſophi antiqui repudiarint, ut refert Galen. 1. de Temper. cap. 2. duas etiam ex compoſitis temperaturis naturalibus calidam & humidam, & frigidam & ſiccam, hinc colligitur morbos etiam ex intemperie calida & humida, & frigida & ſicca eſſe de numero excludendos eadem ratione: nam ubi incipit excellere caliditas humiditatem exſiccat, & ſtatim fit calida & ſicca intemperies: at excedenti frigiditati ſuccedit humiditas, & ideo duæ illæ intemperaturæ non ſunt in numero reponendæ. Quod ſi in latitudine ſanitatis hæ locum non habent, multo minus habebunt in morbis: nam caliditas in morbis maiorem habet exſiccandi uim, quia intenſio eſt, & ſic frigiditas maiorem uim cruditates pariendi, & ex conſequenti humiditatem: cùm itaque veteres illi relinquerent ſolas calidam & ſiccam, & frigidam atque humidam, dicendum eſt duos etiam ſolos eſſe ex intemperie morbos, qui cùm poſſint eſſe ex ſola intemperie, & cum affluxu, quatuor conſtituentur.

Confutatio obiectionum, & primo vltimæ, quæ deſtruit intemperiem calidam & humidam, & frigidam & ſiccam. Cap. XIIII.

CONFVTANDA eſt antiquorum opinio ante alias, vt aſtruamus quatuor eſſe compoſitas intemperies: nam his confirmatis demonſtratio Galeni quatuor ſimplices etiam eſſe neceſſariò concludit. Duobus itaque modis reſpondet Galenus: altero, quod contrarium ſemper agit in contrarium ſuum, vnde calidum agit in frigidum, & frigidum in calidum, ſiccum in humidum, & humidum in ſiccum: calidum non agit in humidum, nec in ſiccum, nec frigidum agit in

humidum & ſiccum, ſicuti nec humidum agit in calidum aut frigidum, nec ſiccum pariter agit in ea, ſed omnia in ſuum contrarium, quo fit, ut calidum ſimul eſſe poſſit tam cum humido, quàm cum ſicco: vnde balneum aquæ dulcis calidæ non ſolùm habet uim calefaciendi, ſed humectandi etiam: frigidum etiam tam cum ſicco eſſe poteſt, quàm cum humido: atque id ex ſenibus apparet, qui frigidi ſunt & ſicci: nam licèt pituitoſi humores in illis redundent, humiditas illa aduentitia eſt: & partes eorum ſimilares magis ſemper exſiccantur: cùm itaque tam calidum quàm frigidum ſimul eſſe poſſint cum humido & ſicco, non minus extant duo intemperies calida & humida, & frigida ac ſicca, quàm duæ ab antiquis conceſſæ calida & ſicca, & frigida atque humida. Altero modo reſpondet, concedendo, quòd calidum agat in humidum, ſiue ex ſe, ſiue ex accidenti: licet enim calidum agat in humidum, & tandem exſiccet, & frigidum interdum inducat humiditatem, non ideo prohibetur, quin aliquandiu ſimul perdurent hæ intemperies. Infans in lucem editus proculdubio calidus eſt, atque humidus, & humiditatem retinet ad iuuentutem vſque ſaltem, fit deinde ſiccus retinendo caliditatem: at cùm ad ſenium deuenit, fit frigidus & ſiccus, aucta ſemper magis & magis ſiccitate, & reſtrincta caliditate. Sit igitur hæc concluſio, has intemperies licèt non diu ſimul vigeant, eſſe tamen ſimul poſſe. Quare cùm reperiantur temperies calida & humida, & frigida & ſicca in corporibus ſanis, eadē ratione poterit inueniri morbus ex intemperie calida & humida, & frigida & ſicca: ſed ex Auerrois confutatione id clarius apparebit, quare ad eum ueniamus. Scribens Auerr. de temperaturis naturalibus 2.coll.cap.1.& vlt. de medio ſuſtulit quatuor ſimplices: ſed quoniam pertinet id ad tractatum de temperamētis, ideo omiſimus argumenta, quibus nititur id demonſtrare, & attulimus tantum argumenta ex alijs eius locis, quæ morbos ex ſimplici intemperie demoliuntur, quæ antequam confutamus, operæ pretium eſt apponere rationes, quibus Galenus demonſtret, extare quatuor ſimplices temperaturas, nam ex hac demonſtratione conſtabit morbos etiam ex intemperie ſimplici corpora noſtra poſſe inuadere. Primo de Temperam.ca.8.adeo euidenter demonſtrat Gale. ſi extant quatuor temperaturæ compoſitæ, quatuor etiam ſimplices extare, ut mirer eam demonſtra-

tionem non mouiſſe Auerroim,& alios,qui aliter ſenſerunt.

Demonſtratio ſic progreditur: ſi utraque ex actiuis poteſt ſibi utramque ex paſſiuis qualitatibus adiungere, poterit & tempera-tam,& mediam inter paſſiuas ſibi adiungere: cùm enim extremis copuletur,cur non & medio? Idem dixeris de paſſiuis: ſi vtraq; earum coniugari poteſt cum utraque actiuarum, poterit & cum media inter actiuas. Id unius exemplo patefaciamus, quod ad alias transferri poterit: caliditas copulatur tam cum ſiccitate, quàm cum humiditate, cùm extent tam temperies calida & ſicca,quàm calida & humida: ſi copulatur cum ſiccitate & humiditate, copulabitur etiam cum temperie mediocri inter ſiccitatem atque humiditatem. Id facile patet in mutatione temperamentorum: nã qui à temperie calida & humida in calidam & ſiccam tranſmutatur, & contra à calida & ſicca in calidam & humidam, per medium tranſeat, neceſſe eſt: vnde euenit, ut in hoc uigeat caliditas, & adſit inter humiditatem & ſiccitatem mediocritas: puer ſanus, & optime conſtitutus proculdubio calidus eſt atque humidus, at humiditas dum ille creſcit, ſemper magis & magis exſiccatur, adeo ut cùm ad iuuentutem peruenerit, calidus fit, & ſiccus: quis negare audeat in hoc ætatis decurſu, antequam ad ſiccitatem conuertatur,eum quandoque calidum fuiſſe,& inter ſiccitatem & humiditatem temperatum? atque id fortaſſe in adoleſcentia, ut uidetur innuere Galen.6.de Tuen. Valetud.c.2. eo igitur tempore vigebit temperies calida ſimplex: quod idem euenit in tribus reliquis in mutatione temperamentorum: ſed ſi euenit hoc in mutatione temperamentorum,& aliquando extant hæ ſimplices temperaturæ,cur non poſſunt etiam à prima origine reperiri? Ac ſi in ſtatu naturali reperiuntur, in præternaturali etiam eadem ratione reperientur:& ſanè reperiuntur, vt patebit in refutatione argumentorum contra hoc dogma allatorum.

Veniamus nunc ad Auerrois argumenta.

Confutatio Auerrois. *Cap. XV.*

CVM ait itaque nullum eſſe poſſe morbum ex ſimplici intemperie, quia nulla eſt cauſa ſiue interna, ſiue externa, quæ non ſit compoſita temperie prædita: vt ei donemus, cauſas omnes tam internas, quàm externas gemina pollere qualitate, certe ex miſtione, & cõfuſione cauſarum tam apertum eſt, excitari poſſe morbum ex intẽperie ſimplici, ut nihil in corporibus noſtris accidat frequentius: nam ut incipiamus à quatuor ſimplicibus cum affluxu humorum, licèt unuſquisque humor compoſitam habeat temperiem, ſi tamen ſimul miſceantur, ſimplices intemperies efficient: ſi tumor excitetur ex ſanguine, & flauabile æqualiter commiſtis, cùm in utroque calor ſuperet, ille uerò ſit humidus, hæc ſicca, proculdubio excitabitur intemperies calida ſimplex cum afluxu humorum: eminebit enim caliditas, quæ in utroque humore excellit, humiditas uerò ſanguinis, & ſiccitas flauæ bilis ſeſe inuicem contemperabunt, ita ut neutra excellat: præterea miſceantur paribus menſuris ſimul pituita, & atrabilis, cùm utraque ſit frigida, excitabitur frigida intemperies, cùm altera humida, altera ſicca, ſeſe contẽperabunt hæ qualitates, & ſola eminebit frigiditas: influat ſanguis pituitæ admiſtus, orietur humida intemperies: miſceatur utraque bilis, ſicca intemperies ſimplex excitabitur. Atque hoc euenit, quãdo fluxus horum humorum tumores concitat, qui uere ſunt morbi ex intemperie cum affluxu. Sed quoniam poſſunt concitare etiam intemperies ſine tumoribus, idem eueniet, quod diximus: nam ex humorum miſtione ſimplices intẽperies orientur: colliguntur hæc ex Gale. lib. de cauſ. morb. cap. 6. Idem eueniet in aliis cauſis, quæ ſolent corpus alterare: nam admiſceantur calida frigidis, quæ omnia ſint humida, longo uſu intemperies humidas ſimplices inducent: ſi ſicca, ſiccas: ſi admiſceantur humida ſiccis, & omnia ſint calida, calidam intemperiem, ſi frigida, frigidam inuehent.

Sed & ſingulæ per ſe ſimplices morbos ex intemperie poſsũt afferre, prout corpora erunt aptiora ad ſubeundam hãc potius intemperiem, quàm illam: vnde ſi quis uentriculo ſit calido atq; humido, uefcaturque aſſidue lactucis, retũdetur caliditas, atque ad mediocritatem reuocabitur: augebitur humiditas, quæ tan-

dem morbum ex humida pariet intemperie. Conſtat itaque tam ex miſtione cauſarum, quàm ex aptitudine maiori vel minori ad agendum, vel ad patiendum exoriri morbos ex ſimplici intemperie, de quibus nobis eſt ſermo inſtitutus. Atque hæc reijciunt ſequens etiam argumentum, in quo tot congeruntur ad demoliendas ſimplices temperies, & morbos ex ſimplici intemperie oriundos: licèt enim omnes præmiſſæ ferè ueræ ſint, quæ aſſerũt quidquid concurrit ad generandum, nutriendum, augendum, & alterandum humanum corpus, pollere gemina qualitate: concluſio tamen eſt falſa colligens non extare ſimplicem temperaturam: demonſtratum enim eſt extare, & quomodo.

De intemperie calida, et humida. Cap. XVI.

REFVTATIS argumentis, quæ de medio tollebant morbos ex ſimplici intemperie, & duos ex compoſita, concludi poteſt, morbos iſtos eſſe ſexdecim, ut ab initio ſtatutum fuit. Sed adhuc reſtat aliquid dubij de morbis ex intemperie calida & humida: vt enim refert Gale. 1. de Temperam. c. 3. de ſententia veterum philoſophorum, ac medicorum hæc temperies adeo eſt ſalubris, vt morbus fieri nunquam poſſit: Quare cùm reliquæ tres temperaturæ compoſitæ nimis excedentes morbi euadãt, febris enim eſt calidus & ſiccus morbus: aqua inter cutim frigidus & humidus: melancholia frigidus & ſiccus: ex humida & calida intẽperie nullus fit morbus: atq; id optima ratione, cùm vita noſtra in calido & humido ſedẽ habeat, & mors deducat corpora ad frigiditatem & ſiccitatem: vnde quanto citius animal refrigeratur & exſiccatur, tanto citius ſenio corripitur & morte. Hinc Græci mortuus vocant ἀλίβαντας, ac ſi dicas humiditate carentes: temperies itaque calida & humida eſt congrua valde humanæ naturæ, & principia originis noſtræ calida ſunt atq; humida: ſemen videlicet genitale, ac ſanguis, ex quibus conficitur corpus innatum calidum atque humidum, quo qui large abundat, lõgæuior fit. Hinc euenit, vt ex anni temporibus ver ſit calidum atq; humidum Hippoc. authore 1. de nat. hum. 33. & hac de cauſa ſaluberrimũ eſt, vt idẽ aſſerit 3. Aphor. 9. Ex ætatibus etiam puerilis ſalubrior, quia calida atque humida:

neque enim pueri inciderẽt in morbos, niſi innumerabiles cõmitterent errores. Ad ſummam adeo extollenda eſt hæc temperatura, ut Gale. non de aliorum ſententia, ſed ex ſe in 6. de Tuen. Valetud. cap. 3. ſic eam prædicet. Quod ad temperamenti rationem pertinet, qui maxime ſunt humidi, hi maxime ſunt longæui: ijdem & ſanitate, ubi corpus ad robur peruenit, plus cæteris fruuntur: & cæteris, qui parem ætatem agunt, valentiores ad extremum uſque ſenium ſunt. His deinde addit antiquorum, de quibus iam dictum eſt, authoritatem his uerbis. Ideoque fermè medicis omnibus, tum philoſophis, qui corporis elementa diligenter inueſtigarunt, temperamentum id laudatum eſt: immo verò etiam vnum id proinde ſecundum naturam ſe habere, quibuſdam eſt uiſum: & licet de humida temperie tantum loqui uideatur, ex præcedentibus tamen colligi poteſt de calida atq; humida eum uerba facere. Hos ſecutus eſt Auerr. 1. cant. tract. 1. comment. 19. & 24. His authoritatibus rationibusque concluditur, non inueniri morbum ex intemperie calida atque humida. Vnde morbus hic de cæterorum numero erit eximendus, quare quindecim erunt ſolum. Obiectio hæc facile diluitur, Athenæus enim qui huius opinionis fuit author, ualde deceptus eſt, cùm intemperies calida atque humida non ſolum non ſit ſaluberrima, ſed una omnium maxime omnibus morborum generibus obnoxia, quod longa oratione demonſtrat Galenus in eo primo de Temperamen. à capite quarto uſque ad octauum, ubi multos affert ex Hyppoc. locos, ex quibus apparet, conſtitutiones anni calidas & humidas, graues & peſtilentes morbos inuehere, cùm ſit putredini ualde obnoxia, quod quàm verum ſit, declarat ipſe Galen. 11. Metho. cap. 4. ſed in primo Meth. cap. 7. eam his ornat encomijs. Maxime omnium putredinis morbis hæc intemperies expoſita eſt. Propterea per ipſam ſanitatem proxime putredinem accedit, ueluti tum ex ſudoribus conijcere eſt, qui grauiter his olent: tum verò ex vrinis, deiectione, atque etiam ipſa expiratione. Etenim qualis eſt hircorum, talis eſt & talium naturarum temperies. Talis ille, de quo Catullus.

Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle ſub alarum trux habitare caper.

Palam eſt ex his, non ſolum hanc intemperiem eſſe morbis obnoxiam, ſed cùm ita excedit, ut actiones impediat, ipſum eſſe

morbum

morbum. Quod ſi exemplum quæris, inflammatio, quæ ſæpe inuadit, morbus eſt ex intemperie calida, atque humida: extat igitur morbus etiam ex calida, atque humida intemperie: & ideo fallebantur Athenæus ſectatoresque eius, qui ſecludebant eam de morborum numero. His principalis difficultas ſublata eſt, ſed inde maior exoritur: eſt enim controuerſia non leuis inter Galenum, Hippocratem, & Auerroim, immo uero Gale. diſſentit à ſe ipſo. Statuit Hippocrates uer eſſe calidum, atque humidum, & ideo ſaluberrimum: unde conijcitur Hippocratem cum illis ſentire, qui temperiē hanc ſaluberrimā ſtatuunt, & vna cum eis decipi. In eadem ſententia eſt & Auerr. at Gale. cùm pro inſaluberrima conſtituat eā temperaturam, aſſerit uer non calidū, & humidum, ſed temperatum eſſe. Secum pugnare videtur Gale. cùm 6. de Tuen. Valetud. loco iam citato adeo extollat eam temperiem, quam tantopere alibi damnauit. Ab Auerroi locis ante adductis, & 2. coll. c. 22. colligitur ingenioſa huius nodi explicatio. Negat hic in rerum natura extare optimam illā, & mediocrē temperaturam, in qua nulla emineat primarum qualitatum, quā licèt aſtruat Gale. quia tamen raram, breuem, & momentaneam eſſe affirmat, reiiciamus eam à conſideratione noſtra in præſentia: cùm igitur difficile ſit inuenire temperaturam, in qua non excedat aliqua qualitas, uidendum aſt quæ nam ex his ſit humanæ naturæ conuenientior, ut hanc pro regula & norma conſtituamus inueniendarum aliarum temperaturarum. Exceſſus autem ille laudatiſſimus eſt, in quo caliditas frigiditatem, & humiditas ſiccitatem ſuperat, rationibus iam antea antiquorum teſtimonio adductis: cùm itaque caliditas atque humiditas ſimul moderate excellunt, hæc eſt illa temperies laudata ab antiquis, quæ maxime eſt homini congrua, & pro temperata habetur, vnde ad eam tanquam regulam reliquæ omnes referuntur: nam quæ maiorem habet humiditatem & caliditatem, calida atque humida dicitur, & eſt illa inſalubris à Galeno damnata, quæ minus calida, & minus humida eſt, frigida & ſicca eſt, quæ calidior & ſiccior, calida & ſicca: quæ frigidior & humidior, frigida & humida. Ac ſanè eſſe hanc illam temperiem, quæ maxime congruat hominis naturæ, fatetur & Galenus 5. de Simp. Med. cap. 4. vbi agens de medicamentis pus mouentibus ſic ait. Id genus me- „
dicamenta humida, calidaque dicimus, non ceu calidiora humi- „

diora-

,, dioraque, quàm noſtra ſit ſubſtantia, ſed ceu ſimilem habentia
,, nobis temperiem, quæ calida & hnmida eſt iuxta ueterum ſer-
,, monem. En quomodo de Gale. etiam ſententia hæc temperies hominí propria eſt: talis eſt veris temperies, talis ſanguinis, talis caloris natiui, id eſt calida atq; humida moderate, quæ tempe ratam etiam iure uocari poteſt, cùm hac temperatior difficulter, & raro poſſit icueniri. Et propterea cùm Hyppocrates uer calidum atq; humidum pronunciat, & Galenus temperatum, idem ſentiunt, ſed cùm Galenus negat eſſe calidum & humidum, intelligit de ea, quæ recedit à moderata humiditate, & caliditate, & ideo putredinis morbis expoſita eſt. Hoc pacto Galen. facillime conciliatur cum Hippocrate & Auerr. nec a ſe ipſo diſſidet, cùm in 6. de Tuen. Valet. laudat hanc temperiem, nam reuera qui hac ſunt præditi, ſunt longæui magis, quam alij. Incidunt tamen & ipſi in morbos ſæpe. Hæc autem temperies in infantia & pueritia morbis obnoxia eſt, ſed in ætatibus ſequentibus ſalubrior redditur, & laudabilior, vnde poſſemus dicere hanc temperiem, quæ vere calida & humida eſt, à primo ortu eſſe eam, quæ damnatur à Galeno, in iuuentute uerò fieri temperiem illam, quæ moderate eſt calida, atque humida, vnde & temperata poteſt appellari, ſed hæc extra rem noſtram, ad rem autem noſtram facit, inueniri morbos ex intemperie calida atque humida, quod iam eſt ex his demonſtratum.

De intemperaturis calida & frigida, ac humida & ſicca, an morbos conſtituant: & nunquid duo contraria in eodem ſubiecto eſſe valeant. Cap. XVII.

HACTENVS eorum diſſoluimus argumenta, qui nitebantur horum morborum numerum imminuere, nunc ad eos ſermonem conuertamus, qui numerum eum augent nouis inuentis ex intemperie morbis. Aiunt igitur duos alios morbos ex intemperie iam recitatis eſſe
,, addendos, compoſitos ex contrarijs qualitatibus, & ſunt intem-
,, peries calida & frigida, humida & ſicca: nam ſi corpus poteſt his eodem

eodem tempore uexari, cùm non & ipſæ inter morbos ex compoſita imtemperie reponendæ ueniant? Quod poſſint ſimul corpus affligere, declarat Galen. in lib. de cauſ. morb. ca. 6. cùm ait: Accidit, licet fieri non poſſe videatur, ut idem corpus ſimul calidius & frigidius, aut ſimul & humidius & ſiccius, quàm pro naturali habitu reddatur. Vocatur autem hæc intemperies inæqualis, de qua negat uelle ſe ibi agere, cùm integrum de ea libellum conſcripſerit, in cuius ca. 1. & 8. nititur probare duas contrarias qualitates vnum & idem ſubiectum infeſtare poſſe: non lõge abiẽris, in febre hepialo percipit corpus vno & eodem tempore calorem, & frigus, in lipyria, & quibuſdam ardentibus malignis exteriora frigent, interiora uruntur: hydropicus etiam febricitãs propter febrem laborat intemperie calida & ſicca, propter hydropem frigida & humida. Sed quia uidetur rerum naturæ repugnare, idem eodem tempore affici contrarijs, conatur id multis modis eo loci Galen. demonſtrare, & 3. de Simpl. Med. c. 16. adhuc latius: nam ſi quempiam nudum ſub ardẽtiſſimo Sole colloces, eidemq; aquam gelidiſſimam inſpergas, eodem temporis momẽto calore & frigore proculdubio afficietur: permeãt enim qualitates hæ totum corpus, vnde ſi quis hyeme ſæua digitum frigidæ indat, peruadit frigus illud totã manum, totumq; brachiũ, ita vt ei ſtuporẽ inducat: ac ſi crus alterum in aquã gelidiſſimã, alterum in calidiſſimã imponas, calor & frigus eodem tempore vniuerſum corpus percurret, & ſic duobus afficiet contrarijs. Quod ſi duos lapides in quietã, & tranquillam aquam conijcias, ac duos circulos vicinos excitent, qui ſibi occurrant, quorum alter ſit in parte deſtra, alter in ſiniſtra, vterque per alterum mouebitur deſter per ſiniſtrum; & per dextrum ſiniſter: quare eadem aqua eodem tempore duobus motibus contrariis cõmouebitur, altro in dextram, in ſiniſtram altero. Præterea ſi æquis portionibus tẽperes mel, & abſynthij ſuccum, ac linguæ imponas, nonne dulcorem ſimul & amarorem percipies? Ad hæc medicamenta contrarijs facultatibus prædita particulæ laboranti admota contrarias illi diſpoſitiones imprimẽt: ſolanum uim habet cogentem, atq; aſtringentẽ: chamæmelum fundentem & laxantem: ſi tamen ſimul commĩſta loco inflãmatione affecto applicentur, nõ ita denſus, durus, tenſus, & liuidus locus reddetur, ut cùm ſolũ ſolanum iterũ atque iterum adhibetur, nec adeo rarus, mollis, & rubens,

rubens, ut cum ſolo utimur chamæmelo, ſed mediam quandam ſubibit diſpoſitionem, quod indicat medicamenta contraria cõ-
" trarios effectus in eo loco peperiſſe: nam ſi neutrum egiſſet, lo-
" cus in eodem ſtatu perſtitiſſet, quo erat ante medicamentorum
" appoſitionem: ſi alterum ſolum egiſſet, non ad medium quendã habitum affectus locus deductus fuiſſet, ſed ad eum, quem aptũ eſt medicamentũ id afferre: perſpicuum eſt igitur utrunq; egiſſe. Theriaca quinetiam recẽs refrigerat, & ſtupefacit propter opiũ, & non obſcure calefacit ob reliqua ingredientia. Poſtremo vno & eodem tempore voluptate & dolore afficimur, authore Alexã dro quæſtione 12. primi lib. nam eſuriens, cùm cibum capit, dolore ſimul & delectatione perfunditur, dolore propter famem, delectatione propter aſſumptam eſcam: ſic ſitiens dum bibit, ſic pruritu vexatus dum ſcalpit, dolent ſimul & delectantur. Innumerabiles alij modi poſſent inueniri, quibus corpora noſtra duobus ſimul contrarijs agitantur: ſed ſatis hi ſint ad demonſtrandũ alios duos morbos ex intemperie ſuperioribus eſſe addendos, quod cùm haud fecerit Galen. reprehenſione eſt dignus.

Fuchsij opinio, eius confutatio, & vera ſolutio. *Cap. XVIII.*

FVCHSIVS in comment. in lib. de cau. morb. fatetur eundem locum eodem tempore contrarijs affici qualitatibus, ſed quia reijcit hanc difficultatem ad ea, quæ ſcripſit in lib. de inæq. intemp. cap. 10. videamus quid eo loco ſcribat & 3. Inſtit. ſec. 1. cap. 4. iiſdem enim penè utrobique verbis, vt hanc difficultatem dirimat, qua conſtat duo contraria ſimul idem ſubiectum occupare, aſſerit ſi contraria ſint intenſa, ſimul eſſe non poſſe, ſi remiſſa,
" ſimul eſſe poſſe; ſed par eſt eius verba audire. Nec eſt, inquit,
" cur quiſpiam miretur, qui fieri poſſit, vt vno & eodem tempore
" in quauis corporis parte calidum ſimul & frigidum ſentiatur:
" cùm enim calidum & frigidum contraria ſint, nequaquam in eo
" dem ſubiecto ſimul eſſe poſſunt. Suapte namq; natura circa idẽ
" ſubiectum ſe inuicem expellunt contraria. Quippe calidum, & fri
" gidum in hepialis febribus eodem ſentiuntur tẽpore, atqui non
" uelut contraria graduum excellentium, ſed ſicut contraria in re-

missis

miſſis gradibus. Verùm hic à veritate aberrat, cùm concedat contraria ſimul eſſe poſſe, ſi ſint remiſſa: nam meo iudicio ſi contraria in eadem ſede eſſe poſſunt, intenſa id facilius obtinebunt quàm remiſſa: intenſa enim ſunt magis à materia libera, puriora, & efficaciora: remiſſa verò magis materiæ demerſa, & ideo debiliora, atque inefficacia, vnde non recedens a Galeni exemplo id facile poſſum demonſtrare: ſi alterum pedem in aquam non admodum calidam, alterum in frigidam non admodum indas, non peruadent per totum corpus: calor ſimul & frigus, veluti faciunt, cùm illa calidiſſima eſt, hæc frigidiſſima. Dices, nonne in omnibus miſtis ſunt ſimul contraria remiſſa, ſicuti ſuperius demonſtraſti, cùm de miſtione ac temperamẽto egiſti? Reſpondeo tunc contraria non eſſe actu à ſe inuicem ſeparata, ſed in miſto poteſtate contineri, at hic loquimur de contrarijs actu exiſtentibus, & agentibus, & alterantibus ſubiectum vnde ,, Fuchſius poſt ante adducta verba hæc ſubdit: adeoq; alterantia, ,, quæ adhuc in ſenſibilem partem agere uidentur. Concedit igitur Fuchſius contraria remiſſa in vnum conuenire poſſe, quod ,, aſſeuerantius adhuc affirmat, addita etiam ratione, cùm ait. Non ,, igitur à vero alienum eſt, ſenſibilem partem eodem tempore, & ,, loco, & à contrariis qualitatibus alterari quemadmum enim ,, oculus eodem tempore album & nigrum expeditè uidet, ita & ,, in ſenſibili parte calidi & frigidi alterationem ſimul eſſe apparet Hæc ratio aſtruit, non contraria remiſſa tantum, ſed intenſa etiã ſimul eſſe poſſe: nam oculus ſimul recipit ſpecies albi & nigri tã intenſi, quàm remiſſi: & ob cauſam iam dictam veriſimile eſt, intenſa magis recipi, quàm remiſſa. Sumpſit hanc ſolutionis ſuæ confirmationem Fuchſius ab Auerroi, qui 5. coll. cap. 57. ſic ſcribit, Mantino interprete. Senſus patiuntur à contrarijs duobus ,, ſimul per vnum ſubiectum, vt gratia exempli, cùm nos percipi- ,, mus albũ & nigrum ſimul per huumorem chryſtalinum, calorẽ ,, que & frigiditatem in inſtanti per vniuerſum corpus noſtrum, ſi ,, contingat ut particulæ noſtri corporis partim frigida, partim ca ,, lida aqua abluantur, ut dicit Galenus. Hæ ſolutiones qualeſcũq; ,, ſint, propoſitam difficultatem non remouent, ſed ſtabiliunt: ubi enim ſemel conceſſum fuerit duo contraria idem ſubiectum occupare, ſtatuendum erit dari morbos ex intẽperie compoſita ex contrarijs, & ideo deceptum fuiſſe Galenum, & cæteros omnes,

qui

qui eos omiſerunt, & male Galenum intemperies ex contrarijs vocaſſe inæquales, cùm compoſitæ potius ſint uocandæ: nam ſi quatuor reliquæ calida & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca ſunt intemperies cõpoſitæ ex duabus qualitatibus coeuntibus, cur calida & frigida, humida & ſicca, cùm in vnum coeunt, compoſitæ non ſint? at Galenus inæquabiles non compoſitas eſſe vult. Quod ſi verum fateri volumus, ſolutiones hæ, præterquàm quod principalem difficultatem haud exſoluũt, falſiſſimæ ſunt, & contra omnium philoſophorum decreta. Conſtans enim Naturæ decretum eſt, non poſſe duo cõtraria in eodem recipi ſubiecto. At oculus, inquies, recipit album ſimul & nigrum, ut teſtatur Auerr. poſſum reſpondere cum Auerr. ipſo eo in loco, ſpecies illas colorum nõ eſſe materiales, & ideo poſſe in eodem loco recipi. Sed hoc eſt potius cõtra Fuchſium, quàm pro Fuchſio, qui ſtatuit contraria remiſſa non intenſa ſimul eſſe poſſe, at remiſſa magis ſunt immerſa materiæ, & ideo difficilius poſſunt eãdem ſedem occupare, & afficere. Vnde miror Fuchſiũ totum illud caput haud legiſſe, ſi ſuam inde confirmare uoluit ſolutionem. Id addo amplius, ſi voluit Auer. ſpecies contrariorum ſenſibilium recipi in eodem ſubiecto, & eodem tempore, valde eum hallucinari, & contra præceptorem ſuum ſentire. Dubitàt Ariſtot. 3. de Anima 147. ſi ſenſus communis eſt indiuiduus, & in inſtanti iudicat, & cognoſcit quomodo contraria ſimul percipiat. Si ſenſus hic corporeus eſſet & diuiduus, dubitatio locum non haberet, quia non eſſet difficile tunc reddere rationem, quo modo duo contraria ſimul percipiat: diceremus enim contraria illa non eundem locum, ſed diuerſum occupare, vnumquodque ſuum. Si etiam fieret illa cognitio in tempore, dubitatio eſſet ſuperuacua, diceretur enim eum contraria in diuerſo tempore percipere. Sed cùm indiuiduus ſit, cùm in inſtanti percipiat, cogimur dicere cõtraria in eodem ſimul ſubiecto reperiti, quod Ariſtot. habet pro maximo abſurdo, quodq; rerũ naturæ repugnet: & ideo nititur ſoluere hanc difficultatem, ne cogatur rem adeo repugnantem amplecti. Ratio etiam, quam ibi affert Ariſt. demõſtrat nullo pacto contraria ſiue ſint ſpecies abſque materia, ſiue quocunque ſint, poſſe in vnum conuenire: ratio autem eſt, quòd nihil poteſt motibus moueri contrarijs: cum itaque calidum vim habeat laxandi & fundendi, frigidum cogendi atque aſtringendi,

di,

di, non poſſunt ea ratione in eodem eſſe ſubiecto: cùm album uim habeat ſegregandi, nigrum congregandi, fieri non poteſt, vt candor cartæ, & nigrities literarum eãdem partem pupillæ occupent, dum ſcribis, aut legis. Dices nonne ſenſus omnes eodem inſtanti percipiunt ſenſibilia contraria? Reſpondeo cum Simplicio, & cæteris Græcis, ſpecies rerum ſenſibilium afficere ſenſoria: at affectionem illam diſcerni, & diiudicari, à facultate ſentiente. Quod ſi duæ contrariæ ſpecies ſimul afficiant ſenſoria, proculdubio diuerſas eorum partes afficiunt, cum cauſæ ſint motuum contrariorum, affectiones tamen illas, quamuis cõtrarias, animæ ſentientis facultas eodem inſtanti noſſe & diiudicare poteſt: nam facultas animæ agere dicitur, ſenſorium verò pati: at nihil, aſſerente Simplicio, duo contraria ſimul pati poteſt, agere verò poteſt: vnde idem ignis eodem tempore ceram liquat, & limum indurat. Sic Plato ſenſit. Sic Galen. qui 8. de vſu part. & 7. de Decret. cap. vtrobique 6. apertiſſime pronunciauit ſenſum non eſſe alterationem illam, quæ fit in ſenſorijs, ſed alterationis illius cognitionem ab animæ facultate prouenientem. Hinc colligitur, propoſitionem illam Ariſtotelis ex ſecundo de Anima 118. ſentire eſſe quoddam pati, ſic eſſe accipiendam ſenſoria quidem eſſe, quæ ab obiectis patiantur, paſſionem verò illam à facultate ſentiendi percipi, & hanc non paſſionem eſſe, ſed actionem. Verùm hæc ſunt altioris inſtituti, quàm noſtri: non potuimus tamen effugere, quin hæc paucis attingeremus ad diſſoluendam propoſitam difficultatem.

Cùm ex his conſtet, contraria non poſſe in eodem ſubiecto eſſe, concludere poſſumus morbos ex duabus qualitatibus contrarijs non ſubſiſtere: & ideo non eſſe recipiendos inter morbos ex compoſita intemperie. Sed quia multi loci adducti ſunt, quibus apparet duo contraria ſimul in idem agere ſubiectum, videamus quomodo ſint exponendi.

Quomodo

Quomodo ſit intelligendum, corpora duobus ſimul affici contrarijs. Cap. XIX.

ADDVCTI ſunt multi loci, in quibus aſſeritur duo cõtraria ſimul corpus infeſtare, in quorum quibuſdam euidentiſſimum eſt ex ſe, contraria illa diuerſis inſidere particulis: in quibuſdam non ita euidens eſt. Lib. itaque de cauſ. morbor. cùm ait corpus poſſe reddi ſimul calidius & frigidius, ſiccius & humidius, atque eas inæquales eſſe intemperies, manifeſtum eſt qualitates illas non eiſdem inſidere particulis, ſed diuerſis: & ideo inæqualem eam eſſe intemperiem, nimirum quia cùm ex particulis aliæ calida, aliæ frigida intemperie afficiantur, toto pars inæqualiter alterari dicitur: in lypirijs, in febribus malignis planum eſt alias partes incaleſcere, alias refrigerari, cùm internæ partes ſint, quæ urantur: externæ, quæ algeant: euenit enim in ijs, quod in inuaſione febrium cum rigore: quare de omnibus his Galen. in libro de inæq. in-
„ temp. cap. 8. dicebat. Laborantes ſentiunt frigus immodicum,
„ & calorem vnà, uerùm non eodem loco, quippe cùm poſſint
„ quæ excalefactæ ſunt partes manifeſte à refrigeratis diſcernere.
„ 4. etiam Aphor. commen. 37. frigidos ſudores in acuta febre emanantes in alia eſſe parte ait, in alia calorem uehementem febris. In hepiala febre non ita euidens eſt particularum diſtinctio: nam in toto corpore ſimul calor & frigus percipitur, nec æger diſcernit, ſe alia in parte frigore, in alia calore affici. Galen. tamen & hanc iudicat eſse inæqualem intemperiem, quod indicat alias particulas caliditate, alias frigiditate affici, licet ſenſus hallucinetur: & ratio etiam id dictat, ac neutra huius febris, origoque. Scribit enim Galen. 2. de Diff. feb. cap. 6. gigni hepialam ex pituita uitrea, quæ cùm per corporis partes defertur, pars putreſcens calorem febrilem, non putreſcens rigorem inducit: cùm itaque aliæ particulæ pituitæ calorem febrilem, aliæ rigorem excitent, certum eſt, portiunculas iſtas, quamuis minimas non poſse eandem corporis partem occupare, neq; enim corpus corpus penetrat. Sunt igitur aliæ particulæ incaleſcentes, aliæ rigentes: & licet qualitates iſtæ uim habeant per totum corpus penetrandi, ut eius patet exemplo, qui hyeme digitum aquæ fri-

gidæ

gidæ indat: hoc nihil contra nos concludit: penetrat enim tunc frigus per totam manum,totumque brachium, quia nullum habet obſtaculum qualitatis contrariæ: at cum duæ ſunt contrariæ qualitates, partes corporis occupatæ ab altera non poſſunt ab altera occupari: vnde in hydrope febricitante aliæ ſunt partes, quæ frigore,aliæ quæ calore afficiũtur, ſi modo æger ipſe vtroq; afficitur:eadem dices de eo, cui ſub Sole ardenti immoranti frigida inſpergatur, deque eo,qui alterum crus in gelidiſſima,alterum in calidiſſima aqua detineat:in his enim quoque alias partes calor, alias frigus permeat. Nec aqua duorum circulorum contrarijs motibus mouetur, nã aliæ ſunt partes circuli ſiniſtri, quæ repellentes partes circuli dextri vnà cum repulſis circulum dextrum permeant, aliæ ſunt, quæ repulſæ à partibus circuli dextri vnà cum repellentibus retrocedunt:quare cùm vterque circulus videatur per alterum penetrare,& ex conſequenti uideatur eadẽ aqua eodem tempore progredi, & regredi, fit tamen id per diuerſas partes: quæ enim progrediuntur, non regrediuntur: & quæ regrediuntur,non progrediuntur: id quod innuit etiam Galenus ipſe, cùm ait loquẽs de motibus illorum circulorum. Quæ ,, res viris etiam naturæ ſtudioſis dubitationem non paruam attu- ,, lit, nũ aliæ partes ab vtroque motuum, an eædem mouerentur. ,, dico igitur alias partes, non eaſdem moueri. De melle, ſucco abſynthij miſto eadem eſt ratio, alijs enim particulis amarorem, alijs dulcedinem lingua percipit. Idem dixeris de chamæmelo, & ſolano ſimul miſtis, nam aliæ partes denſantur à ſolano: aliæ laxantur à chamæmelo in loco inflammato, quod aſſerit etiam ipſemet Galen.in 3.illo de Simp.ante adducto,cùm dicat. Si mil ,, le hoc in cyatho huius ſucci corpora contineantur diſſimilaria, ,, fieri poteſt, vt centum aſtringant,ſexaginta mordicent, ſexcenta ,, ſint dulcia,ducenta amara, quadraginta ſalſa, ſicque mutua mi- ,, ſtione temperata,ut partem nullam accipere ſit,quantumuis par ,, uam,quæ non ſit omnium particeps, ut in linguæ contactu om- ,, nes quidem agant,diuerſa tamen vnaquæque earum parte,nem- ,, pe cui ipſam appropinquare contigerit. Apertè hic pronunciat ,, Galenus qualitates haſce contrarias, ut in diuerſis particulis medicaminis continentur, ita etiam diuerſas partes corporis afficere,ut ex hoc loco ſine multo labore, & inquiſitione potuerit Fuchſius diligentiſſimus obſeruator dogmatum Galeni, modo

ea intelligat difficultatem hanc ex mente Galeni rectiſſime diſſol uere. Quare concludamus iam, non poſſe duo contraria eãdem partem eodem tempore obſidere, & nihil poſſe duobus eodem tempore contrarijs motibus moueri.

Quomodo medicamenta ex contrarijs facultatibus compoſita agant in corpus ex Auerroi contra Galenum. Cap. XX.

VIDIMVS ex nuper citato Galeni loco, & ex illo, in quo mentionem fecit ſolani, & chamæmeli ſimul commiſtorum medicamenta compoſita ex contrarijs facultatib us eiſdem facultatibus ſeparatim in corpus agere, vn de partes ſolani cutim aſtringunt, partes chamæmeli laxant: qua ex ſententia ſublata eſt ſuperius propoſita difficultas. Sed hinc longe maior, & difficilior exoritur. Quoniam Auer. 5. coll. cap. 57. ante etiam citato negat in medicamento compoſito ſeruari facultates contrarias ſimplicium, per quas agat in corpus, ut uidetur aſſerere Gale. in duobus locis adductis: vnde ſi pares portiones ſolani & chamæmeli ſimul attemperentur, nec ſolanum aſtrictionem, nec chamæmelum laxationem producet in parte inflammata: quomodo enim in corpus producant, quod in ſe non habent? nam ſi uelis ea retinere vires ſimplicium, per quas agant, aut uires erunt æquales, & ſic alterum reſiſtet alteri, quare nullum parient in corpore effectum, aut alterum erit ualidius, alterum imbecillius, & tunc calidum ſuo fungetur officio, imbecillum nihil efficiet. Qua de re non poteſt medicamentum compoſitum ex facultatibus contrarijs in corpus eodem tempore contrarias qualitates inducere: vnde ſi ſimul admiſcean tur ſolanum & chamæmelum, nec ſolanum aſtringet, nec chamæ melum relaxabit.

Quid igitur facient hæc medicamenta in unum confuſa & ad miſta? Reſpondet Auer. ea ex miſtione acquirere uim quandam mediam inter aſtrictionem, & relaxationem, & ita corpus mode rate aſtringere, & moderate laxare: vt hoc ſit diſcrimen inter Auerroim, & Galen. quòd Galenus uelit vnumquodque ſimplex medicamentum, quod compoſitum ingreditur, ſuam in corpus edere

edere actionem. Auerr. vnam ſolam edi actionem, ſed moderatam, vt pote ex contrariis temperatam: & affirmat Auerr. Galenũ & reliquos medicos idem ſentire, quod ipſe ſentit in primis qualitatibus: unde ſi miſceantur medicamenta calida & frigida, uim mediam acquirent inter calorem & frigus, per quam agẽt in corpus: ſic ſi ſicca & humida admiſceantur. Hoc autem eos ſtatuere in primis qualitatibus, quia ordines & gradus in eis conſtituerunt: vnde ſi admiſceatur medicamentum calidum quatuor gradibus, & frigidum duobus, totum commiſtum calidum erit duobus gradibus: in ſecundis uerò qualitatibus aliter eos ſentire, quoniam gradus earum haud tradiderunt, in quo ſanè ualdè errarunt, nam ſi in temperatione primarum qualitatum oritur media quædam qualitas, in miſtione etiam ſecundarum oriatur, neceſſe eſt, cùm ſecundæ gignantur è primis: unde ſi in miſtione ſolani, quod frigidum eſt, & chamæmeli, quod calidum, exoritur mediocritas caloris, & frigoris, cur non debeat exoriri mediocritas inter aſtrictionem, & relaxationem etiam? Hæc Auerrois contra Galen. quæ tantam in ſe habent uim, ut infringi haud queant: ueriſſima enim ſunt. Quid igitur dicendum? Dico Galenum in eadem fuiſſe ſententia, in qua eſt Auerr. immo verò eſſe hæc conſtantiſſima Galeni decreta: ſed loci ante à me adducti impulerunt Auerroim, ut tam male de Galeno ſentiret. Et quãquam hæc diſputatio uideatur eſſe extra inſtitutum noſtrũ, quia tamen orta eſt ex ijs, quæ ad inſtitutum hoc pertinent, ne iniuria fiat Galeno, ſi eum relinquamus in hoc errore, duo mihi facienda ſunt: primum, ut demonſtrem fuiſſe decretum Galeni, compoſita medicamenta ex contrarijs facultatibus tam primis, quàm ſecundis acquirere mediam quandam uim inter illas facultates contrarias, per quam agant in corpora. Secundum, ut rationem reddam, cur aliter quandoque ſenſiſſe ſit viſus.

Idem ſentire Galenum quod ſenſit Auerrois. Cap. XXI.

AGGREDIENTES itaq; ad primum demonſtremus, quomodo id ſentiat Gale. in medicamēto compoſito ex primis qualitatibus contrariis. In primo lib. de Genericis medicamentis, quo loco de uſu compoſitorum medicamentorum agit, docet, ſi cures quempiam, qui calefieri poſtulet quatuor gradibus nec præſto tibi ſit medicamen ſimplex quatuor gradibus calidum, eſſe ſimul commiſcenda duo medicamenta, quorum alterum ſit quinque gradibus calidum, alterum tribus: hoc enim ſic compoſitum quatuor gradus inducet caloris: non ait hic Galen. alterum ex his quinque gradibus calefacere corpus, alterum tribus, ſed ſeſe mutuo contemperare, ita ut totum ſit calidum quatuor gradibus, & quatuor gradus caloris in corpus inducat: eo enim modo fortaſſe ſentiret Fernelius, ſed iam exploſa eſt eius ſenten-
,, tia. Præterea 3. Methodi cap. 2. Quemadmodum, inquit,
,, ex duobus temperamentis immodicis unum efficiatur modicū,
,, id in medicamentorum componendorum ratione docuimus.
Cùm ex duobus immodicis unum fieri modicum dicit, nonne aperte pronunciat, ſimplicia uim ſuam integram haud retinere, ſed mediam quandam acquirere? quod demonſtrat ibi in ſecundis qualitatibus, quanquam exemplum illud trāsferri poteſt ad primas: ſi explere tibi propoſitum ſit ulcus cauum, & illi admoueas aut oleum, aut ceram, ſordidum reddes, hoc autē impedit carnis productionem: ſi æruginem, erodet, & magis cauum reddet: at ſi hæc omnia ſimul commiſceas conuenientibus portionibus, conficies medicamentum, quod ulcus explebit, nec dici poterit ingredientia uim ſuam ſeruare, & ea in ulcus cauum agere: nam ſi hoc eueniret, oleum & cera ſordidum redderent, ærugo eroderet. Dicendum eſt igitur ſeſe hæc medicamenta corrigere inuicem, ac moderari, ita ut ex omnibus uis quædam media oriatur carnem producendi: & ideo qualitates ſecundæ in compoſitione ſeſe retundunt, & moderantur, ſicuti primæ: immo uerò mediocritas ſecundarum oritur ex mediocritate primarum: cū enim oleum & cera nimiū humida ſint, ex quo ulcus nimis hu-

mectatum

mectatum ſorde repletur: ærugo nimis exſiccans, vnde vlcus magis excauatur, ſimul commiſta moderatius exſiccant: vnde ſordes haud generant, nec ulcus excauant, ſed explent: & ideo in calce libri ſexti de Med. Localibus de hoc medicamento, & alio conſimili ſic pronunciat. Quemadmodum ex cerato & ærugi- ,,
ne incarnans effici pharmacum, oſtenſum eſt, cùm tamen ambo ,,
incarnationi contraria ſint, eadem ratione ex oleo & chalcitide ,,
aptum ſit medicamentum ad aphtas, licèt oleum per ſe aphthæ ,,
ſit infeſtiſſimum, ueluti etiam chalcitis, quandoquidem alterum ,,
humectat, & ſordidum facit, mordet autem vehementer chal- ,,
citis. Primo etiam de Nat. Hum. comment. 2. hominem unum quiddam eſſe ait præter quatuor elementa, ex quibus concretus eſt, quemadmodum etiam medicamentum tetrapharmacum, neque cera eſt, neque pix, neque adeps, neque reſina, ſed unum quid præter hæc ipſa, quod ex his omnibus ſimul temperatis cõflatum eſt. Poſſem innumerabiles huc locos afferre ex ſeptemdecim Galeni libris de medicamẽtorum compoſitione, ſed ſatis ſit vnus ex lib. de Theriaca ad piſ. cap. 10. In medicaminum mi- ,,
ſturis, inquit, ſciendum eſt, ſingulorum quæ miſcentur, virtu- ,,
tem non amplius conſeruari, ita ut eadem maneat, nec mutetur, ,,
nec in vllam qualitatem tranſeat, ſed aliquam omnium vnionem ,,
effici tota ipſorum temperie per totum miſta: & una quadam ,,
alia ex illis uirtute profecta: quomodo etiam in mulſo fieri con- ,,
ſpicimus: quum enim exacta utriuſque temperatura facta fue- ,,
rit, neque mellis guſtum mel miſtum omnino repræſentat, neq; ,,
vinum amplius vinum eſſe in miſtura apparet, verùm ſtatim duo- ,,
bus congreſſis diuerſum quiddam. Id iam ipſum mulſi naturam ,,
induens ex temperatura perficitur. Hæc utique cùm in alijs om- ,,
nibus medicamentis, tum in ipſa theriaca fieri arbitrator, non ,,
adhuc vniuſcuiuſque miſtorum uim & qualitatem eandem ma- ,,
nere, ſed uniuerſis omnibus confuſis, & in unitatem quandam ,,
natiuam coeuntibus, unam diuerſamque a reliqua ex omni- ,,
bus medicamentis ſimplicibus naturam procreari. Proſequitur ,,
deinde Galenus in cap. 11. demonſtrando, quòd medicamenta ſimul commiſta in ſeſe inuicem agant, ſeſeque alterent. Hinc liquet medicamenta in compoſitione mutuo in ſeſe agere, ſeſeque alterare, ita vt non eandem penitus virtutem retineant, qua ante compoſitionem erant prædita, ſed mediam quandam acquirant,

ſicuti voluit Auerr. Cùm itaque demonſtrauerimus Galenum in eadem eſſe cum Auerr. ſententia, reſtat videre, cur quibuſdam in locis aliter ſentire viſus ſit.

Cur Galenus aliter quandoque ſentire viſus ſit. Cap. XXII.

CVR Galenus 3. de Simpl. Med. uideatur aſſerere, in compoſito ab arte medicamento aſſeruari facultates ſimplicium, quibus agat in corpus noſtrum, ſi rationem reddere volumus, ſciendum eſt ſimplicia omnia medicamenta, licèt ſimplicia videantur, compoſita tamen eſſe, cùm haud vna tantum ſit vnumquodque facultate præditum, ſed multis, & ſæpe etiam contrarijs: quod in quibuſdã euidenter apparet, in quibuſdam obſcure. In roſa, braſſica, lente, oſtreis, lacte id apparet euidenter: ſuccus. n. roſæ, braſſicæ, lentis, oſtreorũ, & ſerum lactis vim habent aluũ ciendi: at pars craſſa & terreſtris roſæ, braſſicæ, lentis, caro oſtreorum, & pars lactis caſeoſa aluum ſiſtunt: cùm itaq; prædita ſint facultatibus diuerſis, non ſimplicia ſunt, ſed compoſita: hoc tamen Galenus perſuadere non poterat medicis ſui temporis: quare nititur id demonſtrare ab effectibus medicamẽtorum compoſitorum: nam ſi eoſdem effectus pariet in corpus noſtrum medicamẽtum, quod ſimplex videtur, quos parit medicamentum à nobis compoſitum, diuerſos ſcilicet & repugnantes, concludendum erit medicamentum illud, quod ſimplex videtur, non minus eſſe compoſitum, quàm hoc, quod compoſitum eſſe ſcimus: propoſuit hanc quæſtionẽ c. 14.
›› eamque in fine ſextidecimi abſoluit in hanc ſententiam. Igitur
›› quemadmodum in medicamentis compoſitis mirum non eſt, ſi
›› contrarij ſimul affectus corporibus infligantur, ita neq; in ſimpli
›› cibus: quum & ipſa ſenſu quidẽ omni, atq; cognitione ſimplicia
›› appareant, verùm natura ſint compoſita, & quæ ſequuntur. Cùm omnia Galenus ex apparentibus demonſtret, nihil autem ſit magis apparens in medicamentis, quàm effectus, quos producunt in corpus humanum, demonſtrauit exemplo multorum medicamentorum, quæ ſcimus vere compoſita eſſe, produci effectus cõtrarios in corpore: cùm igitur & ea, quæ uidentur ſimplicia, pariant

riant

riant effectus in corpus & ipſa contrarios,liquet,& ipſa eſſe com poſita. Satis fuit hoc Galeno ad ſtabiliendum decretum ſuum, nec diſcuſſit tunc,nunquid particula inflãmata laxetur ſimul, & aſtringatur a medicamẽto compoſito ex ſolano & chamæmelo, quia ſolanum eam aſtringat ſeparatim,& chamæmelum laxet, an quia ſolanum & chamæmelum ſimul miſta & attemperata facultatem quandam acquirant mediam inter aſtringendum & laxandum, per quam moderata fiat aſtrictio, & moderata diſſolutio: hoc in quam ibi non diſcuſſit,cùm proprius non eſſet locus:pertinet enim ad libros de compoſitione medicamentorum: atque hoc eſt,quod decepit Auerroim:ſed magis eum decepit auiditas carpendi Galenum, quæ ſi eum non excæcaſſet, inueniſſet facillime, cur Galen. aliter ibi ſentire uideatur de compoſitis medicamentis,quàm ſentiat aliis in locis, ubi ex propoſito materiã eam tractat,quamquam in eodem loco quãdoque etiam indicet in compoſitione,& permiſtione medicamẽtorum contrariis facultatibus præditorum tertiam quandam exoriri facutaltem,ut ſentit Aner. Si parem, inquit, abſynthij portionem melli exquiſite commiſtam linguæ imponas, ex amaro dulce, quod ex ambomus miſtum fuerit,videbitur:nimirum cùm haud alio tempore mellis ſaporem lingua ſentiat,alio uerò abſynthij, neque alterum ſolùm, uerum perpetuò ex utriſque inſolitam quandam miſtionem permiſtam. Si afferit hic linguam percipere non exquiſitam amaritudinem,nec exquiſitam dulcedinem, ſed permiſtionem quandam ſaporum inſolitam,ideſt dulcedinem ex amaritudine: proculdubio hæc eſt illa tertia facultas, quæ ex duabus contrariis facultatibus commiſtis & contemperatis exoritur, cũ deinde actionem illam,quæ prouenit à ſuccis ſolani,& anthemidis ſimul commiſtis,actionem miſtam ex contrarijs facultatibus uocat,nonne tertiam quandam indicat facultatẽ, quæ nec uera ſit aſtrictio, nec uera relaxatio, ſed aut aſtrictio relaxans, aut relaxatio aſtringens? Sed & inferius id clarius exprimit, cùm ait, particulam,cui apponũtur illi ſucci,mediam eorum accipere affectionem. Quamobrem ſi Auer. recte perpẽdiſſet eum locum etiam ſi uideatur Galenus aſſerere in medicamento compoſito ex contrariis facultatibus,utramque ex illis agere, non carpſiſſet Galenum, ſed quomodo intelligendus ſit, amice interpretatus eſſet,cùm ex illius uerbis anſam haberet ampliſſimam id faciẽdi.

Atque hæc ſatis ſint pro defenſione Galeni, cùm multis alijs modis defendi poſſet: neque enim latet me magnam eſſe varietatem inter compoſita medicamenta tum ratione ingredientiũ, tum ex modo componendi,tum ex temperie:vnde poterit quandoque euenire,vt medicamentum aliquod compoſitum agat nõ per mediam qualitatem ex compoſitione acquiſitam,ſed per ingredientium qualitates,atque hoc dum adhuc recens eſt,non bene permiſtum, ac fermentatum: at hæc diſputatio nimis longe nos ab inſtituto abduceretq́, ad quod iam tempus eſt, vt redeamus. Inſtitutum autem noſtrum erat,demonſtrare non eſſe intemperies compoſitas ex duobus contrarijs, & ideo reiecimus obiectiones, quæ aſtruebant duo contraria in eodem ſubiecto, & eodem tempore eſſe.

Licèt quiſpiam dolore ſimul, & voluptate afficiatur, non ideo ſequi, duo ſimul eſſe contraria. *Cap. XXIII.*

RESTAT adhuc obiectio allata ab Alexandro de dolore, & uoluptate ſimul perceptis, quæ cùm ex iam dictis facile poſſit ſummoueri, uideamus tamen, quæ ſcribat Alexander, nam erunt & hæc idonea ad confirmandas ſuperiores ſolutiones. Dico igitur non quamcunque uoluptatem eſſe contrariam cuicunque dolori. Sed determinatam determinato, id eſt eam, quæ in eodem eſt genere: uoluptas namque, quæ in contemplando percipitur, non eſt contraria dolori,qui ob famem vrget, ſed dolori,qui ex contemplatione oritur: cùm itaque uoluptas, & dolor non ſunt in eodem genere, ſimul eſſe poſſunt: fieri namque poteſt, ut quiſpiam ob famem dolore afficiatur, & tamen in contemplando voluptatem percipiat. His ita poſitis, conſtat dolorem vexantem ob famem non eſſe contrarium voluptati perceptæ ex cibi ſumptione, quia non ſunt in eodem genere: dolor enim ob famem eſt in defectu, & penuria: uoluptas ob comeſtionem eſt in defectus expletione: ſi vtrumque eſſet in defectu, uere eſſent contraria, & ſimul eſſe non poſſent: neque enim poteſt quiſpiam ob famem ſimul dolore, & delectari. Hinc colligitur delectationem

in alijs eſſe partibus,dolorem in alijs,& ideo non repugnare,etiã ſi uere contraria eſſent,quin poſſint quempiam eodem tempore afficere.Id facile apparebit conſiderantibus, vnde in his affecti- bus proueniat dolor,& moleſtia.In fame oritur moleſtia,quia ſu gitur uētriculus à partibus finitimis: in eſu oritur uoluptas,quia ſedatur illa ſuctio:ſuctio euacuat,eſus replet:quare dum fit reple tio,uoluptas creſcit, & imminuitur dolor: & quæ partes primò replentur,primò delectatione perfunduntur. Idem autem non poteſt eodem tempore euacuari,& repleri, ſed altera actio ſucce dit alteri. Apparet itaque apertiſſime, etiam ſi hæc eſſent contra ria,quòd tamen in diuerſis eſſent particulis. Dolor etiam ex ſiti eſt in defectu, uoluptas ex potu in repletione:non ſunt ergo con traria: & licèt contraria eſſe contendas, non inſident particulis eiſdem in pruritu,& tentigine contra ſe habet: nam dolor ex re- pletione,uoluptas ex euacuatione prouenit:non ſunt igitur con traria,nec eaſdem occupant particulas,quare poſſunt eſſe ſimul. Et ideo confectum iam ſit, nunquam contraria ſimul eſſe poſſe in eadem parte. Quamobrem,ut tandem concludamus, etiam ſi caliditas & frigiditas eodem tempore eundem inuadant, ſic humiditas & ſiccitas,non ideo ſequitur hos eſſe morbos compo ſitos ex duabus qualitatibus contrarijs, nec eas compoſitas eſſe uocandas intemperies, ſed inæquales.

De inæquali intemperie,ac primò de æquali & inæquali abſolute. Cap. XXIIII.

VIDIMVS, quando corpus duabus contrarijs intempe raturis eodem tēpore infeſtatur, nō eſſe eã intēperiē cōpoſitã ſicuti aliæ quatuor calida & humida,calida & ſicca,frigida & humida,& frigida ac ſicca,ſed intē- periem inæqualem uocari a Galeno in lib. de cauſ.morb. cap. 6. Quare cùm res ſit magni momenti, & multis plena difficultati- bus,explicandum eſt,quid ſit inæqualis intemperies, & quomo- do fiat. Mentionem fecit Galen. uariis in locis æqualis & inæ- qualis intemperiei, ſed leuiter: at in libro,quem de inæquali In- temperie inſcripſit,plenius hac de re diſſeruit,qui liber cum diſ- ficilis admodum ſit,atque obſcurus, ita ut à recentioribus expo- ſitoribus

ſitoribus non ſemper recte exponatur, quid enim aliter faciant, qui ne titulum quidem libri intelligunt? dabimus operam, ut vno atque eodem tempore, quid ſint æqualis & inæqualis intemperies, explicemus, & Galeni ſenſa enodemus. Id autem ut commodius faciamus, ante omnia tradendum eſt, quid ſit æquale, & inæquale, & an recte intemperies dicatur æqualis, & inæqualis, quæ erit quædam nominis explicatio rei naturam præcedens.

Aequale, & inæquale proprium eſſe quantitatis affirmat Ariſt. atque id optima ratione, quia quantitas quatenus quantitas, eſt menſurabilis, quatenus menſurabilis, æqualis & inæqualis: nam quorum menſura eadem, ea ſunt æqualia: quorum maior uel minor, inæqualia: hæc autem omnia ſunt quanta; quare his ſolis conuenit æqualitas & inæqualitas. Quod ſi ad alia etiam tranſferamus, ueluti ſi dicamus colorem colori eſſe æqualem, id ei ex accidenti euenit propter ſuperficiem, in qua eſt: & ideo Ariſt. in alijs præter quantitatem, non admodum eſſe in uſu æquale & inæquale aſſerit: non longe abieris, diſpoſitio raro dicitur æqualis, & inæqualis, & propterea cùm intemperies ſit diſpoſitio, improprie dicitur æqualis & inæqualis, & proprie magis diceretur ſimilis & diſſimilis. Qua de cauſa Galen. 6. de Tuenda Valetud. cap. 2. æqualem intemperiem ſimilem etiam uocat, & inæqualem differentem & diſſimilem, licet interpres interpretando hanc uocum non adhibuerit diligentiam. Verùm quamuis improprie intemperies dicatur æqualis & inæqualis, quia tamen ut refert Galen. primo de Diff. Febr. cap. 1. & primo Aphor. comment. 14. & paſſim alibi, qualitatibus quantitatum nomina ſæpe attribuimus, dicentes febrem magnam & paruam, maiorem & minorem, apoplexiam magnam, apoplexiam paruam, & ſic cæteros morbos omnes, obtinuit uſus medicorum, ut æqualitatem etiam & inæqualitatem qualitatibus aſcriberet: quare intemperiem etiam æqualem & inæqualem uocauerunt: inæqualem diuerſam, æqualem manſiuam uocat Auicenna, uel eius interpretes, qui librum etiam Galeni de Inæquali Intemperie, de malitia complexionis diuerſæ inſcripſerunt.

Quid

Quid ſit intemperies æqualis et inæqualis. Cap. XXV.

CVM æquale & inæquale ſint oppoſita, ſi alterius uis percepta erit, facile innoteſcet & alterum: quare ab æquali incipiamus. Quoniam verò æquale æquali dicitur æquale, oritur hic quædam ueluti comparatio, in qua tria ſaltem concurrant neceſſe eſt, duo extrema, quæ inter ſe comparantur, & medium, in quo fit comparatio, veluti cùm dicimus, lineam lineæ eſſe æqualem: ſunt enim duæ lineæ, quæ comparantur: & menſura ueluti pes, cubitus, & cõſimiles, in qua fit comparatio: nam ſi utrique lineæ eadem menſura congruit, æquales ſunt. Euenit interdum, ut plura, quàm duo, & in pluribus comparentur, veluti in collectitia æqualitate pulſuũ, in qua multi pulſus inter ſe comparantur, & multis in differentijs, ueluti in uelocitate, frequentia, magnitudine, uehementia, & cæteris de eodem genere. Cùm autem agamus de æquali, & inæquali intemperie, & potiſſimum de inæquali, quærendum eſt & hic, inter quæ fiat comparatio, & in quo. Verùm cum duo hic tantùm habeamus & intemperiem ipſam, & ſubiectum, quod intemperie afficitur, comparatio non fit inter plura, ſicuti cùm lineam lineæ, & pulſum pulſui æqualem, aut inæqualem eſſe dicimus: at dicendum eſt, cùm ſubiectum illud, quod intemperiem ſubit, ex multis partibus conſtet, comparationem fieri inter eius partes: nam ſi eadem prorſus intemperies partes omnes indifferẽter occupet, æqualis: ſi uerò alias aliter, inæqualis dicitur: ſic uiam dicimus æqualem & inæqualem interdum, non comparando ipſam alteri uiæ, ſed partes eius inter ſe: quando enim tota eſt plana, æqualis dicitur quando partes habet alias aſcendentes, alias deſcendentes, inæqualis, vt ſcribit Gal. 3. de Off. Med. commen. 11. ſic etiam in 2. lib. comment. 22. faſciam æqualem eſſet dicebat, comparans partes faſciæ inter ſe, nam ubi nulla eius pars durior aut mollior, latior aut anguſtior eſt, tum vbi nihil deeſt, nihil corroſum eſt, æqualis eſt: contra, ſi partes alias duras habeat, alias molles, latas alias, anguſtas alias, hîc ſit integra, ibi corroſa, inæqualis eſt: ſic cùm loquimur de æqualitate & inæqualitate in unico pulſu, non pulſum pulſui, ſed unius & eiuſdem pulſus partes inter ſe conferimus. Eodem pacto cùm de æquali & inæquali intemperie

rie loquimur,inter partes corporis intemperie affecti collatio fit, & intemperies eſt, per quam fit collatio:nam ſi partes omnes ſimiliter corripiat,æqualis,ſi differenter, inæqualis dicitur: ac ut res planior ſit, proponamus exempli cauſa calidam intemperiẽ, ſimplicem & puram:nam quidquid de hac ſtatutum fuerit,idem de alijs erit ſtatuendum. Si calida intemperies corpus afficiat, aut ſimilis,atque idem per totum calor diffuſus erit, & ſic erit calida intemperies æqualis: aut aliter aliam partem afficiet, & ſic erit intemperies calida inæqualis: differenter autem afficiet partes,ſi in aliis ſit intenſior, in aliis remiſſior, ut hinc ſtatuere poſſimus, intemperiem æqualem eſſe, quæ partes corporis affecti æqualiter inuaſerit: inequalem, quæ partes alias magis,alias minus infeſtet. Colliguntur hæ diffinitiones ex Galeno cap. 1. eius „libelli, cùm ait. Quod intemperies eiuſmodi, ideſt inæquales „ab æqualibus eo diſtent,quod in omnibus intemperanter affecti „corporis partibus æqualiter non inſint,clare liquet. En quomodo aperte ait intemperiem inequalẽ eſſe, quæ non afficiat æqualiter omnes partes corporis laborantis: vnde æqualis erit, quæ omnes æqualiter afficit, & in illa uoce æqualiter tota eſt uis,quæ cùm haud eſſet in antiqua tranſlatione, multum laboris attulit medicis ſuperiorum ætatum, dum quærerent, an mala cõplexio diuerſa ſit in qualibet parte eius,cuius alteratur complexio: talis enim eſt titulus quæſtionis ab Hugone examinatæ,in qua multũ laborat,& multas ſophiſticas affert rationes, minus certe laboraturus, ſi hæc particula [æqualiter] in codicibus Gale. tunc extitiſſet. Apparuit hactenus, intemperiem inæqualem eſſe, quæ diſſimiliter partes corporis afficit,& diſſimiliter afficere, quia in alia parte eſt intenſior,in alia remiſſior, nam ſi quis diu ſub Sole ardente moram traxerit, afficietur calida intemperie inæquali: propterea quia aliæ partes magis incaleſcent,aliæ minus,& quoniam tunc in corpore fit mutatio quædam, quid eſt quod immutatur? Sanè nihil eſt aliud, quàm proprium & naturale partium temperamentum: vnde ſi temperamentum eſt frigidum, ad calidum conuertitur:ſi calidum,ad calidius:cum verò inæqualiter tẽperamentum immutetur,nam partes exteriores,veluti cutis capitis maiorem contrahunt calorem, quàm internæ: & ex his aliæ magis,aliæ minus,hinc fit,intemperiem,quæ introducitur, diſſimilem eſſe & inæqualem. Quod ſi natiuum temperamentum ex

toto,

toto,& æqualiter ab aliena intemperie immutatum fuerit, tunc intemperies ea redditur æqualis. Vtrumque colligitur ex Gal. 2.de Temper.in calce, cùm ait. Inæqualis quædam in ijs, quæ ,, phlegmone laborant,partibus intemperies eſt, ſimilaribus ſcili- ,, cet corporibus à proprio temperamento nõdum amotis,ſed aſ- ,, ſidue adhuc in mutatione atque alteratione uerſatis. Aperte hic ,, exprimitur, dũ mutatur temperamentum partium in phlegmo ne à phlegmones intemperie,intemperiem illam eſſe inæqualẽ: cùm uerò ſimilares partes à proprio temperamẽto ſunt amotæ, eam eſſe intemperiem æqualem,ut aliam hinc definitionem poſ ſis hoc pacto colligere. Intemperies inæqualis eſt, quæ immutat partium temperamentum, æqualis quæ mutauit. Quare ex hoc loco licet reijcere, quod Brachelius Galeno obiecit in principio libri de Inæq.Intẽp.cùm ait Galenum incondito ordine vti in eo principio, quoniam inæqualem intemperiẽ diuidit,priuſquam definit, cùm contra feciſſe oportuerit. Reſpondemus namque Galenum 2.de Temperamen.intemperiem inæqualem definire, & quia in illa definitione multa erant explicanda, quæ tractationem temperamentorum interrupiſſent, pollicetur ſe poſt explicata temperamenta,integrum libellum de Inæquali Intemperie ſcripturum,in quo plenius tractaturus ſit,quæ ibi tãtũ innuit.Cùm itaque libellus de Inæquali Intemperie cum eo cohæreat, dicemus Galenum cùm ibi definiuiſſet inæqualem intẽperiem in principio huius libelli optimo ordine eam diuidere, & ſic obſeruare Brachelij legem: ſi lex illa eſt primùm rem definire, deinde diuidere,ac non rectius fortaſſe ſit,res primùm diſtinguere, quod ex diuiſione naſcitur, deinde definire,ut paſſim obſeruat Ariſtot. Duobus his modis uere & appoſite reijcitur Brachelij calumnia, non eo modo, quo Fuchſius reiecit, cùm dicat Galenum iam in lib.de Temperam.intemperiem definiuiſſe, in quo certe admirarer hominis tam celebris ſtupiditatem,niſi frequens in eo hoc uitium deprehendiſſem: uitium autem id per ſe patet: aliud enim eſt,definire intemperiem abſolute,aliud intemperiem inæqualem,de qua erat obiectio. Sed ad rem redeamus. Ex iam dictis duæ colligi poſſunt definitiones, quæ recte ne traditæ ſint,& eædem ſint,an non,videbimus,ſi eas diligentius diſcutiamus& quomodo fiant hæ intemperies,aperiamus.

Quomodo

Quomodo fiant inæqualis & æqualis intemperies: & quid ſenſerint Brachelius, & Fuchſius. Cap. XXVI.

Ex iam enarratis poteſt vnuſquiſque conſtituere, unamquamque intemperiem fieri poſſe & inæqualem, & æqualem: atque has poſſe uniuerſum corpus, & quamlibet eius partem occupare. Si itaque intemperies calida totum occupet corpus, ſed inæqualiter, quod in alijs partibus maiorem inducat calorem, in alijs minorem, erit intemperies inæqualis totius, ueluti febres putridæ, & diariæ, quæ magis calefaciunt uel ſpiritus, uel humo res, quàm partes ſolidas, & ex partibus ſolidis magis eas, quæ ſunt propinquiores humoribus & ſpiritibus accenſis, ueluti uenas & arterias, quàm eas, quæ ſunt remotiores, ueluti carnes, neruos, ligamenta, oſſa. Sed ſi hæc intemperies ex æquo corpus totum corripiat, fit æqualis, ueluti eſt febris hectica, cuius calor partibus omnibus corporis æqualiter eſt impreſſus. Si uerò partem aliquam corripiat hæc eadem intemperies, & non æqualiter, ueluti phlegmone muſculi alicuius, eſt & hæc intemperies inæqualis eius partis, nam calor phlegmones partes muſculi inæqualiter calefacit: cùm enim oriatur calor ille à ſanguine feruefacto, magis incaleſcunt venæ & arteriæ, quàm aliæ partes, deinde magis carnes, quàm nerui & tendones. Sed ſi diffuſus ſit hic calor per totas muſculi partes ex æquo, intemperies iam æqualis eſt reddita, veluti in gangræna, & magis adhuc in ſphacelo. Hinc licet conſtituere differentias inter has intẽperies: inæqua lis enim eſt in fieri, & in via: æqualis iam facta eſt, & in termino: vnde in intemperie inæquali mutatur temperamentum, in æquali mutatum eſt, & corruptum. Hinc fit, ut inæqualis dolorem & moleſtiam incutiat: nam ex authoritate Hippocratis Galen. in lib. de Inæq. Intemp. cap. 4. & primo de Sympto. cau. cap. 6. His, inquit, quibus alteratur & corrumpitur natura, dolores fiunt: non quibus alterata iam & corrupta eſt. Et propterea in febribus putridis & diarijs, & in phlegmone percipitur ingens moleſtia, & dolor: in hectica verò & gangræna nullus eſt dolor: hinc patet etiã intemperiem æqualem fieri ab inæquali, utramque eſſe præter

naturam,

naturam, grauiorem uerò & perniciosiorem æqualē eſſe. Ex his, & ex iam ante explicatis notam eſſe puto omnibus utriuſque intemperiei naturam, præterquam duobus Galeni expoſitoribus Brachelio, & Fuchſio, quorum poſitiones examinandæ ſunt, ut harum intemperierum natura magis pateſiat. Et quoniam quæritur potiſſimùm, quæ nam fuerit Galeni opinio, Brachelius ex Galeni ſententia ſtatuit, inæqualem intemperiem eſſe diuerſarum particularum diuerſum aut diſpar temperamentum, & hac diuerſitate temperamenti alteram agere in alteram: ſic ſenſiſſe Galen. demonſtrari poteſt ex cap. 7. ſecundum Fuchſij diuiſiones, ubi cùm dixiſſet laborantes febre hectica, quæ æqualis eſt intemperies, nullum dolorem percipere, immo uerò ne calorem ipſum quidem, hanc reddit cauſam. Non enim ex eorum particulis hæc „ agit, hæc uerò patitur, cùm omnes inter ſe iam ſimiles ſint reddi „ tæ, ac unicam habeant conſentientem temperaturam. Si labo- „ rantes intemperie æquali nec dolorem, nec intemperiem ipſam ſenſu percipiunt ob relatas cauſas à Galeno, neceſſe eſt, ut ob contrarias cauſas laborantes intemperie inæquali & dolorem, & intemperiem percipiãt. quare ex eorum particulis hæc agit, hæc patitur, cùm inter ſe diſſimiles ſint, & diuerſas habeant ac diſſentientes tempaturas. Brachelius licèt haud deduxerit hunc locum, uidit tamen eius uim, unde dixit. Galenus hic iterum al- „ ludit ad ſuam opinionem, iuxta quam inæquale intemperamen- „ tum definit diuerſarum partium diuerſum temperamentum. „

Confirmatur hæc opinio ex verbis Galeni ſtatim ſequētibus, nam ſiue loquatur de febre hectica adhuc, ſiue de corporibus ſanis, quorum partes diuerſis ſint præditæ temperamentis, ſed tamen non immoderatis, ait partes non agere inter ſe, licèt ſint diuerſis præditæ temperamentis, & earum inæqualitatem eſſe doloris expertem, ob exceſſus mediocritatem: quare innuit, cùm exceſſus eſt immoderatus, partes agere inter ſe ob temperamentorum diuerſitatem. Hanc opinionem Galeno aſcribit Brachelius, eamque reijcit in primo ſuo comment. quia cùm intemperies hæc dolorem pariat, non uidetur, inquit, naſci dolor, quod proxima pars ſua inæqualitate alteram afficiat, ſed quia naturale patitur ab innaturali, unde concludens poſt multa reijcit hanc opinionem, & ſuam aſcribit in hæc uerba. Non eſt ergo nobis „ inæqualis intemperies diuerſarum partium diſpar temperamen- „ tum,

,, tum, ſed eiuſdem partis intemperamentum ex naturali affectu
,, & innaturali quodam miſtum. Fuchſius cùm duas haberet pro-
poſitas opiniones, alteram Galeno à Brachelio adſcriptam, alte-
ram Brachelij, primam à Galeni mente alienam eſſe ſtatuit: ſecun
dam, quam ſibi uendicat Brachelius, admittit: & ideo uno at-
que eodem tempore illam reijcit, hanc confirmat in hanc ſenten
,, tiam. Si inæquali intemperie pars una tantum afficitur, neceſſe
,, eſt, ut in una & eadem etiam parte diuerſum ſit temperamen-
,, tum, eaque inæqualiter ſit alterata: proinde ex ijs erit unum,
,, quod ſecundum naturam eſt: & alterum, quod eſt iam præter
,, naturam, & non illud tantùm, quod eſt præter naturam. Vt Gale
,, no etiam ipſi inæqualis intemperies non ſit niſi eiuſdem par-
,, tis temperamentum, quod ex naturali affectu, & eo, qui præter
,, naturam compoſitum eſt, ut euidenter ex ijs, quæ infra cap. 7. hu
,, ius libri ſcribit, patebit. Hinc patet opinionem, quàm ſibi ar-
rogat Brachelius, Galeni eſſe opinionem, inæqualem uidelicet in
temperiem eſſe eiuſdem partis temperamentum ex naturali, &
eo, quod præter naturam, compoſitum. Locus, quem Fuch-
,, ſius citat ex Galeno eſt hic. Terminus alterationis cuiuſque par-
,, ticulæ actionis eius eſt læſio. Ad quem uſque terminum latitu-
,, do, uia eſt in id, quod præter naturam eſt, ueluti commiſta com
,, munisque ac media ex utriſque contrarijs compoſita, eo ſcilicet
,, quod eſt exquiſite ſecũdum naturam, & eo, quod eſt iam præter
,, naturam. Eo etiam in loco Fuchſius ex his verbis ait, Sole cla-
,, rius eſſe, Galenum inæqualem temperiem non uocare illud tan-
,, tum temperamentum, quod à morboſa cauſa in uarijs partibus
,, uarie excitatur, ut illi mendaciter imponit Brachelius, ſed id po-
,, tius, quod ex naturali affectu, & eo, qui præter naturam eſt, ut ſu-
,, pra quoque cap. 1. diximus, componitur: & quatuor uerſus po-
,, ſtea infert: vnde in inæquali intemperie duos contrarios motus
,, videre licet, vnum caloris præter naturam, & alterum naturalis.
,, Hic ſiquidem reſiſtendo plurimum laborat, alter verò inferendo
,, noxam contendit. Ex uerbis his Galeni tam clare elicitur hæc
opinio, ut Brachelius ipſe dicat. Hoc modo inæquale intempe-
ramentum definire oportuit. Hæc Fuchſius, & Brachelius.

Poteſt autem hæc opinio multifariam adhuc comprobari: pri
mùm ex loco adducto ex 2. de Temper. nam ſi in partibus pleg-
mone laborantibus nõ eſt amotum temperamentũ, ſed mutatur

aſſidue,

aſſidue, hinc inſinuatur temperamẽtum partium ab intemperie præter naturam immutari, quare cùm in partibus inflammatis duo ſint temperamenta naturale & aduentitium, ex his utriſque intemperies inæqualis conficitur. Hoc idem tam aperte teſtatur Galen. in princ. cap. 3. nihil ut teſtari poſſit apertius, cùm ait. Quod in omnibus particulis corporis, quod ita affectum eſt, unica temperies non ſit, antea eſt dictum. Si in partibus inæquali intemperie laborantibus non vnica eſt temperies, declarat hoc, eam eſſe compoſitam ex duabus naturali & præternaturali. Sed vbi hoc antea dixit Galenus? certe ſi diligenter quæras, non inuenies locum, in quo id palam expreſſerit: inuenies tamen, ubi id clam ſignificauerit, & eſt locus capitis primi ante à me citatus, in quo aſſerit inæquales temperaturas ab æqualibus differre, quia non ſint eodem modo in omnibus partibus, unde hic declarat, quomodo id ſit capiendum, reddita etiam cauſa, quia uidelicet non unica tantum adeſt temperies, ſed duæ, propria, & aliena: atque hæc eſt cauſa, cur hæc intemperies non ſit eodem modo in omnibus partibus. Præterea inæqualis intemperies dolorem affert, propterea quia aliena intemperies mutat, & corrũpit proprium partium temperamentum: donec itaque mutatur temperamentum, intemperies dicitur inæqualis: cùm mutatum eſt, & corruptum, æqualis. Si igitur æqualis dicitur, quia vnicum tantum adeſt temperamentum, atque id alienum, & præter naturam, ergo inæqualis dicitur, quia duo adſunt temperamenta, quæ ſimul concurrentia intemperiem conſtituunt inæqualem.

Ad hæc, cùm reiecta ſit opinio, quam Brachelius Galeno aſcribit, intemperiem inæqualem eſſe diuerſum diuerſarum partium temperamentum, ſi hæc etiam reiiciatur, quam nunc ſtabilimus, reſtabit ut dicamus intemperiem inæqualem eſſe vnicam tantũ, & aduẽtitiam, quæ differenter partes corporis afficiat, ut colligi poteſt ex definitionibus traditis ab initio. Sed hæc opinio falſa eſt, quia videmus intemperiem inæqualem dici, propterea quod inæqualiter mutat temperamentum naturale: diuerſitatẽ itaq; & inæqualitatem ſortitur à naturali temperamento: quare inæqualitas hæc non ex vnica tantum & aduentitia temperie, ſed ex duabus conflatur, aduentitia, & naturali. Pro hac opinione facit etiam quod ſcribit Galen. 1. Epid. ſect. 1. comment. 23. ait ſemitertianam febrem conſtare ex humore inæquali, pituita

videlicet, & flauabile. Humor hic non alia de cauſa dicitur inæqualis, quàm quia intemperiem habet inæqualem, nec intemperies illa inæqualis eſt alia de cauſa, quàm quia ex diuerſis conſtat temperamentis, altero pituitæ, quod frigidum eſt & humidũ, altero flauæ bilis, quod calidum & ſiccum eſt: oritur igitur inæqualitas temperamenti à miſtione diuerſorum temperamẽtorũ.

Deinde ſcribit Gale. 12. Method. cap. 7. & in libello nobis propoſito cap. ultimo, ſi quis manum magno frigore affectam igni admoueat, eamque etiam per ignem moueat, excitari in ea dolorem, & præſertim in unguium radicibus: hic ſunt duæ temperies aduentitiæ, & contrariæ, frigiditas, & caliditas. Si uis inæqualitatem in una tantùm eſſe collocatam, quæ nam ex his eſt inæqualis? profectò ſi caliditas dolorem facit, hæc eſt inæqualis, & inæqualis eſt, quia inæqualiter calefacit: hoc eſt in alijs partibus intenſior eſt, in aliis remiſſior: at intenſior eſt, vbi minus adeſt frigiditatis, remiſſior, ubi plus, cũ qualitates magis uel minus remittantur pro maiori uel minori miſtione contrarij: ſi igitur tunc inæqualis intemperies conſtat ex duabus contrarijs intemperaturis contrarijs & aduentitijs, neceſſe eſt eodem pacto, quando vnica tantùm adeſt aduẽtitia, ut ex hac & naturali ſimul miſtis conſletur inæqualitas. Poſtremò, ſi in hepialo, & alijs febribus, in quibus vno & eodem tempore calor, frigus uiget, adeſt intemperies inæqualis ob miſtionem contrariarum intemperaturarum, cur non & in alijs idem euenire dicas?

Inæqualem intemperiem eſſe, quæ inæqualiter corpus afficiat, & ſimplicem eſſe, non compoſitam ex duabus intemperaturis contra Fuchſium, & Brachelium. Cap. XXVII.

LICET hæc opinio multis rationibus fulciatur, puto tamẽ alienam eſſe à mente Galeni, & à rei natura: nam ex definitionibus temperiei inæqualis traditis ab initio conſtituendum eſt, intemperiem eſſe inæqualem, quia inæqualiter partes corporis immutet, ita ut in alia parte ſit intenſior, n alia remiſſior: nam cùm aliqua intemperies corpus

inuadit,magis urget partes primò occurrentes, remotiores minus: vnde quæ in ſuperficie ſunt,alio modo afficiuntur, alio penitiores. Id quod phlegmones exemplo ante oſtendimus: nec dicendum eſt,inæqualiter immutari partes, quia ſimul miſceantur aduẽtitia & natiua tẽperies,cùm hoc repugnet miſtionis naturæ:miſcentur enim ſubſtãtiæ,ut uidimus,non paſſiones. Præterea in miſtione pugnant inter ſe quæ miſcentur,donec ad mediũ ueniant,at hic pugnatur donec alterum deſtruatur. Præterea intemperies inæqualis eſt in uia, & in motu, at naturalis eſt in termino,& iam facta,& non fit,ſed deſtruitur potius: quod nam igitur compoſitum exurgere poteſt ex eo, quod generatur, atq; ex eo,quod deſtruitur, ac corrũpitur?Præterea ſi miſcerentur temperatura aduentitia & natiua ad conſtituendam intemperiẽ inæqualem ſequeretur, ꝙ hæc eadem temperies cùm facta eſt æqualis, adhuc miſta eſſet ex natiua & aduentitia æquis portionibus, ita ut ad medium æquale deueniſſent, ſed in intemperie æquali dominatur ſola præter naturam & aduentitia,ergo & in inæquali.Præterea intemperies inæqualis dolorem affert,& quis audeat aſſerere temperiem natiuam dolorem afferre?quid plura? intemperies omnes tam ſimplices,quàm compoſitæ,tam nudæ, quàm cum affluxu ſubſtantiæ, ſunt intemperies inæquales, quis igitur dixerit morbos eſſe compoſitos ex intemperie aduentitia, & naturali?quis anaſarcam,quis febrem ardentem,quis phlegmonẽ, Eriſypelas, & alias innumerabiles intemperies huiuſmodi compoſitas eſſe dicat ex temperie natiua,& aduentitia?Cùm hæc opinio tot vrgeatur incommodis,donemus eam authoribus ſuis erachelio,& Fuchſio,& à Galeni decretis alienam eſſe cõſtituamus, qui intemperiem inæqualem ſemper eſſe dixit, quæ inæqualiter corpus afficiat,aut inæqualiter temperamentum immutet:& hæc veritas dilucidior emicabit, cùm rationes pro opinione ea allatas confutabimus: quod iam aggrediamur.Cùm duæ antea propoſitæ fuerint poſitiones à Brachelio, quarum alteram Galeno aſcripſit,& refutauit,alteram ſibi uindicauit, quã Fuchſius uere Galeni eſſe aſſerit,de priore uidetur nihil eſſe dicendum, cùm a Brachelio reiecta ſit.Quia tamen uidetur eſſe deducta ex Galeni uerbis cap.7. deſcriptis, demonſtrandum eſt ea uerba aliter eſſe capienda, ne minima ſuſpicio relinquatur Galenum tam inæptæ poſitionis fuiſſe authorem.Dico igitur inæqualem intemperiem

aduentitiam eſſe, ſed tamen inſidere partibus corporis,& ex parte ad partem diffundi,veluti in phlegmone caliditas præter naturam primò inſidet in ſanguine ferueſacto, ſanguis calefacit uenas & arterias,hæ carnes,neruos, & alias partes: uerum igitur eſt ex partibus iſtis alias agere, & alias pati propter temperamenti diuerſitatem, ſanguis enim agit in uenas & arterias, quia longe calidior,quàm uenæ,& arteriæ, & uenæ à ſanguinæ patiuntur, quia minus calidæ,rurſus venæ agunt in carnes, & carnes à venis patiuntur eadem de cauſa, ſic denique dixeris de reliquis: ſed cùm fiat actio hæc,& paſſio inter partes,ideo fit, quia intẽperies aduentitia eas inæqualiter afficit: ſtat igitur decretum noſtrum, intemperiem ideo eſſe inæqualẽ, quia inæqualiter afficit partes, alias enim magis,alias minus alterat. In hectica uerò non eſt dolor,quia hæc eadem intemperies, quæ in alijs partibus intenſior erat,in alijs remiſſior, facta eſt vniformis, & conſentiens in omnibus. Si hoc modo interpretemur Galenum,certum eſt inæqualem intemperiem inæqualitatem ſortiri à modo differenti alterãdi partes, & cùm à parte in partem transfundatur, certum eſt etiam partes agere inter ſe, & pati: ſed propter vnius atque eiuſdem intemperiei inæqualitatem. Enixus eſt etiam Fuchſius, demonſtrare eam opinionem alienam eſſe a Galeni decretis,ſed

„ infeliciter. Vis eius argumenti ſic progreditur. Quomodo uis
„ Bracheli,Galenum ſtatuiſſe inæqualem intemperiem eſſe diuer-
„ ſarum partium diuerſum temperamentum,ſi ſcribit, intẽperiem
„ inæqualem in una parte eſſe poſſe: nam ſi in una parte eſt, in di-
„ uerſis eſſe non poteſt. Hinc poſtea aſtruit ipſe, alteram opinio-
„ nem, intemperiem inæqualem eſſe miſtionem quandam naturalis,& præternaturalis temperamenti: hoc enim pacto non repugnat,in una parte duo eſſe temperamenta,naturale alterum,præternaturale alterum. Sed de hac opinione paulopoſt: de reiectione verò prioris, aſſero eam eſſe inanem,quia licèt intẽperies ſit in una parte corporis,ueluti muſculo, pars etiam illa ex partibus conſtat, quarum vnaquæque ſuum poteſt habere temperamentum diuerſum à temperamento aliarum partium: & ideo nihil concludit. Reiectio etiam Brachelij facile reijcitur, nam ſic proxima pars afficit alteram, quippe cùm affecta intemperie aliena in alteram partem vicinam eam communicet,& ideo eam etiam dolore afficit,& ſic naturale patitur ab innaturali: nã pars

proxima

proxima intemperie præter naturam affecta eſt, & naturale temperamentum alterius immutando dolorem incutit,ut ea opinio non admodum diſtet à Galeni opinione: immo uerò ſi recte capiatur,Galeni eſt opinio: nam ſi ita intelligas,quòd pars proxima in alteram agat proprio & naturali temperamento, quod ab alterius temperamento diuerſum ſit, u. gr. carnes agant in neruos ſuo temperamẽto,quod calidum eſt, cùm frigidi ſint nerui, hoc falſum eſt; quia ſi hoc concedatur, perpetuus eſſet in nobis dolor, ſed ſi dicas partem prius affectam in partem propinquam intemperiem diſtribuere, hoc ueriſſimum eſt: at non eſt hoc diuerſum diuerſarum partium temperamentum, ſed unum atque idem diuerſimode partes immutans. Vtcumque ſit, hæc opinio rei naturæ magis eſt conſentanea, quàm altera, quæ ſtatuit intemperiem inæqualem eſſe miſtionem quandam temperamenti naturalis,& paternaturalis, cuius abſurditatem cùm antea oſtenderimus, reſtat, ut rationes pro ea adductas refutemus.

Ad primum itaque locum ex cap. 1. à quo elicit hanc ſententiam Fuchſius, dico eſſe eum ab hac ſententia alieniſſimum: ait enim Galenus intemperies inæquales ab æqualibus differre, quia in omnibus partibus corporis intemperanter affecti haud ſimiliter inſunt:quare non uideo, quomodo hinc elicias intemperiem inæqualem eiuſdem partis temperamentum eſſe, quod ex naturali affectu, & eo, qui præter naturam compoſitum eſt, niſi verba, & ſenſum extorqueas. Ad ea,quæ cap.7.ſcribuntur: ex quibus potiſſimum opinionem hanc ſuam elicit, & confirmat Fuchſius, in præſentia non reſpondeo, quia locus eſt obſcuriſſimus,& difficillimus,& ideo interpretatione indigens,quam opportuniore loco inferius producemus,eodemq; tempore oſtendemus nihil facere cum locum ad opinionem Fuchſij,uel potius Proſperi Calanij, à cuius paraphraſi non ſententias tantum, ſed ipſamet etiam verba Fuchſius ſumpſit:in præſentia ad alia trãſeamus. Ad locum ex 2. de Temperamentis fateor ab intemperie phlegmones naturale partium temperamentum inæqualiter mutari, ſed intemperiem præter naturam & naturale temperamẽtũ miſceri, conſtanter nego, cùm ante id nulla ratione poſſe fieri, demonſtratum ſit. Fateor etiam uerum eſſe, quod ait Galen.in cap.3.in corpore,uel parte inæquali intemperie laborante, non vnicam eſſe temperiem, ſed duas, aduentitiam,& naturalem: &

aduentitiam agere in naturalem, inæqualiter tamen, quia alibi intenſior, alibi remiſſior, & ideo alibi temperamentum partium naturale ualidius immutat, alibi languidius, ſed etiam ſi duo adſint temperamenta, non tamen ſimul miſcentur ad inæqualitatem conſtituendam, cùm hæc miſtio fieri non poſſit. Argumentum præterea ſumptum à dolore tantum abeſt, ut opinionē hāc comprobet, quod potius euertit: intēperies enim inæqualis ideo dolorem incutit, quod naturale temperamentum partium immutat corrumpit, & deſtruit, nō quia cum eo commiſceatur: nec ſi quando æqualis eſt reddita, vna eſt, ideo ſequitur, cùm inæqualis erat, ut eſſent duæ: nam ſemper vna eſt, ſed inæqualis tunc dicitur, cùm inæqualiter immutat temperamentum, æqualis cùm mutauit iam. Cùm verò dicebatur, intemperiem inæqualem ſortiri inæqualitatem à naturali partium temperamento, id concedo, ſed non ideo ſortitur, quod cum eo miſceatur, ſed quod ipſum immutat diſſimiliter & inæqualiter. Sed ad argumentum ſumptum ex primo Epid. ſi reſpondere uellem, omnia in mediū eſſent afferenda, quæ ſcripta ſunt à Galeno, & in illis comment. & in lib. de Diff. Febr. de febribus naturam tertianarum referentibus, & præſertim de ſemitertianis, ſed paucis aperiam argumentum id nihil aſtruere: concedo humorem illum eſſe inæqualem, & febrem etiam conſtituere inæqualem, febres enim illæ erant horrificæ, non quia ab initio tantum non inuaderent cum horrore, ſed quia etiam magnam partem incrementi horror occuparet, qua de cauſa incrementum dicitur inæquale à Galeno: nam modo horror, modo æſtus in eo ſe excipiunt: immo uerò & horror, & æſtus eodem tempore poſſunt infeſtare: at unde hæc inæqualitas? proculdubio ab humorum diuerſitate, ut uidebimus infra, cùm loquemur de hepialo: horror itaque oritur a frigidis & crudis humoribus, æſtus à putreſcentibus & calidis. Hæc quidem inæquale conſtituunt incrementum, dico tamen non eſſe hic inæqualem intemperiem commiſtam ex duabus contrarijs intemperiebus, ſed duas inæquales intemperies, quarum utraq; inæqualiter afficit corpus, vnde intemperies frigida horrorem inducens, inæqualis eſt intemperies, non quia miſceatur cum calida æſtum afferente, ſed quia inæqualiter corpus afficit, ſic & intemperies calida æſtum afferens inæqualis eſt, non quia cum frigida inæqualiter miſceatur, ſed quia inæqualiter partes exurit.

Horror unde Aestus

Hæc

Hæc ibi non declarat Galenus, quia quod pertinet ad inæqualem intemperiem, ad vnguem enodauit in eo libro tantùm, qui eo eſt titulo inſcriptus, rem autem ita ſeſe habere, ut dixi, patebit ex confutatione inſequentium argumentorum. Ad penultimum itaque reſpondeo, nullam fieri miſtionem caloris, & frigoris, ſed calorem ignis immutare intemperiem frigidam, qua tunc manus affecta eſt, & mutare inæqualiter, ideoque inducere dolorem: quod ſi facere debet, immoderatus ſit, oportet: nam ſi temperatus eſſet calor, dolorem non inferret, quare ſi ita frigore affecti manum in ſinu alicuius calido imponerent, aut linteis calidis in uoluerent, aut pellibus, aut aquæ calidæ inderent, aut ſenſim igni admouerent, nullum perciperent dolorē: ſic enim manus ſenſim ad ſtatum naturalem ſuum rediret. At dum repente igni manum admouent, & plus caloris concipiunt, quàm par ſit, dolorem perſentiunt, & eo maiorem dolorem, quod gemina adeſt cauſa. Nam & intemperies frigida immutans temperiem naturalem manus, dolorem facit: & calor etiam excedens immutans intemperiem frigidam, dolorem geminat: ſed ad obiectionem reſpondentes dicimus denuo, non componi hic intemperiem inæqualem ex intemperie calida & frigida, ſed calidam agere in frigidam, ſicuti frigida agit in temperamentum proprium manus, vnde & hic duæ ſunt proculdubio intemperies aduentitiæ inæquales, frigida & calida, quæ licèt agere uideantur in eandem partem, ut innuunt hic expoſitores recentiores, hoc tamen uerū non eſt, ut demonſtrauimus antea, ſed in diuerſas agunt partes: dico autem eas agere in diuerſas partes, ſi ambæ incutiant dolorem, & in manum ipſam agant, at ſi pugnant inter ſe, poſſunt vnam & eandem partem occupare, at non eodem tempore: altera enim agit in alteram, atque eam deſtruendo ſe ipſam introducit: altera patitur ab altera, & ad alterius introductionem recedit. Calor enim ignis agit in frigus contractum antea, & frigus patitur à calido. Ad ultimam etiam obiectionem reſpondeo, in hepialo & febribus omnibus, in quibus vno & eodem tempore vrget calor & frigus, nō componi ullam intemperiem inæqualem ex duobus contrarijs, ſed duas adeſſe inæquales intēperies. Atque hæc in præſentia ſumantur pro ueris: nam in diſcutiendis repugnantijs, quæ uidentur eſſe in hac materia apud Galenum, hoc luce clarius ita ſe habere demonſtrabo.

Arist. probl. sect. 5. quest. 15
Gal. 4. simplic. cap. 2
bidus bidus de curat. gene:
ratim lib. 17. cap. 2. pag. 485
Theodorus Angelutius
de arte medica pag. 62
b.

Quomodo fiat inæqualis intemperies. Cap. XXVIII.

CONCLVDAMVS igitur intemperiem inæqualem dici, quia inæqualiter corpus afficit: atque hinc habetur, quid ſit inæqualis intemperies. Reſtat ut uideamus, quomodo fiat: nã hæc duo nouiſſe ſatis erit inſtituto noſtro. Ac quamuis ex iam explicatis facile ſit dignoſcere, quomodo fiat: ut tamen res hæc difficilis ſatis, & obſcura facilis, & euidens reddatur, id docebimus. Sciendum eſt ſexdecim omnes intemperies præter naturam fieri intemperies inæquales: unam proponamus, & uideamus modum, quo fit inæqualis. Et cùm intemperies hæ poſſint totum corpus corripere, & partem aliquam, agamus de ea, quæ partem occupat, & ſit phlegmone. Si confluat ſanguis feruidus ad aliquem mãſculum, replebit primo maiores uenas, deinde minores, & tandem minimas quaſque. Hæ vbi repletæ erunt omnes, influentem adhuc ſanguinem capere & continere non poterunt: erumpet igitur per uenarum oſcilla, & per tunicas transfluet ea in ſpacia, quæ inter partes ſimilares ſunt interpoſita, eaque replebit: atque hæc erit phlegmone, hoc eſt intemperies calida atque humida cũ ſanguinis affluxu, & inæqualis erit, quia cùm mãſculi temperamentum immutet, eique dolorem inferat, non eodem modo id facit in qualibet parte, quoniam aliæ plus, aliæ minus, & immutãtur, & dolore afficiuntur. Tunicæ uenarum, arteriarumque magis incaleſcunt reliquis partibus, tum quia intra ſe continent ſanguinem feruidũ: tum quia qui effuſus eſt in ſpacia muſculi, ipſis circumfluit, & non ſolum calefaciendo plus nimio, ſed cõprimẽdo etiam dolorem infert: poſt tunicas uenarum, & arteriarum magis afficiunt, quæ magis eis ſunt uicina, & quæ aptiora ſunt ad patiendum, ac ſentiendum, tales autem ſunt carnes, nerui, tendines, membranæ. Hoc modo fit inæqualis intemperies calida & humida cum affluxu ſubſtantiæ, ex quo modus colligi poteſt, quo fiunt quindecim reliquæ intemperies inæquales. Exiſtat hic dubitatio non contemnenda ex ante conſtitutis: conſtitutũ eſt autem, morbum eſſe diſpoſitionem: diſpoſitionem uerò eſſe rem factam, quæ terminus ſit paſſionis, & alterationis. At ex his conſtat intemperiem inæqualem diſpoſitionem non eſſe, & ideo morbum eſſe non poſſe: res enim facta non eſt, ſed fiens, ut deter

minatum

minatum eſt. Dicendum eſt intemperiem inæqualem omnino eſſe diſpoſitionem, quia iam facta eſt, & lædit, & dolorem infert, nondum tamen confirmata, & conſtabilita, quia tunc eſt æqualis intemperies: & id diſcriminis eſt inter inæqualem, & æqualem intemperiem, quod eſt inter diſpoſitionem, & habitum: inſtabis iterum, inæqualis intemperies eſt in motu, & in fieri, ergo alteratio, & non diſpoſitio, ſi uera ſunt quæ deduxiſti in primo lib. ex Ariſt. & Galen. reſponderi poteſt ex Arte Medica cap. 88. has intemperies partim eſſe factas, partim fieri, & augeri, quod idem colligitur ex 4. Method. cap. 3. & 4. & multis alijs locis, unde inæqualis intẽperies partim erit facta partim fiẽs, æqualis facta tãtũ.

Differentia inter aequalē et inaequalem intemperie

Quænam ſint inæquales intemperies, & an omnes morbi ſint. Cap. XXIX.

EX libro de inæquali intemperie, & præſertim ex capitu. 1. conſtat omnes intemperies, tam ſimplices, quàm compoſitas, tam ſine affluxu, quàm cum affluxu, cùm fiunt, & in motu adhuc ſunt, inæquales eſſe, quia corpus inæqualiter afficiant: cùm uerò factæ, & confirmatæ ſunt, æquales, quia æqualiter corpus afficiant, aut rectius, quia his æqualiter corpus affectum eſt. Sed quæri poteſt an hæ intemperies ſemper ſint morbi, nam quod ut plurimũ morbi ſint, planum eſt: ſi itaque febres omnes præter heticam ſunt inæquales intemperies, ſi inflammatio, & tandem tumor omnis inæqualis eſt intemperies, ſi præterea omnes dolorem afferunt uidentur omnes eſſe morbi: nã cùm dolor actio ſit deprauata, cauſa doloris morbus ſit, neceſſe eſt: contra tamen uidetur aſſerendum eſſe poſſe inæqualem intemperiem, quæ morbus nõ ſit: nam & in his ſua debet eſſe latitudo: experimur ſæpe, cùm occurrimus aeri frigido oculos, auriculas, naſum, & manus dolore affici: ſic cùm ad ignem accedimus, & præſertim cùm manus gelidas ei admouemus, ut antea eſt uiſum, adeſt quidem tunc intẽperies aduentitia, quæ immutat partium temperamentum, & ideo inæqualis eſt intẽperies, nõ tamen eſt morbus: & quod morbus non ſit, inde etiã colligi poteſt, quod nondũ lædat actiones: rigores etiam ſine febre inæquales ſunt intemperies, ut aſſerit

Galen.

Galen. cap. vlt. quos tamen morbos haud eſſe dixeris, niſi actiones lædant. Sed & Galen. cap. 7. auget ambiguitatem, uidetur enim aſſerere nullam intemperiem inæqualem eſſe morbum, atq; hic eſt locus ille, quem hucuſque reiecimus, cùm adducebamus teſtimonia Galeni ad confirmandam Fuchſij opinionem, quod inæqualis intemperies componatur ex intemperie præter natu-
„ ram, & temperie naturali. Porrò, inquit, terminus mutationis
„ cuiuſque particulæ eſt functionis illius læſio, ad quem vſque ter-
„ minum omnis alterationis latitudo uia eſt in id, quod præter na
„ turam eſt, ueluti miſtum, communeque ac medium quiddam ex
„ contrarijs vtriſque compoſitum, ipſo naturali prorſus affectu, &
„ eo, qui iam plane eſt præter naturam. Dixerat antea, dum in inflammationibus caleſcit ſanguis, incaleſcere etiam partes ſolidas, non mutare tamen eas ſtatim temperamentum ſuum, ſed ſi longo tempore id patiantur, mutare temperamentũm, ita ut nõ amplius calefiant, ſed calefactæ iam ſint: at in verbis nunc adductis docet, quando id euenerit, cùm dicat terminum huius alterationis eſſe, cùm læditur actio particularum. Ex his ego deduco inæqualem intemperiem morbum non eſſe: nam ſi cùm alteratæ ſunt partes, & iam facta eſt æqualis intemperies, læditur earum actio, & non antea, ſequitur alterationem illam factam tantummodo eſſe morbum: nam dum fit alteratio, id eſt, dum eſt inæqualis intemperies, non læditur actio, quare inæqualis intemperies morbus non eſt. Dum alteratio fit, non lædi actionem, inde patet, quòd læſionem actionis ſtatuerit terminum alterationis factæ, abſolutæque. Confirmatur hoc ex ijs, quæ ſequuntur, cum dicat, hanc latitudinem, quæ incipit uidelicet à principio alterationis, & progreditur vſque ad alteratione͞ abſolutam, eſſe uiam ad id, quod præter naturam eſt: ſi hæc latitudo eſt uia ad id, quod præter naturam eſt, præter naturam non eſt: cùm igitur hæc latitudo contineat inæqualem intemperiem, ſequitur inæqualem intemperiem non eſſe præter naturam: ſi præter naturam non eſt, nullo pacto morbus eſt. Erit igitur hæc latitudo, ideſt tempus, quo partes laborãt inæquali intemperie, ueluti quoddam commune, & miſtum ex duobus contrarijs affectibus, altero naturali, altero præter naturam: ex quibus uerbis ſtatuit Fuchſius intemperiem inæqualem compoſitam eſſe ex te͞perie naturali, & præter naturam, ut ante uidimus, cuius opinio-

nis

nis hoc erat præcipuum fundamẽtum, ſi hoc modo exponamus eum locum, ſicuti etiam Fuchſius exponit: quanquam difficile ſit uidere quomodo exponat Fuchſius, cùm eiſdem ferè verbis utatur, quibus utitur Galen. quod ſolet facere, cùm ſententias non percipit: cum tamen ex uerbis his confirmet opinionem ſuam, eo modo exponat neceſſe eſt, quo diximus: ſed ſi hoc modo exponamus, ſequitur id abſurdi, gullam intemperiem ſiue ſimplicem, ſiue compoſitam, ſiue cum influxu, ſiue ſine influxu, ſiue totũ corripiat corpus, ſiue partem aliquam eſſe morbum, niſi cùm facta, abſoluta, & confirmata ſit: unde nulla febris erit morbus, niſi hetica, nulla inflammatio niſi quæ ad ſphacelum deuenerit: & ſanè facile eſt uidere quomodo id abſurdum ſequatur: nam ſi dum fit alteratio, actio non læditur, ſi latitudo illa præter naturã non eſt, ergo nec morbus eſt: at in febribus putridis, ephemeris, & inflammationibus fit adhuc alteratio, & nondum facta eſt, ergo febres hæ, & inflammationes morbi non ſunt. Hoc cùm ſit cõtra authoritatem medicorum omnium, contra rationem, & ſenſum, & ex eo modo exponendi oriatur, ut hanc abſurditatem euitemus, alio modo eſt exponendum. Brachelius oculatior Fuchſio vidit hunc ſcopulum, & declinare enixus eſt, interpretando læſionem actionum pro internecione: & ſanè ingenioſa eſt declinatio: nam intemperiei factæ & æquali iam, uerus terminus eſt extinctio & corruptio actionum: ſed extorta eſt & contra cõſuetudinem loquendi Galeni ipſius, & contra ſenſum uerborum ſequentium: immo ſi ſic exponas, obiectio hæc magis confirmatur, nam latitudinem vſq; ad hunc terminum uiam ait eſſe ad id, quod præter naturam eſt: latitudo igitur vſque ad actionum internecionem non erit præter naturam, quare nec morbus, vnde in maiorem incidemus difficultatem, & hoc pacto nec intemperies lædens actiones erit præter naturam. Hanc expoſitionem ſumpſit Brachelius ab Arnaldo Villanouano, ſed cùm augeat incommoda & abſurda, explodenda eſt. Dico igitur Galen. his uerbis indicare terminum alterationis, quæ adhuc fit, nõ quæ facta eſt, & hunc terminum eſſe actionis læſionem: cùm enim uarijs modis poſſit alterari corpus, illa alteratio nõ eſt morbus ſemper, ſed tunc dumtaxat, cùm actio læditur: unde docet hic, quod multis aliis in locis docuit, & præſertim in lib. de Conſtit. Ar. cap. 10. his verbis. Porrò ſalubris conſtitutio corporis actio-,,

nes

,, nes ſibi ex natura debitas inoffenſas habet: morboſa offenſas, &
,, proinde ſi quis ſanus quidē ſit, altero tamen, qui itidem proſpe-
,, ra fruatur valetudine, actiones habeat imbecilliores, erit ſanè is il
,, lo intemperatior, nec dum tamen ægrotat. His cōſtitutis, ſi quis aliqua afficiatur intemperie, ea nunquam morbus erit, niſi cùm lædet actiones: quid verò ſit hæc intemperies, antequam lædat actiones, declarat Galen. uerbis ſtatim ſubſequentibus, perperam & ipſis antea expoſitis, cùm adducta ſunt ad ſtabiliēdam opinionem Fuchſij: ait enim totam illam latitudinem, quæ eſt à principio intemperiei huius, vſque ad hunc terminum lædendi actiones, eſſe viam, uel aſcenſum in id, quod præter naturam eſt: quod veriſſimum eſt: ſi enim actiones non lædit, nondum præter naturam eſt: unde quod ſequitur etiam veriſſimum eſt, hanc latitudinem ab incipiente intemperie uſque ad actionum læſionem eſſe diſpoſitionem quandam miſtam ex duabus contrarijs diſpoſitionibus naturali ſcilicet, & præternaturali: quare nihil aliud eſt, quàm neutra diſpoſitio. Hinc apparet quantum hallucinetur Fuchſius, qui uoluit his uerbis explicari eſſentiam inæqualis intemperiei, quia ſi eam explicaret nunc, ſequerentur abſurda iam dicta, inæqualem intemperiem, febrem putridam, inflammationem, quæ fit, & tandem omnes alios morbos, dum fiunt, non eſſe morbos. Vbi expoſuit Galen. quid ſit latitudo illa intemperiei inæqualis uſque ad actionum læſionem explicat deinde quid efficiat poſt actionum læſionem, uſquequo abſoluitur, cōfirmatur,
,, atque in habitum tranſit his uerbis. Ergo toto hoc tempore cor-
,, pus incaleſcens pro modo alterationis etiam ad portionem ſen-
,, tit dolorem. Inæqualis hæc intemperies calida, ubi primùm lædere cœpit actiones, dolorem infert maiorem uel minorem ad alterationis proportionem: magna enim alteratio magnum, parua paruum dolorem affert. ſubdit deinde, quid eueniat, cùm alteratio abſoluta, & confirmata eſt, ac inæqualis intemperies facta eſt æqualis, quod ex ſe planum, & apertum eſt, & à me ante ſæpe declaratum. Hanc mea expoſitione deſcribuntur tria tempora intemperiei; primùm eſt latitudo à principio intemperiei uſque ad actionum læſionē, quæ potius eſt natura diſpoſitio media inter affectum naturalem, & præter naturam, quàm morbus, atque hanc poſſumus cum Galeno in fine eius capitis uocare inæqualitatem ſine dolore: ſecundum eſt latitudo ab actionum læſione

uſque

vſque ad earum ſublationem, qui morbus eſt: tertium eſt à deſtructione actionum, quo intẽperies ante inæqualis reddita eſt æqualis;& hectica. Quare ex hoc loco, qui adeo obſcurus apparebat,& difficilis, præclaram determinationem principalis quæſtionis habemus: has omnes inæquales intemperies morbos eſſe. Nam primum tempus non complectitur inæqualem intemperiem, cùm intemperies illa doloris ſit expers. Secundum verò tempus ſolum inæqualem complectitur intemperiem, at ſecũdũ tempus actionem lædit, ergo intemperies illa morbus eſt. Dices, Galen. eodem in lib. cap. 10. aſſerit ſi manum ualde refrigeratam igni admoueas, excitari dolorem, eamq; eſſe intemperiem inæqualem: at hæc morbus non eſt, cùm diſpoſitio non ſit, nec actiones lædat, non eſt ergo omnis intemperies inæqualis morbus. Reſpondeo & tunc lædi actionem, ſed quia cito tollitur, non uidetur eſſe diſpoſitio præter naturam: ex primo tamẽ de Loc. aff. cap. 2. hos etiam leues affectus & cito pertranſeuntes, inter morbos reponit Galen. vnde poſt multa horum affectuum exempla addit. Sic etiam affici aliquem dicimus, cùm aliquid extrinſecus ,, incidit, uel calfaciens ut ignis, uel refrigerans vt nix, uel contundens ut lapis, quo ſeparato protinus finitus fuerit affectus, nemine propter hoc dicente, partem non fuiſſe affectam, quòd in ipſa ,, nulla ſit relicta diſpoſitio. Sed de his iterum affectibus ſermonem habebimus. Poſſumus itaque tria tempora harum intemperaturarum ita diſtinguere, ſi latitudinem uſque ad actionum læſionem uocemus non ſolum diſpoſitionem neutram, ſed inæqualitatem indolentem: ſecundum tempus incipiens ab actionum læſione, intemperiem inæqualem: tertium incipiens à deſtructione actionum intemperiem æqualem. Hinc etiam poſſumus reſpondere ad rationem Fuchſij, qua ex hoc loco fulciebat opinionem ſuam, intemperiem inæqualem miſtam eſſe ex duobus temperamentis altero naturali, altero præter naturam, uidimus enim non poſſe ex uerbis Galeni ullo pacto colligi eam miſtionem, ſed explicari affectum quendam medium inter naturalem,& præternaturalem, quæ eſt neutra diſpoſitio, uel inæqualitas indolens, quæ cùm a dolore ſit libera, patet eam intemperiem inæqualem non eſſe, quæ ſemper dolorem parit. Quare hæc ſit reſponſio ad eum locum, quam hucuſque diſtulimus propter loci difficultatem.

Repugnantiæ

Repugnantiæ in Galeno dum inæqualem intemperiem explicat, et conciliatio. Cap. XXX.

VISVM eſt unamquamque ex ſexdecim intemperaturis, de quibus agimus iam diu, per ſe ſolam eſſe poſſe morbum ex inæquali intemperie: atqui Galen. in alijs libris ſemper inæqualitatem intemperiei ex duabus contrarijs intemperaturis conſtitui, aſſeuerat. Non longe abieris, locus ille ante adductus ex lib. de Cauſ. Morb. cap. 6. pg. 8. B hoc manifeſte indicat: ait enim. Accidit, licèt fieri non poſſe videatur, ut idem corpus ſimul & calidius & frigidius, aut ſimul & humidius & ſiccius, quàm pro naturali habitu, reddatur, uocatur autem hæc intemperies inæqualis. Vidimus ante non poſſe duo contraria eſſe in unica particula, ſed cùm pars quædam contrarijs duobus afficitur, id in diuerſis eius euenire particulis: cùm igitur pars quæpiam duabus contrarijs qualitatibus afficitur, illa inæqualis dicitur intemperies, quales eſſe dictum fuit hepialum febrem, lipyriam, & eiuſmodi alios morbos, vnde hæc inæqualitas eſſe poteſt & in toto corpore, & in qualibet parte: in toto corpore pro partium diuerſitate, vt apparet ex 6. de Tuend. Valetud. cap. 1. vnde ſi cerebrum laboret calida intemperie, ſi ventriculus frigida, dicetur homo ille eſſe affectus inæquali intemperie: poteſt quamlibet etiam partem occupare inæqualis intemperies, vnde ſi quis habeat os ventriculi frigidum, & fundum calidum, dicetur habere ventriculum inæquali affectum intemperie: patet hoc ex Gale. 2. præſag. ex pulſ. cap. 7. vbi inter cæteras cauſas inæqualitatis pulſuum refert inæqualitatem intemperiei cordis, quam inæqualitatem eſſe ait, cùm aliæ partes cordis calida intemperie, aliæ frigida laborant: at nonne & in hoc libro de Inæqual. Intemp. capit. 8. hepialum, lipyriam, quaſdam febres ardentes malignas, in quibus exteriora frigent, interiora vruntur, inæquales ait eſſe intemperies? primo etiam de Temperam. cap. 4. Autumni temperiem inæqualem eſſe ait, cùm in autumno aliæ partes diei calidæ, aliæ frigidæ ſint: quare ſi neceſſarius eſt concurſus duarum qualitatum contrariarum ad gignendam inæqualem intemperiem, ſequitur falſum eſſe, quod hactenus ſtatutum fuit, unamquamque intemperiem ſolam per

ſe eſſe inæqualem. Cum tamen proprium ſit inæqualis intemperiei non eodem modo afficere corpus,& moleſtiam ac dolorē inferre,& cùm ſuperat temperiem natiuam, æqualem euadere: & unaquæq;ex ſexdecim intemperaturis per ſe inæqualiter poſſit corpus afficere, & afficiendo dolorem inferre, & poſt uictoriam æqualis fieri:dubium non eſt, vnāquāq; per ſe eſſe inæqualem intemperiem, cùm dolorem affert, & moleſtiam:at in hepialo, & reliquis,in quibus duo urgent contraria,non ita eſt. Reſpondeo in hepialo non vnam tantum eſſe inæqualem intemperiem, ſed duas,calidam,& frigidam, quarum utraque inæqualiter corpus afficit,& dolorem concitat, ita ſtatuente Galen: in calce ferè lib. de Inæq Intemp.ſic enim ait interpretante Fuchſio. Porrò hepia „ lus componitur ex hac intemperie,& ea,quæ eſt febricitantium. „ Ex intemperie,inquit,quæ rigorem commouet,quæ frigida eſt, & ex febrili,quæ calida eſt,componitur hepialus,ſed cū vnaquæque per ſe ſit inæqualis intemperies, ſequitur hepialū ex duabus inæqualibus intemperaturis eſſe compoſitum,quod palam concludit Galen.his verbis.Proinde ex duplici inæquali intemperie „ hepialus componitur.Res quidem apertiſſima eſt, & citra ullam „ controuerſiam. Sed uerba ſtatim ſequentia magnum inijciunt ſcrupulum:& ſunt hæc. Et reliquæ propemodum febres omnes „ præter hecticas nominatas. Innunt hæc uerba non hepialum „ tantum,ſed alias quoque ferè omnes febres præter hecticam cōſtare ex duplici inæquali intemperie: vnde & Fuchſius ſic exponit. Non autem hepialus tantum, ſed & omnes ferè aliæ febres „ præter hecticas ex duplici inæquali intemperie componūtur,fri „ gore nimirum,quod præcedit, & calore, qui ſequitur. At cùm „ uideret Fuchſius in his non eſſe duplicem inæqualem intemperiem,ſicut in hepialis ;quia in hepialo adeſt utraque eodem tempore,in his diuerſo tempore: rigori enim ſuccedit febris, ut rectius quadraret exemplum hepialo, ſubdit. Aut certe intelli- „ gendum erit de ipſa acceſſionis intermittentium febrium inua- „ ſione,in qua intus & in uiſceribus, ut dictum eſt, calorem ſen- „ tiunt, in cæteris verò partibus uniuerſis frigus. At licèt exem- „ plum hoc magis quadret hepialo,eſt tamen & in hoc ab hepialo differentia quædam,quam ſubdit. Liquet igitur inæqualem in- „ temperiem in hepiala febre totum corpus occupare, quando à „ duplici intemperie calida, & frigida eodem tempore & loco tē- „ tatur.

tatur. In alijs uerò febribus non uno, ſed diuerſis locis calor & frigus ſentitur. En quomodo & hic ſentiat Fuchſius, duo contraria eundem locum poſſe & eodem tempore occupare, quod iam confutauimus, nec pertinet ad hunc locum. Ego ſane probare non poſſum expoſitionem hanc: nam cùm Galen. dicat, febres propemodum omnes eſſe compoſitas ex duplici inæquali intemperie, perinde atque hepialum, ex hac expoſitione Fuchſij excluduntur continuæ, & ſynochi, & quæ ex inflammationibus oriuntur, quæ ſunt frequentiſſimæ. Vidit & Brachelius difficultatem hanc, & duas attulit expoſitiones, alteram de febribus, in quibus calor frigori ſuccedit, quam iam repudiauimus: alteram, ut intelligamus non ſolum de calida intemperie, ſed de ſicca et, quia febris omnis eſt intemperies calida & ſicca, at ſi ſic exponamus, complectemur etiam hecticas, cùm & ipſæ calidæ ſint, & ſiccæ, quas Galen. excludit. Præterea uidimus ante hanc intemperiem eſſe compoſitam, non inæqualem. Arnaldus Villanouanus cùm in ſuo codice haberet, & ſimiliter eſt diſpoſitio in febribus reliquis &c. retulit illud ſimiliter non ad ſtatim præcedentia, ſed ad ſuperius dicta, ſic exponens, & ſimiliter in omnibus alijs febribus ab hepiala præter hecticā eſt mala complexio diuerſa: at hæc interpretatio aliena eſt a Galeni uerbis: quæ aperte indicant reliquas omnes febres ferè præter hecticas duas complecti intemperies inæquales. Puto igitur uerba ea non eſſe coniungenda cum antecedentibus, ſed cum ſubſequentibus, ut ſit ſenſus, reliquas ferè omnes febres præter hecticā, & pariter morbos partiũ cum tumore aliquo eſſe inæqualem intemperiem, ueluti phlegmone eſt. Senſus magis uerus mouet me, ut ita credam, & aduerſatiua illa [δὲ] quam interpretes omittunt: in Græco tamen eſt codice: ait enim καὶ οἱ λοιποὶ δὲ πυρετοὶ: Quare hæc verba ſeiungenda ſunt a præcedentibus, & annectenda ſtatim ſequentibus hoc pacto. Proinde ex duplici inæquali intemperie hepialus componitur. Reliquæ uerò febres propemodum omnes, præter hecticas nominatas, ſimiliter & qui particulæ alicuius cum tumore morbi ſunt, ij quoque omnes &c. Et ſic repetit quod dixerat ſtatim ab initio. Inæqualis intemperies fit in febribus ijs, quas hepialas uocant, ferèque reliquis omnibus exceptis, quas hecticas uocant: Hic tamen ſtatuit differentiam inter hepialum & cæteras febres, quod in illo duplex ſit intemperies inæqualis,

in reliquis febribus vna tantum,ſicuti etiã in tumoribus præter naturam. Sed redeuntes ad inſtitutam difficultatẽ dicimus,cum corpus duabus contrarijs afficitur intemperaturis, tunc duplici inæquali intẽperie eſſe affectum:& vtranque corpus inæqualiter afficere,& utranque dolorem & moleſtiam inuehere.Et hinc tol litur omnis controuerſia in Galeni dogmatibus. Quod ſi in alijs locis non ita ad tenue diſtinxit omnia,ideo factum eſt,quia ſolet hac diligentia uti Galen.ibi tantùm,vbi ex propoſito agit, ſicuti egit in libello de Inæq.Intemp.Hæc quidem ſolutio propoſitam tollit difficultatem,ſed aliam adducit.In alia enim ſolutione tradita ad difficultatem de duabus intemperaturis contrarijs ſimul infeſtantibus,diximus non appellari illam compoſitam intempe riem,ſed inæqualem: at nunc dictum eſt hepialum eſſe compoſi tam ex inæqualibus intemperaturis,ergo datur intemperies cõpoſita ex duabus contrarijs qualitatibus: ergo morbi ex intemperie ſunt plures,quàm ſexdecim. Ad hoc reſpondeo intemperies uere compoſitas conſtare ex duabus qualitatibus, quæ actu ſimul recipiuntur in eodem ſubiecto,& in eodẽ tẽpore,velu ti calida & humida,calida,& ſicca,frigida & humida,frigida & ſic ca: ſed ex duabus contrarijs actu exiſtentibus non poteſt fieri hæc compoſitio: non enim poſſunt ſimul idem inuadere ſubiectum,& tempore eodem. Quare etiam ſi dicat Galen.hepialum eſſe compoſitam ex inæqualibus intẽperaturis,hæc non eſt uera & propria cõpoſitio,aut ſaltem nõ eſt eo modo,& in eum ſensũ, quo quatuor iam dictæ compoſitæ ſunt. At quid dicendum ad locum adductum ex 6.de Tuen.Valetud.Dico, ſi cerebrum labo ret intemperie calida,& uentriculus frigida,quod utrumque ſeparatim dicetur laborare inæquali intemperie: totum verò corpus duplici intemperie inæquali laborabit, cum in cerebro calidam habeat intemperiem,in uentriculo frigidam: ſic ſi os uentriculi frigidum,ſundus calidus ſit,dicemus os intemperie frigida inæquali laborare,fundum intemperie calida inæquali, totũ verò ventriculum duplici intemperie inæquali altera frigida, altera calida eſſe affectum: ſed ſi quis uelit & tunc inæqualitatem ex contrarijs conſtitui,non repugnat naturæ rerum:ſicuti enim dicimus uiam inæqualem,quia partes alias habet extantes, alias cauas, ſic uentriculum inæquali intemperie laborare dicimus, quia alibi frigidus,alibi calidus: ſic & totum corpus dicetur inæ-

quali affectum eſſe intemperie, cùm cerebrum ſit calidum, uentriculus frigidus, ut in 6. de Tuen. Vale. at in lib. de inæq. Intemp. inæqualitatem hanc aſcribit uni ſoli intemperiei, quia non de ſtatibus corporum, ſed de natura intemperiei loquebatur: & in hoc libello intemperies inæqualis, præterquam quòd unica eſt, dolorem facit, & morbus eſt: in aliis uerò libris intemperies illæ non inferunt neceſſariò dolorem, nec morbi ſunt.

An œdema ſit inæqualis intemperies. *Cap. XXXI.*

GALENVS in primo & vltimo cap. libelli de Inæqu. Intempe. enumerat inter reliquas intemperies inæquales œdema, quia cùm ſit intemperies frigida atque humida cum pituitæ influxu, inæqualiter refrigerat & humectat partes affectas: at cùm paſſim prædicet, & potiſſimum in cap. 10. idemque 2. de Sympt. Cau. capit. 5. intemperiem inæqualem dolorem afferre, uidetur aſſerendum, œdema intemperiem inæqualem eſſe non poſſe, nam 14. Metho. cap. 4. 2. ad Glauc. capit. 3. & 6. Epidem. ſec. 1. commen. 1. vult. œdema eſſe tumorem laxum, & doloris expertem, ſi doloris expers, ergo inæqualis non eſt intemperies. Præterea intemperiem etiam humidam inæqualem eſſe teſtatur, hæc tamen intemperies dolorem non affert: ut ſcribit 2. de Med. Loc. cap. 1. & 1. de Sympto. Cau. capit. 6. ſi dolorem non affert, ſequitur eam inæqualem intemperiem eſſe non poſſe. Quod ſi eam quoque dolorem afferre dixerit, ut uidetur innuere cap. 4. eius libelli, ſibi apertiſſime repugnat, quare quidquid dixeris repugnantem ſibi ipſi Galenum reddes. Præterea cùm ſcirrhus ſit intemperies cum affluxu, intemperies eſt inæqualis, uerum ſi exquiſitus dolore caret, quomodo poteſt intemperies eſſe inæqualis? cùm ſcribat Gale. eo 2. de med. Loc. intemperies, quæ ſui natura dolorem non inferunt, ſi ſint cum affluxu materiæ dolorem inferre poſſe ob extenſionē partium excitatam à multitudine. Ad obiectionem de œdemate dicere poſſemus, ratione humiditatis nullum excitari dolorem, pituitam tamen illam ſua multitudine extendendo dolorem parere: at ſolutio hæc nihil eſt, propterea quia Galen. aperte pronunciat œdema tumorem eſſe ſine dolore, quare nec ab intēperie, nec ab extēſione dolor in eo excitatur: & licèt concedatur

hoc

hoc ſoluere difficultatem œdematis, reſtat nodus humidæ intẽperiei, qui ſanè eſt quàm difficilimus: dicendum tamen eſt, ſicuti in omni actione, & paſſione requiritur agens & patiens accommodatum, ita etiam in dolore: unde cùm duæ ſint cauſæ doloris alteratio, & unionis ſolutio, ſi agens & paſſum non ſint accommodata, dolor non excitabitur, quare ſi ſoluatur unio in oſſe, in cerebro, in ligamentis, non excitabitur dolor, quia paſſum ineptum eſt ad dolorem percipiendum: alteratio ſubito & confertim facta eſt cauſa doloris, atque hæc alteratio eſt intẽperies inæqualis: ſed ſi fiat in oſſe, in cerebro, in ligamento dolorem nõ infert, quia ſubiectum aptum non eſt, ſic pariter, ſi fiat ab agente inepto, non orietur dolor, ueluti ab humida intemperie, veluti a frigida & humida cum pituitæ influxu: quare cùm Galen. ait in eo libello ab intemperie inæquali excitari dolorẽ, ſupponit quæ alibi docuit, cauſam eſſe eiuſmodi, quæ poſſit dolorem, excitare, & patrem læſam etiam eſſe eiuſmodi, quæ poſſit dolorem percipere, & ideo in eo libello ſemper ferè mentionem facit de intemperie calida & frigida: nam ſunt efficaciſſimæ ad dolorem concitandum. Cùm itaque dicitur intemperiem inæqualem inferre dolorem, capiendum eſt non de omni, ſed de iis tantum, quæ eũ concitare poſſunt: quodque ita ſenſerit, inde etiam coniicitur, quod non ſemper affirmat has intemperies inæquales dolorem inuehere, ſed pro dolore interdum moleſtiam ab eis ait inuehi: & ſanè febres omnes putridæ cùm ſint intẽperies inæquales plerunque moleſtiam potius maximam, quàm dolorem inducunt: vnde c. 8. reliquarum, inquit, febrium præter hecticas nulla eſt, „ quæ non ſentiatur, ſed aliæ magis, aliæ minus ægrotãtibus ſunt „ moleſtæ: cùm & 2. de Sympt. Cauſ. cap. 4. ab intemperie frigida excitari tuſſim ait, quam etiam intemperiem inæqualem vocat, credendum eſt frigus illud partibus ſpiritalibus moleſtiã inferre potius, quàm dolorẽ, vnde tuſſis excitatur, quæ cohibito diu anhelitu ſedatur, cùm ſpiritus ille detentus calefaciendo intemperiem illam ſummoueat: quare & hac etiam via poterimus ſatis facere difficultati, aſſerentes œdema & intemperiem humidã & ſi doloris non ſint origo, eſſe tamen moleſtiæ: de ſcirrho exquiſito dicendum non eſſe intemperiem inæqualem, ſed æqualem, ideoq; carere dolore. Hæc de inæquali intẽperie, ad quam examinandam impulit nos dubitatio illa de duabus contrariis

qualitatibus ſimul infeſtantibus, quæ uidebantur augere nume-
rum morborum ex intemperie. Sed cùm reiecta ſit illa ſuſpicio;
& iam exploſæ ſententiæ tam eorum, qui imminuebant horum
morborum numerum, quàm eorũ, qui augebant, diſcutiendum
reſtat, an in his morbis ſuperſit aliqua alia difficultas.

An morbi ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ ſint ſoli tumores præter naturam. Cap. XXXII.

GALENVS morbos cum affluxu ſubſtantiæ tam ex ſimplici, quàm compoſita intemperie ſtatuit eſſe tumores præter naturam: cùm enim capitu. 5. de Diff. morbor. duos modos morbi ex intemperie deſcripſiſſet, alterum in nudis qualitatibus, alterum in qualitatibus cum affluxu ſubſtantiæ, ſecundum modum tumores ait excitare, quare hæ intemperies tumores ſunt. Verba eius ſunt
" hæc. Hic ſecundus modus tumorem in corpore excitat, qui
" nullum medicorum latere poteſt: etenim eryſipelata, phlegmo-
" ne, œdemata, phymata, phygethla, ſtrumæ, elephantiaſis, pſora,
" lepra, uitiligines, tumores duri huius ſunt generis, & facile de-
" prehendũtur. Et in eodem cap. explicatis morbis ex intemperie calida ſola, ſubdit, quòd ſi ex alicuius humoris influxu magnus quidam tumor partibus adiectus ſit, erit ex ſecunda morborum differentia. Præterea ex hoc loco ex ſe patet morbos ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ eſſe tumores præter naturam: & id etiam ſolos tumores præter naturam eſſe morbos ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ, cùm afferat eos eſſe euidentes, & neminem latere poſſe: euidentia enim hæc à tumore oritur, & contra, intemperies nudæ non ita facile deprehenduntur, quia tumore carent. Præterea in lib. de Cauſ. morbor. cap. 6. quærens cauſas morborum ex intemperie cum affluxu, tumorum præter naturã tantùm cauſam explicat: ex quo innuit ſolos tumores præter naturam eſſe morbos ex intemperie cum materia: vnde & alibi paſſim cùm mentionem facit intemperiei ſine fluxione, & cum fluxione, per hanc ſecundam tumores intelligit. Non longe abieris, in 4. de præſag. ex pulſ. c. 2. cùm diſtinctionem hanc adhibuiſſet, cap. 3. proſecuturus alterationes in pulſibus factas ab intemperie

perie cum fluxione affert in medium tumores præter naturam. Idem in cap. 4. & ſequentibus. Verum in hoc mancus videtur Galen. cùm enim humores influant ad particulas ſimilares, easq; intemperatas reddant, multis alijs modis, quàm excitando tumores, eos omnes prætermiſit. Non prætermiſit autem Auicennas, quamuis enim ſecunda primi doc. 1. ca. 2. paucis egerit de omnibus ex intemperie, uel mala complexione morbis, hoc tantum aſſerens, quod ſexdecim ſint, hoc ideo fecit, quia in cap. de complexione de his tractauerat latius. Ibi igitur & prima cantic. tract. 2. ſec. 160. cùm materia, inquit, ad aliquam partem fluit, ,,
aut extimam ſuperficiem tantum irrigat, aut intro penetrat: ſi in- ,,
tro penetrat, aut tumores excitat, qualis eſt inflammatio, eriſype ,,
las, œdema, & conſimiles: aut nullum excitat tumorem, veluti in ,,
paralyſi: in hac enim nerui humoribus imbuuntur, nullum elati ,,
in tumorem: ac quàm neceſſariæ fuerint hæ Auicennæ diſtinctiones, demonſtrat natura rei, & Galen. ipſemet alijs in locis: 7. enim Metho. cap. 11. materiam ad uentriculum fluentem, & in eius ſinu innatare, & in tunicas penetrare aſſerit, ut in 12. tandem ſic ſcribat. Nec verò illud latere puto, eſſe aliquando miſtum ex ,,
tribus iam dictis ſimplicibus in ventriculo affectum, ita vt & ipſæ ,,
ſolidæ partes intemperie laborent: & mali ſucci ita uentriculo ,,
ſint infixi, ut elui ex facili nequeant: & alij in interno eius ſinu ,,
contineantur: poteſt namque interim fieri, ut primus cum ſe- ,,
cundo conſiſtat, poteſt & ſecundus vnà eum tertio, poteſt & pri ,,
mus cum tertio, ſæpe etiam omnes ſimul. En quomodo uentri- ,,
culus laborare poteſt intemperie ſola; & cum affluxu etiam humoris, qui vel in eius ſinu innatet: uel tunicis infarciatur, & nullum excitet tumorem, quod ſcripſit etiam 6. de Tuen. Vale. c. 10. vnde bilem innatantē in ſinu uentriculi, ſucco abſynthij, tunicis infixam & impactam aloe, uel picra euacuandam eſſe præcipit. Idem ſcribit & 8. de Med. Loc. cap. 6. ubi aſſerit iecur, de quo ibi loquitur, & quamcunque aliam partem affici, & ſolis qualitatibus, & cum humoribus etiam, qui aut in ſpatijs partium contineantur, aut in ipſa corpora penetrent. Idem ſcribit primo de Loc. affec. cap. 4. Nam ſi quis fumoſum ructum emittat, quæren- ,,
dum ait, vtrum ab intemperie corporis ipſius ventriculi hoc eue ,,
niat, aut à flauabile, eaque vel in ipſius ſpatio contenta, aut in tu ,,
nicas ita, ut uix abſtergi poſſit demiſſa. Præterea 2. de Sympto. ,,

cauſ.in prin.cap.5.loquens de tuſſi, ait eam excitari uel a nuda intemperie, vel quæ habeat adiūctum aliquid intemperatum in roris modum:ecce intemperiem cū materia, ſine tumore tamē. Hæc cū ita ſe habeāt, ſequitur numerū morborū ex intēperie cū affluxu ſubſtantiæ ipſum etiam eſſe ampliandum, prout fluxio uarijs fit modis:atque hinc apparet Auicennam longe fuiſſe Galeno diligentiorem. Omnium tamen pace, qui aliter ſentiunt, dixerim rectius hanc materiam fuiſſe tractatam à Galeno, quàm Auicenna,& quocunque alio: cùm enim intemperies cum affluxu materiæ ſit morbus diſtinctus a morbo ex nuda intēperie, & uarijs modis materia fluat, ea fluxio ſola hanc differentiam conſtituit,quæ tumorē excitat,nam ſi non excitat tumorē non pertinet ad morborum differentias, ſed ad cauſas. Ac quod in alijs fluxionibus materia ſit cauſa morbi efficiens, patet ex locis Gal. contra Galenum adductis,patet & ex 1.de Locis affect.cap.2.ubi loquitur de dolore colico ex influxu uitreæ pituitæ: in eo enim affectu dolor eſt ſymptoma,intemperies frigida,morbus, pituita uitrea,cauſa frigidæ intemperiei: ſic etiam pituita collecta in cerebro,inducit lethargum refrigerato, atq; humectato cerebro, quare ſi dixeris pituitam eſſe cauſam intemperiei frigidæ & humidæ cerebri, vt habetur a Galeno 3.de Loc.affec.cap.5. non eſt tamen lethargus intemperies frigida & humida cum affluxu ſubſtantiæ,ſic enim eſſet œdema:nec etiam diſpoſitio inteſtinorum in dolore colico eſt intemperies frigida, & humida cum affluxu pituitæ:nam ſic & hæc œdema eſſet. Huc pertinent Gale.uerba ex 1. de Loc. aff. cap. 3. cùm ait uentriculum pati cùm à uitioſis moleſtatur humoribus, ægrotare aut per propriam intemperiē, aut cùm inflammationem, uel ulcus, uel abſceſſum habet. En quomodo aggregantur humores nullum conſtituētes tumorē, qui cauſa ſunt morborum,ſi diu perſiſtant:confluat enim in uentriculum humor bilioſus: primò quidem patietur tantum uentriculus,ut hic ait Galen. & moleſtiam percipiet, conabiturque humorem eum reijcere, ſed ſi diu humor ibi perſiſtat, & alterabit temperamentū uentriculi, aut eum exulcerabit,aut in eo excitabit tumorem,tunc proculdubio uentriculus ægrotabit:Gal. etiam 3.de Sympt.cauſ.excrementa innatantia ventriculo,& coctionem lædentia inter externas cauſas enumerat,tumores uerò inter morbos: vnde Auicenna errorem errore cumulauit: affert

enim

enim pro exemplo morbi ex intemperie calida ſine fluxione febrem hecticam, calidæ uerò cum fluxione febrem putridam: nã ſi febris putrida eſſet intemperies calida cum affluxu, ſequeretur humorem putridum eſſe morbum, aut ſaltem de eſſentia morbi: quod falſum eſt, nam cauſa eſt efficiens febris, non autem de eſſentia febris, ut fatentur omnes, vnde Galen. in Ar. Med. cap. 89. cùm traderet rationem curandi ſimplices intemperies, febrem putridam curare docet pro ſimplici intẽperie calida, quæ cauſã habeat: Hallucinatur quinetiam Auicen., cùm pro exemplo intemperiei frigidæ, cùm materia affert paralyſim cum magna quantitate pituitæ, quia ſi pituita illa meatus obſtruit, morbum conformationis cõſtituit, qui obſtructio dicitur, vnde nihil pertinet ad morbos ſimilarium: ſi intemperiem inducit, cauſa morbi eſt, non morbus. Incidit in eundem errorem Vega, qui lib. 3. de Ar. Med. cap. 1. intemperiem ſine materia morbum ſine cauſa antecedente eſſe ait, veluti hecticam febrem, & morbum etiã factum; intemperiem verò cum materia morbum fientem eſſe vult, & qui cauſam habet antecedentem, & ab eadem dependentiam. Nam ſi hæc vera ſint, ſequetur octo omnes intemperies tam ſimplices, quàm compoſitas ſine affluxu materiæ eſſe æquales intemperies ſemper, inæquales nunquam: quod rationi & ſenſui repugnat, Galen. & omnibus medicis, & difficulter excogitari poſſet quomodo hi morbi fierent, niſi à cauſis procatarcticis tantum fieri dixeris. Sed conſtat hos etiam morbos eſſe fientes, & inæquales intẽperies, veluti ambuſtio ex inſolatione proueniens, & ingens refrigeratio ex mora diuina in aere gelidiſſimo. Quæ uerò ait de morbis ex intẽperie cum materia, indicant eum planè ignoraſſe, qui nam ſint morbi cum materiæ affluxu, & confudiſſe cauſas cum morbis, & neſciuiſſe materiam, quæ tumores conſtituit eſſe & ipſam morbum: nam ſi morbus & ipſa non eſſet, ſuperuacanea fuiſſet Galeni diſtinctio, cũ explicat morborum genera, aſſerentis alios eſſe cum materia, alios ſine materia. Quare ſi intemperies cum materia diſtinguitur ab intemperie ſine materia, neceſſe eſt, materiam illam eſſe de morbi eſſentia. Satis ſit mihi in præſentia vnica hæc ratio ad demonſtrandum materiam tumorum eſſe de tumoris eſſentia: nam paulo infra multis id demonſtrabo argumentis. Ex his patet rectè egiſſe Galen. qui cùm genera morborum inueſtigaret, nihil eis

admiſcuit,quod ad morbi naturam non pertineret, Auicennæ inanem fuiſſe,& ſuperuacuam diligentiam,qui cùm morbis cauſas etiam connumerauit. Quod ſi quis velit eum defendere, quod cognouerit & ipſe materiam hãc,quæ tumorem non facit, eſſe cauſam morbi, non morbum, attuliſſe tamen eas diſtinctiones,ut cognoſceremus morbos ex intemperie,qui adiunctam habent cauſam efficientem, & qui non habent,reſpondebo nõ eſſe hanc diſtinctionem,ſed confuſionem:non enim ſunt cauſæ cum morbis confundendæ, ſed ſeorſum morbi, & ſeorſum cauſæ deſcribendæ,vt Galen.fecit. Cùm iam ſit conſtitutum, intemperies cum affluxu ſubſtantiæ eſſe tumores præter naturam,& cùm materia fluit alijs modis nullum excitans tumorem, non eſſe illã appellandam morbum ex intemperie cum affluxu ſubſtãtiæ, ſed potius cauſam morbi,reſtat,vt demonſtremus,locos Galeni citatos contra hanc ſententiam eam non infirmare. Hoc autem facile patebit eos recte conſideranti: nam cùm in calce noni Methodi aſſerat ſe in 7. egiſſe de intemperiebus, quæ ſolis alteratis qualitatibus proueniunt, declarat apertiſſime, etiam ſi egerit in eo libro de fluore etiam materiæ, eum fluorem nõ pertinere ad conſtituendas differentias morborum ex intemperie,ſed potius ad cauſas. Atque in tractanda morborum curatione opportunum fuit hanc tradere diſtinctionem,aliter enim curantur morbi,cùm ſoli ſunt,aliter cùm cauſas habent adiunctas:at in tradendis morborum generibus diſtinctio hæc locum non habet.

Ad locum ex 6.de Tuen.Valetud.dicas humores eos morbos non conſtituere,& licèt conſtituerent, eſſent morbi cauſa, non morbi pars. Idem dicas ad locum ex 8.de Med.Loc.humores illos ſuperuacuos, qui intemperaturas alunt, earum intemperaturarum cauſam eſſe antecedentem, non partem. Ad locum ex tertio de Locis affec.dicas fluxum bilis ad uentriculum cauſam eſſe morbi, non partem. Nec in ſecundo de Symptom.cauſ.deſcribit intemperiem cum affluxu ſubſtantiæ, ſed cauſas tuſſis recitans, ait eam prouenire uel ob intemperiem tantùm,vel etiam ob materiam ſparſam per vias pulmonis,quæ multis de cauſis ibi colligi poteſt,tam ob tumores præter naturam,quàm ob deſtillationes, & alias conſimiles cauſas.

Tumores

Tumores præter naturam eſſe morbos tam inſtrumentalium, quàm ſimilarium partium. Cap. XXXIII.

SVBLATIS ijs, quæ uidebantur obſtare, concludamus morbos ex intemperie cum aſſluxu ſubſtantiæ eſſe tumores præter naturam. Sed maior inſurgit difficultas: quia cùm ex iam deductis conſtet, intemperies cum aſſluxu ſubſtantiæ eſſe morbos partium ſimilarium: & intemperies hæ ſint tumores præter naturam, ſequitur neceſſariò tumores præter naturam eſſe morbos partium ſimilarium. At hoc repugnat ipſi Galeno paſſim aſſerenti eos eſſe partium inſtrumentalium morbos. Non longe abieris 1. de Sympt. cauſ. cap. 2. enumerans morbos facultatis viſoriæ, quæ per nervos à cerebro deportatur. Horum, inquit, vtriuſque octo ſunt ,, morbi, ipſis ut ſimilaribus accidentes: atque alij vt inſtrumen- ,, tis, nempe obſtructio, compreſſio, conſtipatio, ac tumores præ- ,, ter naturam, quos affluentes humores pepererunt. Idem aſſerit ,, 3. de Sympt. Cau. cap. 1. & 3. de Temperamen. cap. 5. duplicem in particulis phlegmone laborantibus affectum eſſe ſcribens, alterum in quantitate, alterum in qualitate, vnde proculdubio affectus in quantitate ad partes organicas ſpectat, cùm aſſerat in 2. de Med. Loc. cap. 1. non longe à principio influxum humorum ob moltitudinem inſtrumentalium partiũ morbos facere. Quid plura? 13. Methodi cap. 1. affirmat tumores eſſe morbos in quantitate: vnde ſequitur, morbos eos eſſe inſtrumentorum: & progreſſus diſciplinæ eorum librorum id patefacit: cùm enim ei propoſitum ſit in quatuordecim illis libris tradere uiam curãdi omnia morborum genera, in ſex primis docet ſolutæ vnionis curationem, in ſex ſequentibus intemperaturarum, in duobus ultimis morborum inſtrumentalium, ut teſtatur & ipſe in 9. eorum librorum cap. vlt. Quare cùm in his duobus complectatur curationem tumorum, ſequitur neceſſariò tumores eſſe morbos organicarum partium, non ſimilarium. Poteſt hæc repugnantia in Galeno ſedari ex ijs, quæ ſcribit lib. de Diff. morbo. cap. 12. de phlegmone ulceribus adiuncta: nam quidquid de illa ſcribit, ad reliquos tumores transferri poteſt. Ait igitur partes ob phlegmonem

„ morhem naturali ſua temperie calidiores fiunt, & humidiores:
„ nam tumor in ipſis ſi ad tantam magnitudinem attollatur, vt ob
„ hanc ipſam functio impediatur, morbus cenſeri debet, alioqui
„ vel ſymptoma, uel pathema duntaxat, quemadmodum & dolor.

Hinc colligo, tumores interdum adeo eſſe exiguos, ut magnitudine ſua nullam actionibus noxam inferant, ſed ſola intemperie, interdum adeo increſcere, ut magnitudine etiam noxam inferant, id quod quotidie in ulceribus obſeruamus: interdum enim inflammãtur ita, ut exiguus appareat tumor, interdum magnus. Dico igitur tumores quando ſola intemperie lædunt, eſſe morbos ſimilarium, quando magnitudine etiam lædunt, inſtrumentalium: atq; id apertiſſimũ eſt, cùm morbi magnitudinis ad partes organicas pertineant, ut ſuo videbimus loco: ac, ut res reddatur apertior, ſcribit Galenus 1. de Nat. Hum. comment. 6. & 21. tumores interdum excitari ab humoribus ſuperuacaneis influentibus ad locum tumoris, interdum ab humoribus qualitate peccantibus: ſi igitur ſuperuacanei ſint humores, hoc eſt ſi multitudine uitium contrahant, excitabunt tumorem, qui magnitudine lædet, & ex conſequenti morbos erit organicus: ſi uerò qualitate peccent, erit morbus ex intemperie, & partium erit ſimilarium. Ac tandem ſtatuendum eſt, ſi tumor ſit exiguus, & magnitudine nõ lædat actiones, morbum eum eſſe ſimilarium, & tumorem tũc eſſe ſymptoma: ſi uerò magnitudine lædat, morbum eſſe inſtrumentalium ex nimia magnitudine. Vnde uenit mihi in mentem admirari Valeriolam, qui exponens locum adductum ex cap. 12. de Diff. morb. tumorem, quando morbus eſt, uel ad figuram & conformationem, vel ad conſenſum partium pertinere ait, quum ab eo iſthæc uitiari contingat: ego enim ex ſe euidens puto, ſi tumor magnitudine lædat, morbum eſſe magnitudinis. Sed de his latius inferius. Hanc fuiſſe Galeni mentem, inde colligi poteſt, quod in cap. 5. de Different. morborum ſtrumas repoſuit inter morbos ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ: cap. verò 9. eaſdem poſuit inter morbos auctæ magnitudinis, qui ſunt inſtrumentorum: vnde nihil aliud dici poteſt, niſi quod cap. 5. de exiguis intellexit: cap. verò 9. de ijs, quæ magnitudine etiam lædunt. Hinc ſublatas eſſe puto difficultates omnes: duo tamen reſtant, quæ me ſollicitum habent: alterum eſt, quod Galen. cap. 5. vbi loquitur de morbis ſimilarium ea parte, qua

[Marginal handwritten note: Tumores lædẽtes sola intemperie sunt morbi similarium, magnitudine verò instrumentalium.]
[Marginal handwritten note: pag. 3. D.]

qua de intemperie calida uerba facit. Si magnus tumor, inquit, ,,
in particula quapiam oriatur ob affluentem aliquam ſubſtãtiam ,,
calidam, is ad ſecundam morborum differentiam pertinebit. ,,
En hic magnum tumorem aſcribi morbis ſimilarium: quare ſolutio, & diſtinctio ante tradita nulla eſt: alterum eſt, quod Gale. ait, tumorem, ſi magnitudine non lædat, morbum non eſſe, ſed ſymptoma, ſi magnitudine lædat, morbum. Sed contra primo Methodi cap. 8. lib. 7. capit. 2. & lib. 14. capit. 2. & de Tumor. præter naturam cap. ſecundo tumorem abſolute enumerat inter phlegmones ſymptomata, ſicuti ruborem, pulſum, tenſionem, & reliqua: quare tumor ſemper eſt ſymptoma. Ad primum dicas ex correctione annotata in Galeni latini marginibus uocem illã [magnus] redundare: & certe nulla adeſt neceſſitas, cur Galen. vocem illam adiunxerit: nam tumor ſiue magnus, ſiue paruus, ad ſecundam differentiam morborum pertinet, ideſt ad morbos ex intemperie cum fluore ſubſtantiæ. Quod ſi addatur illa uox, excludet paruos tumores, quod falſum eſt, & ideo omnino videtur eſſe expungenda, licèt in omnibus ſit codicibus: poſſumus etiam dicere, Galenum non retuliſſe morbum eum ad ſecundam morborum differentiam ob magnitudinem, ſed ob materiæ influxũ. Quantum verò ad magnitudinem, ſi tanta erit, ut lædat actiones, morbus erit inſtrumentarius etiam, ſi uerò non ſimilaris tãtum.

Ad alterum uerò dicẽdum, tumorem duobus modis capi poſſe altero, pro toto affectu, veluti cùm dicimus inflammationem eſſe tumorem præter naturam, eryſipelas, œdema, & reliquos omnes: & ſic capitur tumor in inſcriptione libri de Tumoribus præter naturam: altero modo pro una ex differentijs, quarum concurſus conſtituit tumorẽ vnumquemque, eoſque à ſe inuicẽ diſcriminat, veluti cùm dicimus, phlegmonem habere in ſe tumorem, dolorem, pulſum, ruborem, & renixum: tumor enim tunc vna eſt ex differentijs, quæ unà cùm rubore, dolore, pulſu, & renixu phlegmonem conſtituit, & à reliquis tumoribus præter naturam diſtinguit, atq; id optima ratione, cũ ſymptomata hæc ſint pathognomonica, ut docuit Gale. præter locos citatos in lib. etiã de Conſtit. Ar. cap. 15. His ſic ſtatutis, dico, ſi modo priore tumorem capimus, tunc morbum eſſe, ſed ſi ſecundo modo, tunc ſymptoma eſt. Sed alia eſt difficultas, & repugnantia in Galen. cùm enim hactenus viſum ſit, partes ſimilares laborare morbis

ex

ex intemperie tam cùm affluxu,quàm ſine affluxu,ipſe tamẽ cõ-
tra hoc ſuum decretum in 2.de Med.Loc.cap.1.in ſimilaribus af
fectiones ſolùm iuxta intemperiem ſimplicem fieri ait: vbi per
intemperiem ſimplicem, vt ſuperius annotauimus, intelligit in-
temperies omnes ſine ſubſtantiæ affluxu.Verba,quibus ſic ſentit.
» hæc ſunt. Humectantes redundantiæ penitus nullum dolorem
» inducunt,quantum ad qualitatem ipſorum attinet,ob multitudi
» nem ſane inſtrumentalium partium morbos faciũt non tamen ſi
» milarium partium vllum aliquem, in quibus ſolùm affectiones
» iuxta intemperiem ſimplicem fiunt. Poſſem ego ſoluere hunc
nodum, aliter ex codice Græco interpretando verba vltima hoc
pacto, in quibus ſolis affectiones iuxta &c. nam codices Græci
habent μόνων: & ſic ſententia ueriſſima eſſet, ſineque ulla repu-
gnantia,cùm intemperies ſine affluxu ſubſtantiæ in ſolis partibus
ſimilaribus inueniatur: ſed quia hæc ſententia non videtur loco
illi quadrare,cum interprete lego μόνον, & aliter eſſe explicandũ
nodum illum ſentio:atq; hoc ex antea conſtitutis facillimum eſt.

Viſum eſt antea intemperies cum affluxu ſubſtantiæ tumores
excitare,qui ſi ſua magnitudine non lædant actiones, non ſunt
morbi, ſed ſymptomata:ſi uerò lædant,ſunt morbi, ſed partium
inſtrumentalium. Vere itaque & hic, ac placitis ſuis conſenta-
nee pronunciat Galenus morbos ex multitudine eſſe partium
organicarum, non ſimilarium, cùm morbi ex intemperie ſine
materia tantum in ſimilaribus locum habeant: nam licèt & ſi-
milares laborent intemperie affluxu materiæ, illa tamen ma-
teria magnitudine ſua morbum non creat. Friuola hæc eſſe vi-
dentur, ſed tamen admonent Galeni ſtudioſos, uti omnem cu-
ram,ac diligentiam adhibeant in cognoſcendis eius decretis, &
natura eorum,quæ ſcribuntur: his enim cognitis facilis erit no-
dorum omnium explicatio: vnde ex traditis nũc diſtinctionibus
explicari poteſt locus ſubobſcurus in Galen.5.de Loc. aff.cap.2.
vbi ait intẽperies paruas cordis pulſus immutare, magnas ſi ſint
partium ſimilarium,non inducere mortem celerem,ſi organica-
rum,repentinam mortem inducere:debemus itaque per intem-
periem partium organicarum cordis intelligere phlegmonẽ, &
alios tumores præter naturam:quod cõfirmatur ex eodem loco,
cùm afferat inflammationem cordis mortem celerem parere:in-
temperies itaque organicorum capiẽda eſt pro intemperie,quæ
morborum

morbum facit organicum: quare intẽperies eſt cum affluxu ſubſtantiæ, ex qua exoritur tumor præter naturam, qui morbus auctæ magnitudinis eſt.

In quo ſymptomatum genere tumor collocandus ſit. Cap. XXXIIII.

CVM viſum ſit tumorem ſecundo modo ſumptum eſſe ſymptoma, quærit Turiſanus 2: Techni comment. 79. & 3. comment. 64. in quo nam genere ſymptomatum reponatur: nam de ſententia Galen. in libro de Diff. ſympt. cap. 2. tria ſunt genera ſymptomatum, actiones læſæ, immoderatæ excretiones, & excretionum ſuppreſſiones, & poſtremò diſpoſitiones corporis, quas qualitates mutatas uocant, & in hoc tertio genere tumores eſſe ait, & rectè. Cùm enim tumor ſit res facta & permanens, nec actio læſa eſſe poteſt, nec excretio aut redundans, aut deficiens: hæc enim ſunt in fieri, & in motu: reſtat igitur, vt diſpoſitio ſit, & ſic ſtatuit ipſemet Galen. locis ante citatis, ſed cum hæc ſymptomata ſint in quadruplici differentia, nimirum quia obiecta ſint quatuor ſenſum, ſymptoma hoc cadere ſub tactum affirmat authoritate Galeni in eo lib. de Diff. ſympt. cap. 5. vbi ait corpus fieri aliquando molle, aliquando durum, aliquando extenſum. Sub vltima hac qualitate puto Turiſanum comprehendere tumorem, nam in tumoribus neceſſe eſt partem tumidam extendi: ſed Gale. ibi loquitur de tenſione, quæ laxitati contraria eſt, & ideo tumorem non ſignificat: nam vt etiam Leonicenus ait taxans Turiſanum, corpus poteſt tendi, & laxari ſine tumore. Dicerem ego tumorem ſignificare quantitatem & magnitudinem: cùm verò magnitudo ſit ſenſibile commune, non proprium alicui ſenſui, erit hoc ſymptoma, quod deprehenditur tactu & viſu etiam: nam ſi propria ſenſibilia quatuor ſenſuum ſymptomata eſſe poſſunt, cur non & ſenſibilia communia?

In

In morbis ex intemperie cum ſubſtantiæ affluxu, nunquid illa ſubſtantia ſit morbus, an cauſa morbi. Cap. XXXV.

VIDIMVS inflammationes, eryſipelata, œdemata, & reliquos tumores præter naturam, ſi tantæ magnitudinis non ſint, vt lædant actiones, eſſe morbos partium ſimilarium proprie ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ: nam inflammatio eſt intemperies calida atque humida cum affluxu ſanguinis: eryſipelas intemperies calida & ſicca cum affluxu ſanguinis biliofi: œdema intemperies frigida atque humida cum affluxu pituitæ, cùm ſemper intemperies, quæ per tumores partibus corporis imprimitur, ab humore influēte exoriatur ſic innuente Galeno in lib. de diff. morb. cap. 5. nam tradēs diſtinctionem morborum ex intemperie, duplicem eorum eſſe ait differentiam, alteram, cùm corpora ſimilaria ſolis qualitatibus alterantur, alteram, cùm ad eadem corpora fluit ſubſtantia aliqua dictis qualitatibus prædita, ex quibus ultimis uerbis proculdubio declaratur, intemperiem illam partium ſimilarium excitari ab humore influente. Vidimus præterea omnes iſtas intēperies inæquales eſſe, aut æquales: inæquales, cùm partium temperamentum immutant, æquales, cùm iam immutarunt, & omnia attigimus, quæ ad morbos hoſce pertinent. Illud vnum reſtat diſcutiendum, humores ne hi in tumoribus contenti ſint pars morbi, an cauſa morbi. Ac res ualde eſt ambigua, & contro uerſa, cùm præclaros habeat vtriuſque ſententiæ defenſores, & validiſſima argumenta, quæ in vtramque partem animum meum impellant ita, vt certi nihil audeam conſtituere: dicam tamen quod ſentiam excitaturus potius meliora ingenia ad ueritatem patefaciendam, quàm aliquid allaturus, quod mihi plene ſatiſfaciat. Sed ad rem.

Fernelius lib. 7. Pathologiæ cap. 1. ſtatuit humores hos cauſas eſſe tumorum continentes, ac cùm eo faciūt omnes, qui in morbis cauſam continentem aſſerunt, Chriſtophorus à Vega inter cæteros, & Franciſcus Valeriola, qui cùm ſæpe hac de cauſa aduerſus Fuchſium diſputauerit, in 6. tandem libro enarrationum enarratione prima omnia uberrime collegit, quæ ad eius cauſæ

patrocinium

patrocinium faciunt. Ac licet haud pertineat ad diſputationem ad morborum differentijs cauſarum tractatio; ut tamen harum differentiarum omnium natura pateſcat, cogimur interdum cauſarum aliquam interſerere mentionem. Valeriola itaque loco citato humores in tumoribus contentos exemplo phlegmones cauſas continentes eſſe aſſerit, ducto argumento à natura & definitione cauſæ continentis: ſic enim ſcribit. Ego quidem iure phlegmones ſanguinem continentem cauſam eſſe ſtatuo, cùm eo in parte conſiſtente, mox naſcatur phlegmone, diſcuſſo uel quomodocunque aliter euacuato, tollatur. Auicennas vir tantæ authoritatis, quantæ poſt Hippocratem & Galenum alius nemo, eiuſdem fuit ſententiæ, ſic ſcribens ſecunda primi doc. 1. cap. 5.

Apoſtemata (ſic enim uocat tumores) diuerſis differunt differentijs: ſed quæ magis ſunt conſiderandæ, ſunt differentiæ, quæ propter eorum exiſtunt cauſas, quæ quidem ſunt materiæ, ex quibus generantur: materiæ uerò ſunt fex, humores quatuor, & aquoſitas, & uentus. En aperte uirum illum magnum aſſerere, materiam tumorum eſſe cauſam, licèt enim continentem aut coniunctam non dicat, ex ratione. Valeriolæ neceſſariò concluditur, ſi humores contenti in tumoribus ſint cauſæ tumorum, cauſas eſſe continentes. Quod ſi Galenum adeas, innumerabiles apud eum locos inuenies; quibus aſſerit plenitudinem humorũ eſſe tumorum cauſam: & ne fruſtra laboremus, ac ſola argumenta in medium adducamus, quæ vim habeãt, diſtinguenda eſt plenitudo, nam quæcumque ſit plenitudo, ſiue virium, ſiue vaſorũ, vel eſt in vniuerſo corpore, uel in parte aliqua, ut ſcribit aduerſus Iulianum cap. 6. plenitudinem illam vniuerſi omnes concedunt cauſam eſſe morborum, ſed antecedentem, non cóntinentem. Quare hæc poſtponenda, & adducenda loca tãtummodo, in quibus aſſerat Gale. plenitudinem alicuius partis, hoc eſt plenitudinem illam, ex qua tumores conſtituuntur, cauſam eſſe continentem, ac ſane loco iam citato Galenus id aſſerit apertiſſime: cum enim ait inflammationi, eryſipelati, & œdemati plenitudinem hanc perpetuò eſſe fundamentum, ac ſi quis eam euacuet, particulam ad ſuum naturalem ſtatum ſubito redire, nonne apertiſſime uidetur aſſerere, hanc plenitudinem eſſe cauſam tumorum continentem? ſi quidem eam poſita, ponitur tumor ſublata tollitur: & eodem in libro cap. 7. iterum affirmat inflammationem

eſſe

eſſe morbum genere eorum, qui plethorici dicuntur, cùm plenitudo non ſolùm vaſculis continetur, ſed etiam cùm omnia ſpacia muſculorum occuparit,ut euidens ſit,eum & hic de partis affectæ pleuitudine loqui : 2.etiam de Humor.comment. 27. tumorum cauſam eſſe ait humorum defluxionem, non illam quidem vniuerſi,ſed quæ in ipſum inſtrumentorum corpus irruit,& in lib.de ſec.ad introduc.cap.3. Statue,inquit, partem aliquam corporis dolore vexatam,duramque, ac renitentem, & in maiorem tumorem elatam eſſe: hoc in loco cauſa eſt medico inuenienda. In primis itaque ſciat humorem aliquem naturæ modũ excedentem in partem illam confluxiſſe, &c. ſi humor, qui confluxit, cauſa eſt, ergo morbus non eſt,& ſi cauſa eſt,cauſa cõtinẽs eſt. Præterea Galen.in lib.de Tumo. præter nat.cap.11. ait ſanguinem tenuem commiſtum ſpiritui eſſe materiam efficientem aneuryſmatis, materia itaque in tumoribus contenta non eſt morbus ipſe, ſed cauſa morbi efficiens. Pro hac poſitione ſic etiam licet arguere, particularis plenitudo aut eſt morbns, aut cauſa morbi continens,non morbus,ergo cauſa. Quod morbus non ſit, patet ex ſe,nam cùm morbus ſit diſpoſitio corporis viuẽtis,in humoribus non poteſt eſſe morbus,quia uiuentia corpora non ſunt. Præterea morbus eſt qualitas, humores autem illi in tumoribus contenti ſubſtantia,ergo nec morbus,nec de eſſentia morbi eſſe poſſunt. Præterea tumor præter naturam eſt ſpatium & dimenſio teſte Gale.in lib.de Tumor.præt.nat.capi.1. ſpatium quantitas,non ſubſtantia eſt,quare humores nullo pacto morbi ſunt. Ad hæc morbus lædit actiones,actiones àutem emanant à partibus cõtinẽtibus,non à cõtentis,in humoribus, ergo morbus eſſe non poteſt. Si plenitudo itaque morbus eſſe non poteſt,ſequitur neceſſariò eam eſſe cauſam continentem,quod etiã hac ratione demonſtratur,ſi plenitudo particularis eſſet morb. humores etiam obſtructionem facientes morbus eſſent, nam & hi ſunt quædam humorum congregatio,ſicuti in tumoribus, at humores obſtruentes non morbi ſunt,ſed cauſa morbi cõtinens ergo nec humores contenti in tumoribus ſunt morbus.Sed cum Fuchſius ex 11.Method.cap.10. ſtatueret humores obſtruentes eſſe morbum, & obſtructionem ipſam:id confutet Valeriola.

Quis enim non uideat hic, aliud eſſe humores obſtruentes, aliud obſtructionem? nam obſtructio eſt diſpoſitio quædam ua-

ſorum,

ſorum quorum meatus,qui ante erant aperti, clauſi ſunt:humores autem obſtruentes ſunt ij,qui claudunt,ſicuti ſi multa ingeſta pecunia ſacculus impleatur, & diſtendatur, aliud eſt pecunia, aliud ſacculi impletio,& diſtentio: vnde ſicuti pecunia repletio & diſtentio dici non poteſt,quia pecunia non repletur,neque diſtenditur,ita humores obſtruentes obſtructio non ſunt,quia ipſi nõ obſtruuntur:diuerſa igitur eſt res,humor obſtruens,& obſtructio,differunt autem tanquam efficiens,& effectum: nam humores obſtructionem efficiunt,& obſtructio eſt humorum obſtruẽtium effectus. Hinc infert Thomas Eraſtus, ſi ita licet arguere, humor craſſus & multus obſtruit, ergo humor multus & craſſus eſt obſtructio,ita etiam arguere poteris, pecunia loculos diſtendit, ergo pecunia eſt diſtenſio: vinum inebriat, ergo vinum eſt ebrietas: qui etiam ſic arguit, fatetur Fuchſius, humorem craſſum & lentum in uaſa influentem eſſe cauſam efficientem obſtructionis,at vnde,inquit, humor hic hanc acquirit metamorphoſim, ut idem in ſua natura permanens ex effectore ſtatim fiat res ipſa effecta?deinde ornat & amplificat hoc argumentum,ſed tota eius uis hic eſt explicata.Sic itaque concludi poteſt, ſicuti humor obſtruens non eſt ipſa obſtructio, aut morbus ipſe,ſed cauſa efficiens obſtructionis, & morbi: ita humor contentus in tumore non eſt tumor, nec morbus, ſed cauſa tumoris & morbi.

Atque hæc dicta ſint pro ijs, qui humores in tumoribus contentos non morbum, ſed cauſam continentem morbi eſſe ſtatuunt. Quid aſſertores alterius opinionis in medium afferant, uideamus.

Eorum opinio,qui ſtatuunt humores in tumoribus contentos eſſe morbos,non cauſas. Cap. XXXVI.

LEONICENVS, qui primus ex Arabũ tenebris Galenũ in lucẽ reuocauit,eiuſq; dogmata doctiſſimis ſcriptis, & aperuit,& tutatus eſt,primus etiã in ſuo Antiſophiſta demonſtrauit,inter Galeni dogmata illud eſſe præcipuũ,nullã eſſe in morbis cauſã continentem, & ea ſemina ſparſit,vt ab eo colligi queat quidquid pro hac cauſa, & cõtra eã dici poſſit,cõmodiſſimeq; id fecit, quippe qui & in Galeno eſſet ver-

ſatiſſimus, & librum Galeni haberet de cauſis continentibus, quem ſæpe citat. Neſcio autem quomodo factum ſit, vt Valeriola, aliique, qui cauſam hanc defendunt, authorem faciant Fuchſium contrariæ opinionis, cum quidquid dixit Fuchſius, à Leoniceno ſumpſerit, adeo ut citauerit etiam ipſe librum de cauſis continentibus, quem nunquam uiderat. Quare eum rogat Valeriola, ut librum hunc edat in lucem. Leonicenus itaque dogmatibus Galeni inſiſtens in quæſtione ad Zãbeccarium, quã nos in lucem dabimus, ab eo poſtulantem quid ſentiret de controuerſia duorum medicorum Romæ agitata, quorum alter ſectionem uenæ ab eodem latere in pleuritide cauſam antecedentem euacuare aſſerebat: alter coniunctam: reſpondet, utramque concluſionem eſſe falſam, nam ſectio hæc non cauſam, ſed morbum euacuat, atque imminuit: cùm enim euacuet ſanguinem in phlegmone contentum, ut indicat coloris mutatio, quam expectandam eſſe præcipit Hippocrates, morbũ profecto euacuat. Qua reſponſione declarat apertiſſime Leonicenus, humores in tumoribus cõtentos cauſam non eſſe, ſed morbum. Atq; ad hoc confirmandum non deſunt rationes efficaciſſimæ. In primis, ſi humores in tumoribus cõtenti non eſſent morbus, uel pars morbi, uel de eſſentia morbi, ſequeretur, diſtinctionem morborum partium ſimilarium à Gale. traditam uanam eſſe, & ſuperuacuã, cùm dicitur morbos partium ſimilarium eſſe ex intemperie, uel ſola, uel cũ affluxu ſubſtãtiæ: nam ſi affluxus ſubſtantiæ morbus non ſit, reſtabit ſola intemperies: ſola autem intemperies, à ſola intemperie nihil differt, ſi nihil differt, uana igitur & ſuperuacua eſt illa differentia. Et ſanè argumentum hoc neceſſariò demonſtrare arbitror rem ita eſſe, nec uideo quid reſpondere poſſint aduerſarij, niſi dicant diſtinctionem eſſe utilem, quia licèt affluxus ſubſtãtiæ nõ ſit morbus, ſed cauſa, inter duas iſtas intẽperies tamen eſt differentia, nam illa cauſam non habet adiunctam, hæc verò adiunctam habet, & neceſſario: & ideo illa ſola, hæc nõ ſola. Ad hoc reſpondeo, hanc non eſſe diſtinctionem, ſed confuſionem potius, cùm morborũ diſtinctio à natura morbi, & eſſentia ſit tradenda, non autem confundendi morbi cum cauſis, quod ſummopere euitauit Galen. vnde ſeparatim ſcripſit de morbis, & de morborum cauſis. Præterea illa intemperies ſola poteſt foueri & ipſa a cauſa, veluti in dolore colico, intemperies frigida inteſti-

inteſtinorum, à pituita vitrea: hæc tamen non eſt intemperies cum affluxu ſubſtantiæ: cùm tumor præter naturam non adſit,vt ante eſt demonſtratum. Præterea ſymptomata pathognomonica tumorum, quæ affectuum eſſentiam conſtituunt, ideóque & affectum,& locum affectum etiam indicant authore Gale.in lib. de Conſtit.Ar.c.15.non ex ſola intemperie, ſed ex materia etiam ortum habent: eſt igitur materia de morbi eſſentia. Perpendamus hoc in phlegmone,nam quidquid erit in hac demonſtratum, ad reliquos tumores poterit transferri. Eſt itaque phlegmone intemperies calida, atque humida cum ſanguinis affluxu, à qua quinque ſymptomata oriuntur dolor pulſans, tenſio,renixus,rubor, & tumor:& ſunt uere pathognomonica, quia neceſſariò oriuntur à phlegmone, vnde vbi ſunt iſta ſymptomata, ibi eſt phlegmone: & vbi phlegmone,modo ſit in conſpicuo,ibi iſta apparent ſymptomata: hæc autem tantum abeſt,vt ab intemperie ſola oriantur, quod immo à ſanguine omnia ferè excitantur: eſt igitur ſanguis ille de phlegmones eſſentia, non phlegmones cauſa: nam ſymptomata hæc neceſſaria non à cauſa,ſed a morbo excitantur. Reſpondeat fortaſſe quiſpiam ad hoc argumentum, eſſe Galeni ſententiam,ſymptomata à cauſis etiam exoriri, ut aſſerit 2.de Loc.aff.cap.1.immo in lib.de opt.ſec.ad Thraſib.c.18. aſſerit quatuor eſſe genera ſymptomatum, cùm quædam cauſas ſequãtur,quædam locos affectos,quædam uires,quædam ægros: quo ex loco colligitur ſymptomata nulla à morbis oriri, ſed à cauſis:& euidentiſſimum eſt a cauſis ſymptomata oriri,nam cùm vtraque plenitudo & cacochymia ſint potiſſimæ morborum cauſæ,à plenitudine uirium oritur grauitas, à plenitudine uaſorum tenſio,à cacochimia punctio,& eroſio, ut docet Gale.per totum lib.de plenitudine: quare ſymptomata hæc etiam tumorũ a cauſa,ideſt a plenitudine oriuntur:ſicuti etiam in febre ardenti, cuius duo ſunt perpetua ſymptomata,& ſitis,quæ ſedari nõ poteſt, & calor exurens,ac moleſtiſſimus, quis non uideat duo hæc ſymptomata a bile putreſcente oriri, quæ febris eſt cauſa? Ad hæc reſpondeo,licèt concedendũ ſit cauſas etiã parere ſymptomata, omnino tamen pathognomonica ex morbo oriri, & concursũ horum ſymptomatũ nihil eſſe aliud,quàm morbum:vt palam indicat Galen.in Empirica informatione capit.6. licèt enim ibi uideatur ex Empiricorum inſtitutis loqui, amplectitur tamen ipſe

ea inſtituita, & paſſim alibi tradit, morbum nihil eſſe aliud, quã ſymptomatum pathognomonicorum cõcurſum, vt patet ex loco de Conſtit. Ar. ante citato: ac nulla alia in re diſcrepat Galen. ab Empiricis, niſi quod illi ſyndromen ſymptomatum iam dictorũ morbum eſſe pronunciabant: ipſe uerò ea morbum neceſſariò conſequi ſtatuebat, ut aſſerit 7. Meth. cap. 2. cùm itaque quædam ex his ſymptomatis à materia ortum habeaut, & pathognomonica ſint, ſequitur materiam illam eſſe de morbi eſſentia, non autem morbi cauſam: vnde Galen. 1. Method. c. 8. & 7. Method. c. 2. oſtendit ſymptomata, quæ diximus exoriri à phlegmone, non à cauſis, ſed ab inflammatione exoriri, & ea eſſe, quæ inflammationem conſtituant. Ad locum ex lib. de opt. ſec. nihil aliud reſpondeo niſi vnum illum eſſe ex locis præcipuis, qui decretis Galeni repugnet: quis enim hoc non uideat, cùm Galen. paſſim ſymptomata à morbis exoriri dicat, & actionum læſionem, quod inſigne eſt ſymptoma, eſſe perpetuum morborũ ſymptoma, vt vbi morbus ſit, ibi ſit actio læſa: ubi actio læſa, ibi morbus: ille tamen author nullum à morbis ſymptoma exoriri facit, ſed pro eo ægri ſymptomata inducit, quod valde eſt ridiculum. De duobus verò ſymptomatibus febris ardentis, dico ea exoriri à febre: nam ſi putreſcens illa bilis non excitaret febrem, ſymptomata illa non apparerent. Quare etiam ſi à cauſis ſymptomata oriantur, pathognomonica tamen ſemper morbum neceſſariò cõſequũtur.

Cùmque Galen. in curatione inflammationis, & reliquorum tumorum duplicem ſibi proponat ſcopum, alterum euacuãdi, alterandi alterũ: & vacuatio præcipuus ſit ſcopus, vnde 1. Progno. comment. 31. omnes tumores curare ait diſiectis humoribus tumorem excitantibus, & 3. de Temperament. 5. Cùm phlegmone, inquit, ex calida fluxione conſiſtat, propria quidem eius curatio uacuatio ſuperuacui eſt. Vacuationi autem particulæ, quæ per phlegmonẽ excalfacta eſt, omnino ſuccedit refrigeratio: hinc ſequitur ſuperuacuam illam materiam eſſe morbum, cum curatio ad morbum pertineat, ad cauſam verò prouidentia, vt antea quoque viſum eſt. Reſpondebunt hic aduerſarij ex Galen. 2. Apho. commẽ. 22. vbi ſolus adeſt morbus, & receſſit cauſa eius efficiẽs, ſublatio huius morbi uere eſt curatio, ſed ubi ſola adeſt cauſa, & nondum morbũ effecit ueluti plenitudo, huius cauſæ deſtructio præſeruatio dicitur: cùm uerò cauſa aliquid agit, adeo ut ſimul

adſit

adſit morbus,& cauſa,hoc opus miſtum eſt ex curatione,& præſeruatione,& cùm proprio careat nomine,medici interdum hãc uocant præſeruationẽ, præcauent enim ne morbus,qui iam cœpit generari,abſoluatur,nonnunquam etiã curationem propter morbum,qui fit iam,totam tamen hanc litem de nomine eſſe ait, & ideo paruifaciendam: unde 2.de Natu.huma.comment.1.curatio eſt,inquit,non modo eorum morborum, qui facti iã ſunt, uerùm & eorum,qui fiunt. His ſic ſtantibus,dicent,euacuationem humorum tumores conſtituentium eſſe cauſæ remotionẽ, quam nihil prohibet curationem uocari,cùm ſimul faciat ad tollendum etiam morbum,qui factus erat, cùm dicat Galen.uacationi humoris facientis phlegmonem ſuccedere refrigerationẽ: atque hoc pacto argumentũ nullum eſt, nam euacuatio illa cauſam euacuat,non morbum. Reſpondeo nolle me de nominibus altercari, & parui apud me eſſe diſcriminis, ſiue curationem, ſiue præſeruationem appelles euacuationem plenitudinis tumores conſtituentis: res autem ipſas, earumque naturas me potius conſiderare. Cùm itaque uideam,Galenum per totum librum 13.& 14.Metho.in curandis tumoribus præter naturam ſumere indicationem curandi,& à tumore, qui adhuc fit, & qui iam factus eſt: non poſſum aliter decernere,ſic ipſo docente,quàm tumorem, qui iam fit, adiunctam habere cauſam: factum cauſam adiunctam non habere:nemo enim philoſophus aut medicus tã ſtupidus inueniatur, qui res factas cauſam adiunctam habere dicat,cùm ea tantùm ſit in rebus,quæ fiunt, & in motu ſunt. Sed ſi tumores iſti facti idest cauſa carentes curantur per euacuationem humoris tumorem conſtituentis, ut palam docet c. 2. & 6. lib. 13. quis eſt tam cæcus,qui nõ uideat humorẽ illũ non eſſe tumoris cauſam,ſed morbum ipſummet,& recte pronunciaſſe Leonicenum,ſectionem uenæ in pleuritide ab eodem latere,quæ fiat uſque ad mutationem coloris in ſanguine, morbum euacuare? Sed de his etiam aliquid inferius. Nec ratio illa pro hac opinione contemnenda eſt: ſi materia tumorum cauſa eſſet morbi, nõ morbus negligentem, & mancum fuiſſe Galenum in explicandis morbis ex intemperie cum materia, cùm poſſit alio modo fluere materia ad partes, quàm tumores excitando, ſiue extrinſecus alluat, ſiue intro ſe condat. nec poſſumus alio modo uindicare Galenum ab errore, quàm ſi dicamus, in aliis fluxioni-

Materia in tumoribus e morbus ipse in aliis fluxionibus est morbi causa.

bus materiam uere eſſe morbi cauſam, in tumoribus uerò eſſe morbum ipſum, ſicuti ante etiam conſtituimus, ubi ſuperuacaneam Auicennæ diligentiam damnauimus. Dicent defenſores alterius poſitionis, Galenum nec mancum eſſe, nec negligentem, quia cùm morbi ex intemperie cauſas habeant antecedentes, & cõtinentes, quæ ſemper ſunt adiunctæ, in ea diſtinctione innuebat, morbos ex intemperie aut ſolas eſſe qualitates, aut qualitates cum cauſa adiuncta: hæc autem cauſa, quæ ſemper adiuncta eſt, ſanè continẽs eſt: vnde per ſe patet, eam eſſe diſtinctã ab aliis cauſis, etiam ſi Galen. nos non admoneat. Reſpondeo, ſi hoc uerum eſſet, ſequeretur, Galenum cõfundere morbos cum cauſis, quod tamen euitauit, cùm de utriſque egerit ſeparatim. Sed & id mirum, ſi Galen. uoluit humores iſtos eſſe cauſas tumorum, cur nõ quandoq; id dixerit: millies, & plus quàm millies inuenies apud eum hanc diſtinctionem, morbos partium ſimilarium eſſe aut ſolam intemperiem, aut intemperiem cum affluxu ſubſtantiæ: ſi affluxus hic ſubſtantiæ eſt cauſa, cur non ſemel ſaltem nomine cauſæ vſus eſt? & in libris de Cauſis Morborum id potiſſimum attingere debebat: at ipſe eo il lib. cap. 6. quærens cauſas horum morborum, non ait phlegmones cauſam eſſe ſanguinem, eryſipelatis flauam bilem, cancri melancholicum humorem, & œdematis pituitoſum: ſed quomodo multitudo horum humorum in corpore oriatur, & quomodo ad aliquam partem transfluat: & concludit ea eſſe principia gignendi huiuſcemodi ægritudines.

Stat igitur argumentum, & demonſtrat, materiam illam non eſſe cauſam, ſed morbum. Quod, ut tandem finiamus, ſic etiam comprobatur: proculdubio tumores hi morbi ſunt: at eos definire, & dignoſcere non poſſumus ſine materia ipſa: eſt igitur materia illa de tumorum eſſentia, & cùm tumores ſint morbi, ipſa etiam eſt morbus. Dicent non repugnare hoc eorum ſententiæ: nam etiam ſi materia illa ſit cauſa efficiens tumorum, nihil repugnat eam aſſumi in eorum definitione, cùm hoc ſit vſitatiſſimum apud medicos, & philoſophos, ut cauſas omnes definiti in eius definitione complectantur: vnde & Galen. in pulſus definitione complexus eſt cauſas omnes pulſus efficientes, quæ & ipſæ ſunt continentes, ueluti cauſæ tumorum. Sed valde hi decipiuntur: nam cauſæ efficientes aſſumuntur in definitionibus tantùm rerum, quæ in motu ſunt, veluti pulſus: at in definitione re-

rum

rum permanentium,& factarum iam,locum non habet cauſa efficiens:nam ſi haberet,ſequeretur, quòd efficiens ab effectu ſeparari non poſſet, unde & in generica morbi definitione nec Galenus,nec alius probatus vir attigit efficientem cauſam. Sed hæc latius demonſtrabo in lib.de Cauſis, in quo ſpero me tandem eſſe ſedaturum hanc altercationem hinc inde à multis præclaris ingeniis agitatam de cauſa morborum continenti,eamq; exploſurum,reiectis facillime omnibus eius propugnaculis.

Humores in tumoribus contentos ratione intempiriei partem eſſe morbi, ratione ſubſtantiæ materiam Cap. XXXVII.

RATIONES adductæ adeo mihi uidetur eſſe ualidæ, ut omnino uideatur aſſeuerandum eſſe humores in tumoribus contentos eſſe aut morbum, aut partem morbi, aut de eſſentia morbi: unde nihil reſtat aliud, niſi ut argumenta contrarium aſtruentia refellamus. Sed antequam id facio, declarandum eſt, quomodo humores ſint de aſſentia morbi. Dico igitur humores iſtos cauſam eſſe materialem tumorum: unde in hoc illis aſſentior, qui humores iſtos cauſam eſſe ſtatuunt, ſed in hoc diſſentio,quoniam efficientem ipſi putant,ego materialem:utra ſit uerior opinio, patebit naturam harum cauſarum ex 2. Phyſ. 28. 29. conſideranti. Conſideremus prius efficientem. Cauſa efficiens eſt, vnde motus initium, & quietis. Proponatur tumor aliquis, & phlegmone potiſſimum,de qua ſæpe antea: in hac decumbit ſanguis feruidus in aliquam partem, qui eius primùm uaſa replet, deinde è uaſis in ſpatia effunditur, demum ibi ſiſtitur: ſi iſte ſanguis ex ſe flueret in eam partem, & ex ſe in ea conſiſteret, fateremur in eo eſſe motus, & quietis initium,& ex conſequenti eam eſſe cauſam efficientem phlegmones. Sed cùm aliunde motus habeat, & quietis initium, ſequitur, cauſam efficientem eſſe non poſſe. Quænam ſint cauſæ uere efficientes huius inflammationis, ſæpe explicat Galen. ſed potiſſimum in libro de Cau. Morbor.cap.6.ante citato,& in 2.de Diff.Feb.cap.ulti.& ſunt facultas expultrix ualida partium tranſmittentium, eademque imbecilla

causæ efficientes tumor[is]

becilla partis affectæ excipientis. Hæ ſunt cauſæ efficientes horum morborum, quas ibi deſcribit Galenus. Cùm humores hi cauſa efficiens non ſint, uideamus an materialis cauſa ſint, quod ſtatim patet ex ſe: ſi enim cauſa materialis eſt, ex qua, cùm inſit, aliquid fit, ueluti æs & argentum ſunt materia ſtatuæ, quia ex illis ſtatua conflatur, & ipſa inſunt in ſtatua, cùm ex ſanguine producatur inflammatio, & ſanguis in ea inſit, certo certius eſt, ſanguinem eſſe cauſam materialem inflammationis: vnde ſi quis audeat aſſeuerare, ſanguinem eſſe cauſam inflammationis efficientem, audebit etiam aſſeuerare, aggerum ex terra confectorum cauſam efficientem eſſe terram ipſammet. Quod de tumoribus dictum eſt, dixeris etiam de obſtructionibus, humores enim multitudine ſua, craſſitie, & lentore uaſa obſtruentes, cùm ex ſe non moueantur ad obſtruenda uaſa, ſed aliunde, immanantes verò obſtructionem pariant, non ſunt cauſa efficiēs obſtructionis, ſed materialis, perinde ac lateres & calx ſunt materia, ex qua interdum clauduntur feneſtræ, non autem efficiens, quia materia illa non ex ſe uenit ad feneſtras, ſeque conſtruit, ſed ab architecto.

Dicat aliquis Galenum in libris de Cauſis Morbo. deſcribere tantum cauſas efficientes, non materiales: non poſſe igitur humores iſtos cauſas eſſe materiales. Reſpondeo Galenum in lib. de Diff. ſympt. cap. 1. & per totum librum de Cauſ. procatar. aſſerere, in morbis eſſe omnia cauſarum genera, cùm verò explicat cauſas morborum, explicat etiam materiales, quando opus eſt, ſed non laborat in docendo, hæc eſt cauſa materialis, illa efficiens, cùm ſibi perſuaderet, neminem adeo eſſe à rerum cognitione alienum, qui materiam ab efficiente non poſſet internoſſe.

Cùm itaq; ait ex ſanguine conſtitui phlegmonas, ex flaua bile eryſipelata & herpetes: ex atra cancros & elephantiaſim: ex pituita œdemata: & quærit deinde, quas ob cauſas hi humores ad partes compellantur ad tumores illos excitandos, quis adeo eſt bardus & ſtupidus, qui non intelligat ſanguinem phlegmones, flauam bilem, eryſipelatum, herpetumque: atram cancrorum & elephantis: pituitam œdematum eſſe materiam: cauſam verò, quæ propellit hos humores ad partes affectas cauſam eſſe efficientem? Hoc inde etiam conſtat, quia efficiens ab effecto ſeparatur ſine ulla effecti noxa: materia verò ſeparari non poteſt ſine labe rei, cuius eſt materia: & propterea in definitione generica

morbi

morbi nullũ ponitur efficiens: materia verò in ea clauditur apertiſſime. Humores itaq; in tumoribus contenti non ſunt cauſa efficiens tumorum, ſed materialis: quam ſi continentem uelis appellare, poteris, licèt impropriè, ut videbimus in tractatione cauſarum. Sed cùm cauſa materialis includatur in morbi definitione, patet eam de morbi eſſentia eſſe. Atqui huic ſententiæ illud obſtat, quod cauſa materialis eſt, ex qua immanente aliquid fit: ſed cùm morbus qualitas ſit, non poteſt habere materiam, ex qua immanente fiat: ſic enim ſequeretur, qualitates ex ſubſtantiis fieri. Diluitur hæc obiectio, ſi dicamus non eſſe hanc materiam, ex qua morbus fiat, ſed in qua reſideat, vnde ſubiectũ erit morbi: nam reuera ſanguis eſt ſubiectum intemperiei calidæ atque humidæ, quæ inflammatio eſt: bilis flaua eſt ſubiectum intemperiei calidæ & ſiccæ, quæ tam herpetem, quàm eryſipelas conſtituit: atra bilis eſt ſubiectum intemperiei frigidæ ac ſiccæ conſtituentis cancros, & elephantiaſim: pituita eſt ſubiectũ intemperiei frigidæ atque humidæ, ex qua œdema concitatur: idem dixeris de materia quorumcunque aliorum tumorum: ſic & febres à ſubiectis diſtinguebat Galenus, cùm ephemera ſit intemperies calida & ſicca occupans cordis ſpiritus: putrida intemperies occupans cordis humores: hectica intemperies occupans cordis ſubſtantiam: ſpiritus igitur humores, & ſubſtantia cordis non ſunt febris ipſa, nec cauſa febris efficiens, ſed febris ſubiectũ, quod dici poteſt cauſa materialis: ſunt enim prima ſubiecta, quæ malè diſponuntur à calore illo præter naturam, quæq; patiuntur: patiens autem authore Galeno in lib. de Cauſ. procatar. cap. 1. cauſa eſt morborum materialis. Sed obiicies, humores ſunt uera cauſa efficiens febris putridæ, quæ antecedens à Galeno dicitur, non igitur materialis cauſa. Reſpondeo humores putridos, à quibus ſublatæ fuligines accẽdunt cordis humores, eſſe cauſam antecedentem, at humores cordis non ſunt cauſa efficiens, ſed primum ſubiectum, quod intemperie illa afficitur, & ideo cauſa materialis, non efficiens: ſicut ſpiritus eſt cauſa materialis, uel ſubiectum ephemeræ, & ſubſtantia cordis eſt ſubiectum & cauſa materialis hecticæ. Sed iterum inſtet quiſpiam: ſi ita ſe habeat in febribus, ut in tumoribus, ſequetur, febres etiã eſſe intemperiem cum materia, & eandem etiam fore indicationem curandi in febribus, quæ in tumoribus præter naturam: at

in

Humores in tumoribus contenti nõ sunt cã efficiens tumorũ, sed materialis
Gal. de nat. hum. com. 13 pag. 180. B. veni pueri multi, qa ad modũ sunt uoraces, cumulant succum, qui propriè crudus appellatur, à quo facilè calculi generantur. Cum hic, quidẽ habeat materiã, ex qua calculus generetur, ratione caliditas autẽ cãe efficientis.

in tumoribus præcipua indicatio eſt materiæ euacuatio: ea enim euacuata ſtatim morbus tollitur, ita etiam eſſe debebit in febribus: ſed ſi ſic erit, præcipua indicatio in curandis ephemeris erit euacuatio ſpirituum, in putridis humorum, in hecticis ſubſtãtiæ cordis. Reſpondeo, licèt febres eodem modo conſtituantur, quo tumores præter naturam, cùm intemperies ſint in aliqua inſidentes materia, differunt tamen ratione huius materiæ: nam in tumoribus tota illa materia eſt præter naturam, & extra locum ſuum: vnde ſui remotionem indicat: in febribus ſubiectum intemperiei naturale eſt, & naturalem obtinet locum: quare non deſiderat euacuationem, ſed potius alterationem: unde ſi quæras, an febris ſit intemperies cum materia, an ſine materia, proculdubio dicendum eſt, eſſe intemperiem ſine materia, propterea reprehendimus Arabas, & alios, qui febrẽ putridam pro exẽplo adducebant intemperaturæ cum materia: nam quando intemperies eſt cum materia, ita inhæret illi materiæ, ut ſine illa eſſe non poſſit: at febris etiam putrida ſine materia eſſe poteſt, intelligendo de materia præter naturam, quales ſunt putridi humores. Vt hoc verum ſit diſcrimen intemperiei cum materia ab intemperie ſine materia, quod illa ſine materia eſſe non poteſt, hæc poteſt: & propterea ſoli tumores præter naturam uere ſunt intemperies cum materia, nam à materia ortum habent, quæ mala ſua qualitate membrum afficit inæqualiter, ut uiſum eſt antea, patet autem hoc ex Galen. lib. de Inæq. Intemp. cap. 3. qui cùm phlegmonem deſcripſiſſet, hæc ſubdit. „ Eſt autem inæqualis intemperies muſculi: feruet enim qui iam in eo eſt ſanguis. „ Is ſecum excalfacit, primùm quidem ac maxime arteriarum, & venarum tunicas, mox verò omnia, quæ extra has ſunt: „ quibus ſcilicet circumfunditur. Atque hoc pacto intemperies cum materia duplicem habet materiam, alteram præternaturalem, quæ fons eſt morbi, alteram naturalem, quæ ſunt membra ſolida, quæ ab huiuſmodi intemperie corripiuntur: intemperies verò ſine materia materiam præter natura- lem non habet, naturalem uerò habet, quam infeſtat.

Confutatio argumentorum, & locorum probantium humores in tumoribus contentos cauſam eſſe morbi continentem. *Cap. XXXVIII.*

HIS poſitis ueniamus ad confutanda aduerſariorum argumenta, & loca authorum antiquorum contra hanc opinionem adducta in ſententiam noſtram reuocanda. Refellam autem prius argumenta, deinde ad authoritates ueniam. Incipiam autem ab argumento efficaciore, quo probabatur, humores in tumoribus contentos morbum eſſe non poſſe, quia ſubſtantiæ ſunt, morbus autem qualitas eſt: cui duobus modis poſſumus reſpondere: altero, dicentes morbum quidem qualitatem eſſe, ſed morbos iſtos ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ hanc peculiarem ſortitos eſſe prærogatiuam, ut partim qualitas, partim ſubſtantia ſint, vt inde a morbis diſtinguerentur, qui nudæ ſunt qualitates: altero & rectius, in his intemperaturis ſolam intemperiem eſſe morbum, habere tamen hanc intemperiem materiam ſemper adiunctam, cui inhæreat: vnde (vt uſitato utamur exemplo) in phlegmone intemperies calida & humida ſanguini inhærens morbus eſt. Sed huic ſententiæ repugnat aliud argumentum: morbus eſt diſpoſitio corporis viuentis, ergo in ſanguine morbus eſſe non poteſt. Ad hoc reſpondeo friuolum eſſe huiuſmodi argumentum, nuſquam enim inuenio Galenum ſtatuere, morbum eſſe diſpoſitionem corporis uiuentis, ſed corporis humani abſolute. Præterea quidquid eſt in viuente corpore, pro uiuo habendum eſſe puto: & in humoribus, etiam ſi viuentia non ſint, morbos tamen excitari, ut patet in humore albugineo: vide præterea Galenum in libro de Differentijs Morborum capit. 8. dum enumerat morbos numeri à toto genere præter naturam, & uide bis nullum ex ijs eſſe viuens corpus, morbos tamen eſſe: quanquam dici poſſit & hic temperiem hanc eſſe diſpoſitionem corporis uiuentis, nam partes ſolidas alterat: & propterea caliditatem & humiditatem ſanguinis, licèt per ſe morbus non ſit, neque enim morbus eſſet, niſi membra ſolida inalteraret, morbi tamen

men initium eſſe puto, ſicuti calor accenſus in ſpiritibus cordis, & in humoribus febris ille diariæ, hic putridæ ſunt initium, aſſerente Galeno 1. de Diff. Febrium in calce capit. vltimi febrilem diſpoſitionem aliàs ex alia materia ſumere initium. Sicuti igitur calor accenſus in ſubſtantia cordis, & inde per vniuerſum corpus diffuſus, febris hecticæ principium eſt: ita accenſus in humoribus eſt initium putridæ: & accenſus in ſpiritibus initium diariæ: eodem modo dixeris calorem accenſum in ſanguine principium eſſe caloris diffuſi per totum membrum phlegmone affectum: eſt itaque ſtatuendum, intemperiem humorum in tumoribus contentorum morbum ipſum eſſe, ſed eam humoribus illis inſidere. Ad argumentum Eraſti, tumor eſt ſpatium & dimenſio &c. dico argumentum illud pertinere ad tumores, quando ſunt morbi inſtrumentales, & ideo ad eam tractationem dimittendum, quanquam ex iam dictis confutatum eſt, quia diximus humores non eſſe morbum, ſed intemperiem humoribus inhærentem, qua reſponſione concidunt & duo illa argumenta: alterum, tumor non eſt morbus, ergo nec humor: alterum, actiones emanant à partibus continentibus, non à contentis, ergo humor morbus non eſt: nam & nos fatemur humores non eſſe morbum, non inde tamen ſequitur, ſi morbus non ſint cauſam eſſe morborum efficientem, & continentem: iam enim demonſtratum eſt cauſam efficientem eos eſſe non poſſe, ſed materialem: unde & ad argumentum Valeriolæ, nego: licèt congregato ſanguine in particula phlegmone oriatur, & euacuato, aboleatur, ſanguinem eſſe cauſam continentem phlegmones, nam ſanguis partim eſt morbus, partim materia morbi: morbus ratione ſuæ intemperiei, materia ratione ſubſtantiæ: qua de cauſa eſt fundamentum phlegmones: unde mirum non eſt, ſi eius præſentia phlegmonem excitet, abſentia ſummoueat: atque hinc facile etiam reſponderi poteſt ad argumentum ſumptum à ſimilitudine obſtructionis. Sed de hoc iterum agetur in morbis magnitudinis, & numeri: unde nihil aliud reſtat, niſi ut locis authorum adductis occurramus.

Locus igitur Auicennæ totus eſt à me: cùm enim aſſerit tumorum differentias ſumi à cauſis, efficientes non intelligit, ſed materiales: quod ipſe declarat, cùm ait, quæ quidem cauſæ ſunt
,, materiæ, & adhuc apertius, cùm ſubdit, ex quibus generantur:

illud

illud enim[ex] uerſatis in Phyſicis Ariſtotelis, & in lib. Galeni de Cau. Procatar. ſtatim indicat materialem cauſam: nam ſi efficientem ſignificare uoluiſſet, non ex quibus, ſed à quibus, dixiſſet. Ad locum priorem Galeni aduerſus Iulianum cap. 6. fateor plenitudinem particularem eſſe tumorum fundamentum, cur enim non, cùm eorum initium ſit, & materia? unde & ad ſecundum ex cap. 7. eiuſdem libri, concedo phlegmonem eſſe de genere morborum plethoricorum, cùm multitudo particularis ſit fons, origo, & fundamentum phlegmones. Ad tertium ex ſecundo de Humoribus, cùm hanc particularem plenitudinem cauſam tumorum eſſe ait, materialem causã interpretor, quodq́; id iure faciam, iam demonſtratum eſt. Ad quartum ex cap. 3. de Sec. ſi inueniendam eſſe cauſam præcipit, ob quam humores influunt particulis ad tumorem excitandum, capiendam eſſe duco cauſam efficientem: ſi uerò plenitudinem particularem, capiendam eſſe ſtatuo cauſam materialem: ſi utramque inueniendam eſſe ſtatuit, tam efficientem, quàm materialem cauſam ſignificat. Hoc autem nobis nihil repugnat, qui ſolas cauſas mouentes humores ad partem affectam efficientes eſſe indicamus ex lib. de Cauſ. Morb. capi. 6. ut ante abunde declarauimus. Humores verò ipſos in tumoribus contentos materiam, fontem, originem, & fundamentum tumorum eſſe dicimus. Ad locum ex cap. 11. de Tumoribus præter naturam, vbi ex modo loquendi videtur intelligere cauſam efficientem, dico authores non adeo ſemper exquiſite loqui: immo verò quod proprium eſt vni cauſæ, alteri aſcribere: vnde mirum non eſt, ſi interdum cauſa materialis dicatur facere, & eo in loco præſertim ſic locutus eſt, quia ſanguis ille tenuis per ſe moueri videtur ad conſtituendum aneuryſma: vnde licèt materia ſit aneuryſmatis, vim etiam quodammodo habet efficientem, ut propterea non improprie dixerit ſanguinem tenuem aneuryſma efficere. Confectum itaque iam ſit humores in tumoribus cõtentos potius eſſe partem morbi, quàm cauſam efficientem: quod quomodo ſit intelligendum, ſatis eſt explicatum. Multum inſtitimus in hac quæſtione, & fortaſſe inepte, cùm potius ſit dialectica, quàm medica: nam noſſe in inflammato membro redundare copiam vitioſi ſanguinis, ac feruefacti, utile eſt artis operibus: inde enim colligitur euacuandum eum eſſe ſanguinem, & membrum refrigerandum.

Contendere

Contendere uerò, an ille ſanguis morbus ſit, uel cauſa morbi, non eſt utile arti: at cùm liber de Differ. Morb. (ut affirmat Gal. in calce cap. 12:) propter Methodi libros ſit ſcriptus, vnde in eo nihil debet agitari, quod ad curandi artem non pertineat, quæſtio propoſita de morbis reiici poteſt, cum ad curationem nihil faciat. Nihilominus cùm propoſitum nobis ſit, refutare obiectiones recentiorum aduerſus Galenum, & eius dogmata ſtabilire, ac inter præcipua eius dogmata ſit, in morbis cauſam nullam eſſe continentem, refutanda fuit opinio hæc, quæ vult materiam cauſam eſſe efficientem, unde ſtatim ſequitur continentem eſſe: & de hac cauſa ea tantùm attigi, quæ ad horum morborum naturam explicandam faciebant, nihil eorum omiſſurus, quæ ad eam pertinent in propria tractatione.

COMI-

COMITIS MONTANI

DE ALIIS MORBIS SIMILARIVM ex recentiorum ſententia.

LIBER TERTIVS.

De morbis materiæ ex Fernelio, & Argenterio. Cap. I.

HACTENVS morbos omnes partium ſimilarium explicauimus de Galeni, aliorumque antiquorum medicorum ſententia, qui ex intemperie ſunt: nec aliud morborum genus partibus ſimilaribus proprium ab illis eſt excogitatum. Medici uerò recentiores alia etiam duo morborum genera inuexerunt: cum enim Iacobus Forliuienſis in 2. Art. Med. q. 5. & in primam 1. Auic. q. 14. inter dubitationes ſuas alia morborum genera commemorauerit, dubitationesque illas non explicauerit, inde arrepta occaſione Fernelius in 2. lib. de abd. rerum cau. cap. 9. & ſequentibus, duos alios morbos præter intemperiem partibus ſimilaribus conatur infligere, quos in 1. Pathologiæ lib. 7. dialogo primi Commentarij de Vetere & Noua Med. nec dubitauit in extremo ſenio recedere à Galeni diſciplina, quam in eã uſque diem coluerat, perſuaſus à Fernelij argumentis, quæ ſic procedunt. Si qua ſunt, inquit, prætet temperamentum, à quibus pendeat ſanitas, & integritas partium ſimilarium, in eiſdem etiam morbus erit: ſed integritas & ſanitas partium ſimilarium conſtituitur non ſolùm ex temperamento, uerùm ex materia etiam, ac propria eſſentia, quæ forma, uel ſpecies dicitur, ergo in materia quoque ac forma morbi erunt: tres igitur ſimilarium ſunt morbi, intemperiei, materiæ, & formæ. Pergit deinde demon-

demōſtrare ſimul quomodo materia & forma ſint à tēperamēto ſeiuncta. Nos verò, ut planior reddatur diſciplina, argumenta & morbos iſtos ſeparabimus: ac prius videbimus quomodo materia ſit a temperamento ſeiuncta, propriosq; ac peculiares morbos habeat: poſterius ad formam veniemus. Materiam ſuas habere qualitates à temperamento diſtinctas, ſic patet. Partes ſimilares ex quatuor componuntur elementis ad miſtionem venientibus: ex quatuor primarum qualitatum miſtiōne exoritur partium temperamentum, vnde aliæ calidæ, aliæ frigidæ, aliæ humidæ, ſiccæ aliæ. Sed quia corpora etiam elementorum miſcentur, hinc aliæ partes ſunt duræ, aliæ molles: hæ raræ, illæ denſæ: quædam laxæ, compactæ quædam: atque in his conſiſtit virtus, & vitium materiæ. Has qualitates à materia elementorum prodire inde patet, quòd partes duriores terreſtres, molliores aereas eſſe dicimus. Eſſe materiam à temperamento diuerſam inde etiam probat, quòd aliæ ſimilares temperamento conueniāt, materia diſcrepent: non longe abieris, cor & pulmones eodem ſunt ferè temperamento, calido videlicet & ſicco, diuerſam tamē obtinēt materiam: cùm cor graue ſit & denſum, pulmo leuis, & rarus: aliæ contra, materia conueniunt, & temperamento diſcrepant, veluti renes frigidi, & cor calidum materiam habent denſam, & compactam. Cùm materia ſit à temperamento diuerſa, ſicuti à temperamento morbi exoriuntur, ita etiam à materia: qui tunc infeſtant, quando partes ita ſunt laxæ, fluentes, molles, tenues, raræ, leues, aut contra ita aſtrictæ, compactæ, duræ, craſſæ, denſæ, & graues, ut actiones lædant. Hos morbos corpora humana ſæpe infeſtare, quotidiana docet experientia: multos enim videmus probe temperatos labores ferre non poſſe, & externis iniurijs ualde vexari: contra alios intemperatos ſine moleſtia labores quoſcumque ſubire, & iniurias aeris uix perſentiſcere: nec cauſa ad tempermentum referri poteſt, ſed potius, quod illi ſint corpore molli, & raro: hi duro, & denſo: atque hoc non in toto tantùm corpore, ſed in qualibet etiam particula licet obſeruare: interdum enim uentriculus proba temperie præditus inſignes ſapores ferre non poteſt, & cerebrum ita affectum odores non tolerat: interdum intemperatus uentriculus cœpas, allia, piper, & ſinapi etiam ſumma cum delectatione appetit, & cerebrum intemperatum non odores tantùm, ſed fœtores etiam bene fert:

atque hoc non aliunde prouenit, quàm quia ſenſus aut nimis acres ſint, aut obtuſi, ſed hoc non ex alio ſenſus ſortiũtur, quàm ex vitio, & virtute materiæ, quia ſcilicet partes ſint aut nimis molles,& laxæ,aut denſæ & duræ. Hinc Galen. præcipit robur membrorum publico alicui muneri dedicatorum, ueluti uentriculi,iecoris,lienis cum aſtringentibus conſeruari: atque in his sẽ per relaxantia repudiat, vtpote robur diſſoluentia. Idem 2. de Tuen. Valetud. cap. 2. & 3. duras frictiones ait artus corroborare,non alia ratione,quàm quòd eorum materiam reddunt compactiorem,& ſolidiorem. Præterea cum idem 11. Metho. capit. 3. & libr. 12. capit. 5. docet uires conſeruari, ſi ſpirituum, partium carnoſarum,& ſolidarum non ſolùm qualitas, ſed etiam quantitas cuſtodiatur,quis non videat, ſicuti qualitas ad temperamentum pertinet, ita quantitatem non ad temperamentum, ſed ad ſubſtantiam pertinere, quæ partium materia eſt? Multa deinde huiuſmodi morborum profert exempla teſtimonio etiam Ruellij: ſunt enim qui habeant oſſa adeo mollia,& flexibilia, vt ex cera videantur genita,& ideo inualida ſunt, atque imbecilla: ſunt qui articulos habeant laxiſſimos, vt quamuis in partem conuertantur: in alijs muſculi ſunt adeo rigidi,ac duri,& articuli adeo intenti,vt dimoueri haud poſſint: à cauſis etiam arguere licet,nam ſi uentriculus utatur relaxantibus,imbecillus redditur ad concoquendum,veluti hauſtu immodico tepẽtis olei, atque hi omnes ſunt materiæ morbi. Atque id curatio oſtendit: reſtituuntur enim ad ſanitatem non primis qualitatibus,quæ vim habent intemperiem corrigendi,ſed ſecundis veluti aſtringentibus,relaxãtibus,emollientibus,indurantibus,& conſimilibus.

Confirmatur hoc dogma & ab Ariſtot. qui cùm ſiccum & humidum corporum noſtrorum materiam,calidum verò & frigidũ agens eſſe ſtatuat, 4. Meteor. 29. durum & molle ſicci atque humidi paſſiones eſſe ait, quod de aliis ſecundis qualitatibus etiam affirmat eodem in libr. Qui nam ſint hi morbi colligit Fernel. in libr. Pathologiæ his verbis. Materia immoderata mollis eſt aut dura,laxa aut aſtricta,tenuis aut craſſa,rara aut denſa, hæcque illius uitia morbi ſunt. Confirmantur hæc & ab Argenterio in libr. de Morb. Gener. cap. 4. qui cùm alios etiam morbos ſimilarium à Iacobo quidem tactos, ſed à Fernelio prætermiſſos afferat, operæ pretium eſt uerba eius adducere. Quinetiam ex du-

,, ritie (inquit) mollitie, raritate denſitate, craſſitie tenuitate, &
,, nonnunquam ſenſu, & colore partium actiones lædi certiſſimū
,, eſt. Si quidem ob duritiem impreſſiones in partibus difficilius
,, recipiūtur,& factæ pertinacius retinentur: quia ratione eos, qui
,, duro ſunt cerebro ad imaginationes, & formarum ſuſceptiones
,, ineptos, memoria autem plurimùm valere credimus: & partes,
,, quæ duriores exiſtunt,quoniam facile flecti nequeunt, & mol-
,, liores, eo quod non ſatis firmam naturam obtineant, ad motio-
,, nes inhabiles exiſtimamus.Galen. in Ar. Med. ingenioſos eos eſ-
,, ſe tradit, non qui exacto,aut calidiore vel frigidiore, vel ſicciore
,, aut humidiore ſint temperamento, ſed qui cerebri ſubſtantiam
,, tenuem ab initio ſortiti ſint: contra verò ingenio tardo & hebe-
,, ti eos, quibus ea craſſa contingit: ob cutis nimiam ratitatem hu
,, mores immoderate digeruntur, & ſudores copioſius emanant,
,, ob denſitatem verò parcius, quàm expediat, corpus euacuatur:
,, cùm tunica cornea proprium colorem amiſit, viſioni nocet: ob
,, exactiorem ventriculi ſenſum vomitum, ſingultum fieri, & alio
,, modo illius officia turbari docet Galen. Quæ vitia ut in morbis
,, inſtrumentariarum partium à Galeno non ſunt comprehenſa,ſic
,, ad ſimilares pertinere videbuntur. Nec tamen eius generis,qua-
,, les ſtatuuntur,qui in primis qualitatibus inueniūtur.Aliud enim
,, eſt actionem lædi à craſſitie partium,aliud à temperamēto:aliud
,, à raritate uel denſitate,aliud à calido vel frigido.

Hæc Argenterius, qui licèt poſtea morbos hoſce partium inſtrumentalium eſſe contendat, non ſimilarium, cùm tamen hic ad ſimilares eos referat, fuit & ipſe adducendus. Huiuſcemodi morbi ſolēt oculos potiſſimùm inuadere,vt licet obſeruare apud Galen.in 1.de Sympt.Cau.craſſities enim tenuis humoris viſionem impedit: eiuſdem color præternaturalis deprauatum reddit uiſum:corneæ etiam pars pupillæ obiecta,ſi craſſior & dēſior ſit,quàm conueniat,actionem videndi lædit: & ideo non temere uidentur hi neoterici hos morbos introduxiſſe:& poterant hoc ſuum decretum confirmare Hippocratis etiam authoritate,qui 6. Epid. ſec. 2. aphor.4.enumerans curandi indicationes ait, leuigare, exaſperare, indurare, emollire, nec minus Galeni authoritate eo loci.

Quomodo

Quomodo Fuchſius hæc dogmata confutet, & quomodo Forliuienſis, eorumq; reiectio. Cap. II.

FVCHSIVS 3. Inſtit. ſec. 1. cap. 4. opinionem hanc reijcit, non quod prorſus ſit falſa, ſed quia potius philoſophica, quàm medica: vnde ait. Non me latet eſſe hodie medicos, qui nimium philoſophantes non vnum eſſe in ſimilaribus partibus morbi genus, ſed præter intemperiem duo alia eſſe contendunt genera, quorum vnum ad materiam partium ſimilarium, alterum ad formam earundem referunt. Per nimium philoſophantes intelligit rem limantes ad tenue tanquam philoſophos, quod planius aperit his verbis. Sed philoſophorum hæc ἀκριβολογία eſt, quam ſtudio Galenus, & qui huius ſectantur dogmata medici, euitare voluerunt, vt qui tum materiam, tum formam, ut illi nominant, ſub temperamento complecti maluerunt. Videtur hic concedere, ſi res ad viuum reſecetur, vt faciunt philoſophi, hoc dogma eſſe verum: ſed ſi ſenſus ſequamur, vt faciunt Galen. & medici alij, dogma hoc eſſe repudiandum, cùm medicus ſolam conſideret temperiem, & morbos omnes iſtos ad eam referat: quare opinio Fuchſij erit, morbos iſtos formæ & materiæ eſſe ad temperiem referendos. Morbos formæ nunc omittamus, & quomodo id in morbis materiæ locum habeat, videamus. Ait igitur Fuchſius temperamentum confici non ſolùm ex qualitatibus elementorum, ſed etiam ex elementorum corpore, ac ſubſtantia. Quod igitur, inquit, partes quædam ſimilares ſint laxæ, aut aſtrictæ, ſeu raræ aut denſæ, id non ſit, niſi ratione temperamenti: quod certe huiuſmodi eſt, vt in hac plus ſit terreæ, in illa plus aereæ naturæ. Hinc accidit, ut cordis, renum, & iecoris ſubſtantia ſit denſa, ac dura, pulmonis verò rara ac mollis. Hæc tantum abeſt, vt euertant dogma Fernelij quod maxime id fulciunt & muniunt, immo uerò eſt præcipuum hoc Fernelij fundamentum, morbos materiæ exoriri non ex temperamento qualitatum, ſed ex temperamento corporum elementarium: quare hactenus Fuchſius facit cum Fernelio. Sed addit Fuchſius, licèt durities, mollities & reliquæ ſecundæ qualitates ex corporibus elementorum oriantur, id tamen non prouenire ſine actione calidi, & frigidi: cùm itaque

ex actione calidi & frigidi in humidum & ſiccum, partes fiant duræ, molles, raræ, denſæ, patet, has qualitates non tantùm conſequi elementorum corpora, ſed eorundem etiam qualitates, ex quibus conficitur temperamentum: vnde & hæ qualitates vocantur ſecundæ, ac ſi ex primis oriantur. Hæc ſi ſic ſe habent, conſtat iam innouationē iſtam morborum eſſe inanem, omnes enim hi ſub morbis ex intemperie comprehenduntur. Forliuienſis inter alias dubitationum ſuarum ſolutiones attulit hāc Fuchſii, cùm enim reuera ſecundæ hæ qualitates ex temperatura primarum oriantur teſte Ariſtotele ſecundo de Generat. & Corrup. 9. & teſte Galeno 5. de Simpl. med. capit. primo. mirum non eſt, ſi morbi pendentes à qualitatibus ſecundis ad primas referantur qualitates. Hoc innuens Auic. 2. 1. capit. 2. cùm tradidiſſet tria morborum genera complexionis, compoſitionis, & ſolutæ unionis, ſtatim ſubdit hæc uerba. Et omis ægritudo, quæ unam harum ſequitur, & per eam exiſtit, ei comparatur. Cùm igitur morbi ex duritie & mollitie, & reliqui eiuſdem generis ſequantur morbos ex intemperie, ac per eos extent, ad eos referendi ſunt omnino: quare non erat nouum genus morbi adducendum.

Iacobus ſuſpectam habet hanc ſuam ſolutionem, eamq; reiicit, & ea potiſſimùm de cauſa, quia ſi morbos in ſecundis qualitatibus ideo ad morbos primarum qualitatum refers, quòd ſecundæ oriantur ex primis, ſequetur morbos aſperitatis & lenitatis eſſe morbos ex intemperie, quia tam aſperitas & lenitas, quam duríties & mollities, & reliquæ conſimiles ſecundæ ſunt qualitates, & ex primis oriuntur, ſed cùm morbi aſperitatis & lenitatis ſint diuerſi à morbis intemperiei, ſic & reliqui diuerſi eſſe debent.

Præterea modus eſſet explicandus, quo hi morbi ad intemperiem reuocentur, quod experientibus difficillimum erit: immo uerò ſunt nonnulli ex his morbis, qui ad inſtrumenta potius referuntur, quam ad ſimilaria: & propterea ſolutio hæc tuta non eſt, qua de cauſa a Forliuienſi non admittitur, a quo ſumpſit & ipſe Fernelius, qui cùm uideret inſtantiam Iacobi de morbis lenitatis et aſperitatis diſſolui non poſſe, manus ei dedit et ſtatuit, eos eſſe morbos materiæ, non intemperiei.

Morbos materiæ à Fernelio uocatos aut morbos non eſſe, aut ad alios morbos à ueteribus receptos referri: & primùm de duro, & molli. Cap. III.

CVM morbi iſti materiæ uocati ſint in multiplici differentia, non poteſt vnica reſponſio difficultates in eis exorientes componere: quare ſinguli ſeorſum perpẽdendi. quoſdam enim inueniemus morbos non eſſe, quoſdam eſſe morbos ex intemperie, quoſdam inſtrumentales, vnde apparebit innouationem hanc vanam eſſe ac falſam. Certum eſt autem ex Galeno lib. de Sympt. Diff. ca. 5. omnes hoſce morbos materiæ ferè eſſe ſymptomata tactilium qualitatum, non autem morbos: earum autem cauſas eſſe morbos ex intemperie, quod apparebit ex ſingulorum examinatione. Incipiamus autem à uitijs in duritie & mollitie tanquam conſpicuis magis, & frequentioribus. Si itaque ob duritiem alicuius membri lædatur actio, ut inde arguatur, duritiem eſſe morbum, & morbum materiæ, diſcutiendum eſt, quot de cauſis durities in membris proueniat, atque id quamplurimis in locis Galen. docet: ſed locus eſt egregius 5. de Simpl. Med. cap. 4. prouenire ibi duritiem, ait, tribus de cauſis ob ſiccitatẽ, ob concretionem, & ob repletionem, quarum vnaquæque peculiarem deſiderat curationem: nam quæ ob ſiccitatem prouenit humectantia, quæ ob concretionem calfacientia, quæ tandem ob repletionem, euacuantia. Hæc cùm ita ſe habeant, patet, duritiem non eſſe morbum materiæ, nec morbum ex intemperie, ſed ſymptoma in genere diſpoſitionum oriens à uarijs morbis, interdum ab intemperie ſicca, ſi ob ſiccitatem fiat durities, interdum à frigida: ſed ſi ob repletionem, ueluti in ſcirrhis, quæ proprie durities dicitur, cùm in alijs tumoribus potius ſit appellanda renitentia, quàm durities, tunc morbus eſt ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ. De mollitie idem eſt pronunciandum, quod patebit, ſi quid molle ſit, explicauerimus. Molle eſt, inquit Ariſtot. 2. de Gen. & Corr. 13. quod cedit in ſe ipſum, & loco non mouetur: vel vt 4. Meteo. 29. molle eſt, quod cedit, & non circumfluit: aqua enim, uinum, & reliqua humida cedunt digito

prementi,ſed & loco mouentur, & digitur circunfluunt: mollia itaque ſunt,quæ in ſe ipſa cedunt,& non circunfluũt,ideſt quorum ſuperficies prementi cedit continuitatem ſuam retinens. Molle autem humidi eſt,ſicuti durum ſicci, ut refert Ariſt. eiſdẽ in locis. Confirmantur hæc & à Gale.3.de Diff.pulſ.cap.7.nam ca.6.docet quomodo gignatur durum & molle, in quibus enim exuperat elementum terreum, uel aqueum frigore concretum, dura ea omnino ſunt, in quibus uerò igneum,uel aereum elemẽtum,& aqueum etiam non concretum, ea ſunt mollia: quare uidentur omnino mollia eſſe humida, & calorem etiam liquando molle reddere: ſed non ſunt hæc nunc ad viuum reſecanda: ſatis enim eſt demonſtrare, ad quem morbum referatur immoderata mollitudo, quæ actiones lædat. Cùm itaque ſoleat prouenire mollities immoderata præ nimia humiditate, dicemus humiditatem eſſe morbum, mollitiem uerò eſſe ſymptoma in genere tactilium qualitatum, morbus interdum erit intemperies etiã calida, interdum frigida, atque humida cum affluxu, ueluti in œdemate, qui tumor mollis eſt. Patet igitur duritiem & mollitiem morbos non eſſe, ſed ſymptomata in affectibus prouenientia à morbis intemperiei.

De laxo, & aſtricto, craſſo et tenui, raro & denſo. Cap. IIII.

SECVNDO loco Fernelius laxum & aſtrictum collocat, in quo difficultas quædam exoritur: nam Gal.laxo tenſum uidetur opponere,non aſtrictum: quinto de Simpl.Medic.10.& 7.de Med.Genericis χάλασιν & τάσιν oppoſita eſſe ait:atq; id authoritate Hippocratis confirmat dicentis, δέρματος σκληρῦ μαλθαξις: συντεταμένυ χάλασις. Cùm tamen quandoque Galen.uideatur opponere aſtringentia & relaxãtia, de hoc in præſentia non contendemus:ſi itaq; ex aſtrictione aut relaxatione lædatur actio aliqua,cũ in aſtrictione clauſi ſint meatus nimis,in relaxatione patentes nimis, & aperti, quis non uideat hos eſſe morbos cõformationis,& ad partes inſtrumẽtales, non ad ſimilares pertinere? vt hinc Fuchſium falli appareat,qui oẽs hos morbos materiæ à Fernelio uocatos ad intemperiem re-

digi ſtatuit. Sequitur craſſities & tenuitas, quæ ſi lædant actiones morbi ſunt: ſed mirum eſt quomodo Fernelius hos materiæ morbos eſſe dicat, & partium ſimilarium: quomodo itidem Fuchſius morbos ex intemperie eos conſtituat, cùm tam aperte Galen. in lib.de diff.Morbor.cap.9.& 14.Metho. cap. 15. & 16. morbos magnitudinis eſſe dicat: quis enim non legit apud eum paſſim gracilitatem, atrophiam, tabemque eſſe morbos magnitudinis imminutæ: quod ſi tenuitas morbus eſt imminutæ magnitudinis, crasſities erit morb. auctæ magnitudinis neceſſariò: vnde crasſitudo humoris albuginei, & corneæ viſionem lædēs, morbus eſt cenſendus inſtrumentalium in nimis aucta magnitudine. De raritate verò & denſitudine dicendum eſt, eſſe morbos in cauitate, & ideo partium inſtrumētalium, unde & Galen. 2.de Tuen.Valet.cap.5.duplex eſſe genus affectuum ait, quod in corpore conſideratur, alterum, quod in ſimilaribus obſeruatur, de quo molle durumue dicitur, alterum, quòd in inſtrumentalibus meatuum ratione conſiſtit, quod denſum eſſe uel rarum dicitur. Rarum eſt autem, quòd meatus magnos per totum obtinet, ſicuti è diuerſo denſum, quod eoſdem paruos. Hinc patet, quantum hallucinetur Fernelius, qui rarum & denſum morbum ſimilarium eſſe aſſerit, & ad materiam pertinere: inſtrumentaliū enim eſt: quantum etiam hallucinetur Fuchſius, qui morbos iſtos omnes ad intemperiem reuocet: quāquam præter communem illam ſolutionem de raro & denſo, peculiarem hāc afferat, quod morbi non ſint, ſed cauſæ morborum: nam raritas eſt cauſa intemperiei frigidæ ob caloris disſipationem, & denſitas intemperiei calidæ ob retētionem fuliginoſorum excrementorū: in quo ut uerum ſit, raritatem & denſitatem interdum eſſe morborum cauſas, non ideo tamen aſſerendum morbos non eſſe: vidimus enim morbos eſſe, nec repugnat idem uarijs rationibus & morbum eſſe, & cauſam morbi, immo uerò tunc etiam cum cauſæ ſunt, morbi eſſe poſſunt: nam morbi aliorum morborum cauſæ ſunt. Præterea nec id perpetuò verum, quod dictum eſt à Fuchſio, raritatem frigidorum morborum eſſe cauſam, & denſitudinem calidorum, nam ſi recte conſideres, raritas uias reddit apertas ad cauſas tam refrigerantes, quàm calefacientes, & ad alias omnes: Galenus certe eo loco quem citat, tam raritatem, quàm denſitatem frigidorum morborum cauſam eſſe ait: quia

cauſam frigidorum morborum quærebat,quorum vtráque cau-ſa eſſe poteſt, ſed & calidorum etiam utraque cauſa poteſt eſſe: atque hæc de mobis materiæ recitatis à Fernelio.

De ſenſu acri. Cap. V.

VIDETVR Argenterius Fernelium ſecutus ſenſum exquiſitum inter morbos ſimilarium reponere: nam ſi verbi cauſa uentriculus exactum habeat ſenſum,facile labitur in uomitum, in ſingultum,& alia ſymptomata. Tinnitus aurium:ſcribit Gal.3.de Compoſ.Med.localium, fit aut ex flatuoſo ſpiritu, aut ob exquiſitam ſenſus audiendi ſubtilitatem: quo ſanè in loco cùm tinnitus fit deprauata auditio, & proueniat ab acumine auditus, ſequitur auditus acumen eſſe morbum, ſicuti etiam exquiſitus uentriculi ſenſus eſt morbus, qui uomitum,ſingultum,& alia ſymptomata efficit,& ſic ſtatuere videtur ſenſus acumen eſſe morbum, qui ſit in partibus ſimilaribus,nõ tamen ſit intemperies.Idẽ dixeris de acuta cernendi ui, nam ſi ad oculos uapores à uentriculo attollãtur,oriuntur ſymptomata ſuffuſioni ſimilia authore Gale.1. de Sympt.Cauſ.ca.2. Cùm itaq; ſenſus ſit quoddam pati,videtur proculdubio exquiſita uis ſentiendi eſſe vitium materiæ ineptæ ad patiẽdum, & obiecta toleranda: vnde 7.Meth. in calce indicationem adhibendorum medicamentorum ſumit ab acuitate & habetudine ſenſuũ, nam corpora,quæ ſenſus obtinent acumen,acria & mordacia reſpuunt medicamenta:quæ obtuſum habent ſenſum,admittũt, ſi ſic morbus exigat. Verùm tantum abeſt acumen,uel habetudinem ſenſus eſſe morbos,ut potius res ſint naturales, cùm ab hominis natura exoriantur:vnde Galen.3. de Sympt.Cau.in calce. „ Hominis, inquit, natura ad ſymptomatum generationem tũ facit, tum repugnat, v. gr. quibus hebetis ſenſus vẽtriculus eſt, ij nec vehementer mordentur,nec dolent, nec multa excernunt, ſed nec cardialgia laborãt,nec facile capite infeſtãtur:quibus boni eſt ſenſus, ijs omnia hæc ex facili ſuperueniunt:& lib.2. cap.5. vnà cum facultatibus enumerat facilem & difficilem ſenſum: vnde corpus imbecillum & ſenſuum acrium facile percipit dolorẽ ex leui etiam cauſa: robuſtum, & ſenſus obtuſi magna indiget

cauſa:

cauſa: vt hoc incurrat ſymptoma: vnde & 2. ad Glaucon.cap.2. In indicatione,inquit,quæ habetur ex virtute partium,quiſpiam ,, etiam reponeret & facilitatem & difficultatem ad ſentiendum:nā ,, reuera cùm obtuſo ſenſu adeſt quoddam robur ad reſiſtendum cauſis infeſtantibus: cum acuto imbecillitas: nec putes facilitatē ſenſus inducere in morbum,niſi adſit cauſa morbifica: quare Galen.6.Method.cap.2. Si cui,inquit,acu cutis pungatur, qui ple- ,, thoricus,uel cacochymus, vel acris eſt ſenſus, phlegmone tenta- ,, bitur. Hic habemus acum,puncturam,ſenſum acrem, & phleg- ,, monem: phlegmone proculdubio eſt morbus, punctura etiam morbus ex ſolutione continui: acus cauſa ſolutionis, acer ſenſus naturalis ægri procliuitas ad incurrendum in phlegmonem: nō ſunt itaq; facilis difficiliſue ſenſus morbi, ſed propenſiones quædam naturales ad ſubeundos,vel non ſubeundos morbos. Atq; hoc quidem arguit magnam imperitiam Fernelij & Argenterij, qui nullam cognoſcant diſtinctionem inter res naturales, & præternaturales, inter cauſas, morbos, & ſymptomata, ſed omnia confundant & perturbent. Cùm itaque inferunt uentriculum ob acrem ſenſum incidere in uomitum,ſingultum, aliaque ſymptomata: reſpondeo, tunc ſymptomata hæc prouenire ratione ingeſtorum:nam ſi ventriculo exactiſſimo ſenſu prædito acria ingeras,ſingultum ſanè excitabunt,aut uomitu reijcientur: ſed hic nullus aderit morbus, & vitium erit in re oblata uentriculo aduerſa. Dicent interdum huiuſmodi uentriculum omnia reijcere: reſpondeo, vix fieri poſſe,vt ob acrimoniam ſenſus uentriculus omnia reijciat: ſed fingas ita eſſe, tunc dixerim acrimoniam illam ſenſus non eſſe amplius naturalem, ſed imbecillitatem potius:imbecillitates verò intemperies ſunt,vt ante vidimus:quare erit tunc ille morbus ex intemperie aliqua.Quod verò de oculis allatū eſt ſubeuntibus ſymptomata ſuffuſionibus ſimilia ob viſus acumen: patet reſponſio ex toto 1.de Loc.affec. affici tunc oculos ob conſenſum à vaporibus à ventriculo ſublatis,quare nullus in oculis morbus. Maior eſt difficultas in tinnitu aurium, cùm prouenit ob auditus acumen,nō eſt enim tunc flatus aliquis, vel à partibus inferioribus elatus, uel in cerebro genitus, ſed aures tunc audiunt motum membranarum,qui naturalis eſt, ut innuit Galen.1.de Sympt. Cau.c.4. quare Gale.tunc nulla alia adhibet remedia,quàm quæ ſenſum obtundant. Reſponderem ad hoc,

quando id euenit, aut membranorum motum, qui ſimilis eſt pulſui, ſolitum eſſe motum, nec maiorem: aut maiorem ſolito: ſi maior ſolito, uitium potiſſimum eſt in membranis: ſi verò ſolitus ſit motus, vitium in auditu, qui ſanè tunc naturalis non eſt, ſed præter naturam: quare intemperies eſt, & ſcriptores qui tradũt curationem morborum particularium, aiunt hanc intemperiem eſſe ſiccam nimis, aut calidam & ſiccam: quare ſi Galen. ſuſtulit hoc ſymptoma cum ſtupefacientibus, dicendum eſt eum nõ ſolùm cum his ſymptoma ſuſtuliſſe, ſed etiam intemperiem remouiſſe, & fuiſſe eam non ſolùm ſymptomatis ſedationem, ſed perfectam morbi curationem.

An color ſit morbus: Fuchſii, atque Alexandrini ſententia. Cap. VI.

NVLLA eſt maior difficultas, quàm in coloribus, qui uiſionem deprauant, nunquid ſint morbi, an non: & ſi morbi ſint, in quo ſint morborum genere. Quod morbi ſint, patet, quia viſum vitiant, ac deprauant: quippe cùm humor tenuis ſi colore fuſco inficiatur, ſic affectus putat ſe per nebulam, uel fumum cernere: fuſcedo igitur humoris tenuis morbus eſt. Si quo alio colore inficiatur, obiecta uiſilia eundem colorem repræſentabunt. Idem euenit in cornea: ſi enim ad eam confluant humores ſolo peccantes colore, omnia, quæ cernentur, eodem colore prædita eſſe videbũtur: hinc icteri cis omnia pallida uel flaua apparẽt, quia cornea bile flaua eſt tincta: in hypoſphagmate uerò cùm ad eam fuſus ſit ſanguis, uidentur omnia eſſe rubra: cùm itaque colores ſint cauſæ hallucinationum iſtarum, ſequitur colorem eſſe morborum, quia cauſæ deprauatarum actionum morbi ſunt.

Fuchſius 3. Inſtit. ſec. 1. cap. 3. negat colorem eſſe morbum, ſed ſymptoma eſſe affirmat: negat etiam deprauare videndi actionem: ſed hanc à morbo deprauari ait, qui cauſa eſt huius quoque ſymptomatis: morbum autem eſſe vult humorem, qui ad corneã affluit, qui & cauſa eſt coloris, & hallucinationis. Hoc pacto flaua bilis confluens ad corneam erit morbus, & ex conſequenti cauſa eorum ſymptomatum: ſed hæc ſolutio præterquàm quòd falſa eſt, ualde incõſiderata eſt: cùm enim pronunciet humorem illum

illum eſſe morbum: quæram ego, de quo morborum genere: nã reuera nuſquam vidi humores morbos eſſe, ſed cauſas morborũ potius. Quod ſi morbus eſt, quis nã eſt morbus? intemperies ne, an mala cõpoſitio, an ſoluta vnio? at hoc nõ explicauit Fuchſius: & hac de cauſa occaſionem dedit Argenterio, hanc eius opinionem reiiciendi in ſuo comment. in Ar. Med. & ob alias etiam cauſas, quia multis ſcatet erroribus, ſed ſatis ſit reiicere, quod ad præſens pertinet inſtitutum. Falſum itaque eſt quod aſſerit humorem eſſe cauſam deprauatæ viſionis, & non colorem humoris: nam ſi flaua bilis eſt cauſa, cur obiecta uiſus flaua appareant, quis non uideat colorem illum eſſe in cauſa? ſi etiam ſanguis eſt cauſa, cur res rubræ appareant, manifeſtum profecto eſt, colorem ſanguinis, & non aliud eſſe cauſam huius ſymptomatis: ſi enim ratione humoris proueniret, a quocumque humore prouenire poſſet: ſed cùm diſcrimen oriatur inter hæc ab humorum coloribus, certum eſt colores ipſos eſſe cauſas uitiatarum harum actionum, & ideo morbos. Iulius Alexandrinus contra Argenterium ait, colorem corneæ eſſe ſymptoma, non morbum, & ideo non eſſe cauſam deprauati uiſus, morbum autem eſſe ait obſtructionem corneæ ab humoribus factam, obſtructio igitur corneæ cauſa eſt uiſus deprauati. At Argenterius multa in eo reprehendit: primùm, quod aſſerat corneam ſimilarem partem obſtrui, cùm organicæ tantum obſtruantur: ſecundò, ſi ea eſſet obſtructio, uiſum aut auferret, aut obtunderet, nõ mentito colore obiecta viſui repreſentaret: tertio, ſi ab obſtructione proueniret hic error, à quocunque humore obſtructio fieret corneæ, idem error ſequeretur: ſed alios error ſequitur flauam bilem obſtruentem, alius pituitam, alius atram bilem, alius ſanguinem: non prouenit ergo hic error ab humore obſtruente, ſed ab humoris obſtruentis colore: cùm itaque color cauſa ſit huius uitij, color morbus eſt, ut ante ſtatutum fuit. Alexandrinus pertinax iterum inſtat aduerſus Argenterium, & primam obiectionem reiicit, falſum eſſe aſſerens, partes ſimilares non obſtrui, cutis enim licèt ſit ſimilaris, cùm tamen meatus habeat occultos, facile obſtruitur: quare mirum non eſt, ſi cornea etiam poſſit obſtrui, & in hoc recte ſentit Alexandrinus, non enim repugnat partem ſimilarem affici morbo inſtumentali, vt innuere videtur Argenterius: at quia tota uis difficultatis huius ab ea conſidera-

tione pendet, an color ſit cauſa deprauati uiſus, iterum nititur ſuadere Alexandrinus, colorem hoc haud efficere, & ſic arguit: in ictericis color ille flauus diffuſus eſt per uniuerſum corpus, at in nulla alia parte lædit actionem, ergo nec in oculo: quo argumento nullum magis ridiculum eſſe poteſt: cùm enim color ſit uiſus obiectum, non eſt mirum, ſi uiſum lædat, etiam ſi nullam aliam lædat actionem: certe hic humor quatenus eſt amarus, deprauat eodem modo guſtatum, quo uiſum, quatenus eſt flauus. Præterea ſecundum Argenterij argumentum, in quo magna eſt uis, nõ refellitur, nec refelli poteſt; cùm rectè ſit deductum. Multum deinde ſe iactat Alexandrinus, vt euertat argumentum Argenterij probans colorem eſſe cauſam hallucinationis iam dictæ, ſed fruſtra, atque infeliciter, quod vnuſquiſque intelliget, qui eum ſuſtinebit legere: nolo enim ego in tot nugis refellendis tempus conterere. Stat itaque adhuc, colorem humorum eſſe cauſam deprauati viſus, neque hoc refutari poteſt, cùm veriſſimum ſit: ſed ſi hoc verum eſt, videtur etiam eſſe verum, colorem eſſe morbum: tanta enim eſt huius argumenti vis, vt Forliuienſis non potuerit alicui ſolutioni aquieſcere, & tandem pronuntiauerit hos morbos eſſe diuerſos à tribus generibus morborum tritis, & vulgatis: non fuiſſe autem repoſitos à Galeno inter cætera morborum genera, quia vnam tantum particulam infeſtant, cùm reliqua tria genera & totum corpus, & quamlibet eius partem poſſint inuadere: ſed quàm vana ſit hæc opinio, patebit ex noſtra reſponſione, qua demonſtrabitur hic adeſſe morbum aliquem ex receptis à Galeno. Fernelius primo Pathologiæ capit. 9. mira & graui breuitate nodum hunc diſſoluit, aſſerens, colorem hunc non eſſe morbum, ſed ſymptoma: non lædere actionem videndi primo & per ſe, ſed parere nouum morbum, qui actionem hanc deprauet: qui ſi morbum hunc nouum explicaſſet, magnas ei haberemus gratias, ſed cùm eſſet res maximi pretij, noluit in vulgus edere: quare cùm nihil doceat, reiiciendus & ipſe eſt, cùm ſicut alij hallucinetur, dum negat ab eo colore deprauari uiſionem: & miror ſane, non aſſeruaſſe & Fernelium colorẽ eſſe materiæ morbum cum Argenterio, ſic enim ſuorum morborum numerum ampliaſſet.

Difficulta-

Difficultatum in colore ſolutio. *Cap. VII.*

SED adeamus iã difficillimi huius nodi explicationẽ,in qua pro certo & conſtituto habendũ eſt, colorem ueram eſſe cauſam erroris huius, qui in viſione accidit, & in hoc recte ſentire Argenterium. Quòd cùm demonſtrent argumenta iam recitata,confirmari poteſt ex authoritate etiam Galen. in lib.de Oculis: qui licèt inter ſpurios collocetur,ſi dogmata eius lib.cõſideres,quæ cũ dogmatibus Gale. probe conſentiunt,habẽdus eſt inter legitimos Gal. partus, vt antea quoq; admonui,& librũ eum eſſe puto,quem adducit Gale.4.de Loc.affec.cap.2.& in lib.de proprijs libris etiam. Quod ſi codex Græcus extaret,phraſim etiam in dicendo Galeni videremus.

Galen.itaq; in 4.parte eius lib.c.6.aſſerit humiditatem nimiam corneæ viſui nocere propter quantitatem, & propter qualitatẽ: propter qualitatem,nam ſi rubra fuerit, omnia rubra facit apparere, veluti in hypoſphagmate:ſi flaua, apparebunt omnia flaua, veluti in ictericis. Hinc habetur,nõ fieri hoc ſymptoma propter humoris quantitatem,& ideo non fit ob obſtructionem, vt credit Alexandrinus: fieri autem ob qualitatem, & non ob quamcunq; qualitatem, ſed ob colorẽ, & ideo reiicitur opinio Fuchſii, & aliorum, & opinio Argenterij comprobatur. Verùm ſicuti in hac parte Argenterij opinio ueriſſima eſt,Fuchſij & Alexandrini falſiſſima, ita ex aduerſo in altera parte male Argenterius, hi uerò bene ſentiunt:nam color hic non morbus eſt,ſed ſymptoma, quod cùm ex multis aliis Galeni locis pateat, patet etiam ex 2.de Loc.affec.cap.9.vbi in tertio genere ſymptomatum reponit coloris uitium,ſiue ſit in vniuerſo corpore, ſiue in una quapiam parte, uel duabus, idque maxime in oculis vel lingua: & mirum eſt, quomodo adeo turpiter in hac hallucinatione omnes ſint hallucinati, cùm præſertim adeo prompta, facilisq; ſit difficultatis huius enodatio, nihil ut ſit facilius: eamque nos iam enodauimus in confutatione nonæ obiectionis Argenterianæ aduerſus morbi definitionem:ibi namque demonſtratum eſt, ex ſymptomate ſymptoma oriri, pendere tamẽ omnia illa ſymptomata à morbo aliquo:unde ſi mala intemperie laboret ventriculus, ita vt infelicem celebret coctionẽ, ex hac infelici cõcoctione praua

etiam ſanguinis fiet generatio in hepate, & ex hac praua ſanguinis generatione nutritio etiam membrorum vitiabitur. En quomodo ſymptoma ex ſymptomate oriatur, omnia tamen pendeāt ab intemperie ventriculi: vnde ſi corrigatur, tollētur omnia hæc ſymptomata: ſic euenit in præſenti difficultate: nam ſi obſtruatur meatus felleus, flaua bilis prohibetur à tranſitu in ſuam veſicam, & ideo per totum corpus diffunditur, & præſertim ad tunicas oculorum: atque hinc oritur diſpoſitio corneæ in mutata qualitate, ex qua diſpoſitione viſio deprauatur. En quomodo & hic ab vno morbo varia ſeſe inuicem conſequantur ſymptomata, prohibitio tranſitus bilis ad veſicam, diffuſio eius per totum corpus, malus corneæ color, & poſtremo uiſus deprauatus, & licèt vnum ex iſtis ſymptomatibus oriatur ab altero, omnia tamē pendent ab obſtructione meatus fellei. Quod color corneæ, & quicumque alius, ſit ſymptoma, ſi quis probare contendant, ineptire uideatur, cùm ſit conſtans Galeni dogma traditum tam in lib. de Diff. Sympt. cap. 4. & 5. quàm in lib. 3. de Sympto. Cauſ. cap. 5. Atqui color corneæ & humoris albuginei primò deprauat uiſum, ergo eſt morbus, inquit Argenterius. Hac in argumentatione maior claudicat, neque enim verum eſt vſquequaq;, quidquid primò vitiet actionem, morbum eſſe: nam lib. de Sympto. Diff. cap. 5. ait morbum interdum actionem primò lædere, interdum ſymptomatum interuentu: hic igitur obſtructio meatus fellei viſum deprauat non primo, ſed ſymptomatum interuentu, ut iam declaratum eſt hic, & in primo lib. latius. Ad hoc tamen validius confirmandum apponemus verba illa Galeni ex
„ cap. 6. Patet autem & quod propoſitum à nobis eſt, clare eſſe de-
„ monſtratum, omnem ſymptomatum naturam morbos præcede-
„ re, fieriq́ue nonnunquam ſymptomatum, quæ deinceps ſibi ſuc
„ cedant, veluti ſeriem quandam. A morbo quidem ipſo pri-
„ mum, ab hoc verò ſecundum, de in rurſus poſt hoc tertium, ac
„ ab illo deinde quartum. Obſtructio igitur meatus fellei morbus eſt, color flauus corneæ ſymptoma in affectu, uel mutata qualitate, ſicuti in hypoſphagmate vulnus eſt morbus, ſanguis effuſus ſymptoma in excretione eorum, quæ retineri deberent, color verò ſanguinis, à quo naſcitur hallucinatio, affectus, aut mutata qualitas: atque ita patet, colorem corneæ morbum non eſſe, ſed ſymptoma: fruſtra igitur reponitur

ab

ab Argenterio inter materiæ morbos. Dicat aliquis ex his non ſolùm non eſſe confutatum argumentum Argenterii, ſed potius confirmatum: nam ſi color eſt affectus præter naturam, & præterea viſum deprauat, quis neget, morbum eſſe, cùm duas conditiones morbum conſtituentes contineat? Reſpondeo, ſymptomata quandoque obtinere conditiones morborum, non ideo tamen eſſe morbos, quia etiam ſine illis cōditionibus eſſe poſſunt, morbi verò ſemper eas habent adiunctas neceſſariò, ſic ſtatuente Galen. in lib. de Diff. Sympto. in calce cap. 1. ubi ponens diſcrimē inter morbum & ſymptoma, Duo hæc, inquit, quo morbus ſit, omnino exiguntur, ut in genere ſit affectus, & functionem lædat, quorum neutrum ſymptomati neceſſariò adeſt, quippe quod licèt neque affectus ſit, neque actionem aliquam lædat, tamen eo ſolo, quòd præter naturam ſit, abunde definitur, Quibus uerbis ſanè non prohibetur, quin ſymptoma poſſit eſſe quandoque affectus præter naturam, & actionem aliquam lædere, ſed id tantum, quòd conditiones illæ in ſymptomate ſint neceſſariæ: eſt itaque color corneæ flauus præter naturam & affectus, & viſionē deprauat, non tamen eſt morbus, quia conditiones illæ non ſunt neceſſariæ in conſtituendo ſymptomate: prima enim conditio nunquam in actionibus læſis, nec in excretis, & retentis reperitur, ſed in tertio tantum ſymptomatum genere: altera uerò, quæ eſt actionum læſio, in omni genere ſymptomatum quandoque reperitur, nam & actio læſa quandoque, & excreta & retenta, & malæ etiam qualitates actiones lædunt: ac licèt id quandoque primo & per ſe faciant, à morbo tamen ſemper pendent, quo ſublato, & ipſa euaneſcunt. Iterum inſtabis, fieri poſſe, ut ſublata obſtructione meatus fellei, bilis, quæ unà cum toto corpore corneam fœdauerat, adhuc eam tingat, nā cùm color ille diſpoſitio ſit, id eſt res facta, & permanens, poteſt adhuc perſiſtere: ſi itaque perſiſtat, lædet adhuc uiſionem, & tamen non pendebit amplius à morbo. Reſpondeo, non repugnare hæc iis, quæ tradidit Galenus de diſcrimine morbi et ſymptomatis, unde poterit adhuc perſiſtere color ille, et uiſum deprauare, ſed breui tamen ſine remedijs ex ſe euaneſcet, cùm amplius haud foueatur ab influxu nouæ bilis. Sunt itaque hæc ſymptomata interdum adeo ſimilia morbis, ut morbi uideantur eſſe: quare et Auicen. 2. 1. diſtin. 1. capit. 6. reponit ea inter res, quæ extra ægritudines ſunt, et cum eis

tamen

tamen numerantur. His ita conſtitutis, apparet innouationem morborum materiæ à Fernelio excogitatam, merum eſſe figmentum, cùm iam demõſtratum ſit morbos illos, quos materiæ aſcribit, aut morbos non eſſe, ſed ſymptomata, aut eſſe morbos ex intemperie vel nuda, vel cum affluxu ſubſtantiæ, uel morbos inſtrumentales. Cæterùm non ſatis eſt dogma confutaſſe, niſi & rationes etiã, quibus adductus dogma hoc inſtituit, refutemus: quod ex iam determinatis erit facillimum. Sed cùm res mihi ſit cum viro hoc, qui primas ſibi ſumit in arte medica, fuſius eius errores proſequar.

Ad rationes Fernelij pro morbis materiæ. Cap. VIII.

AC Primum ſubit mihi admirari, cur Fuchſius in hac diſputatione Fernelium aſſerat nimium eſſe philoſophatum, ac ſi innuat poſſe eius dogma in philoſophia defendi, ab arte verò medica eſſe alienum ad ſenſus omnia reuocante, in quo demonſtrat Fuchſius, quàm leuiter & ipſe ſit in philoſophia uerſatus: nam opinio hæc Fernelij non ſolum ab arte medica, ſed ab omni etiam philoſophia eſt alieniſſima. Vt enim inde incipiam, vbi ſeparat formam, materiam, & temperiem partium ſimilarium à ſeſe inuicem, ac quamlibet ex his proprijs morbis laborare aſtruit, apud quem philoſophum ſeiunctionem hanc deprehendit? Eſt quidem vnaquæque pars compoſita ex materia & forma, & ex temperie etiam, ſi uis temperiem aliud eſſe à forma, ſed unamquamque ex his ſeparatim agere & pati, hoc repugnat rerũ naturæ: nam actiones omnes & paſſiones emanant à compoſito ex materia, & forma: quam enim actionem uis habere materiam? ſunt hæc omnia accidentia, & accidentia ſemper authore Ariſtot. adueniunt enti in actu: ens autem in actu non fuerit niſi ex forma, materiaq; compoſitum. Hinc itaque apertum eſt, debile eſſe eius fundamentum, & philoſophiæ ideſt rerum naturæ repugnare. Verùm expendamus uerba eius, quibus diſtinguit temperiem à materia: nam de forma ſuo loco uidebimus. Temperamentum, inquit, quum ex elementorum ſit qualitatibus, in accidentium genere meritò recenſebitur: materia uerò illi ſubſternetur: à qua pars laxa

laxa aut aſtricta, mollis aut dura, craſſa aut tenuis euadit. Vult his verbis proculdubio ſtatuere diſcrimen aliquod inter temperamentum & materiam, vt hinc habeat in partibus ſimilaribus eſſe morbos ex materia diuerſos ab intemperie: ait igitur temperamentum eſſe accidens, & ei ſubiici materiam, quod uidemus eſſe falſum, quia materia ex ſe in actu non eſt, nihil ergo ei poteſt accidere: & quod de materia informi intelligat, patet, quia ſeparat ipſam a forma: implicat præterea contradictionẽ, temperamẽto ſubijci materiam, & temperamentum eſſe accidens, cùm materia ſoli formæ ſubijciatur, forma autem ſubſtantia ſit: quare ſi temperamento ſubijcitur, temperamentum uera eſt forma, & ex conſequenti vera ſubſtantia. Præterea innuit per hæc verba concluſionem aliam multis erroribus ſcatentem: morbos videlicet ex intemperie eſſe accidentia, materiæ morbos ſubſtantiam quod falſiſſimum eſt, cùm morbus omnis ſit accidens. Præterea laxitas aſtrictio, raritas denſitas, durities mollities, quæ ſunt materiæ morbi, ſunt accidentia apud omnes philoſophos & medicos, & ideo non ſunt accidentia materiæ, ſed compoſiti ex materia & forma: & propterea licèt concedamus laxitatem & aſtrictionem, reliquasque ſecundas qualitates eſſe morbos, morbi materiæ eſſe non poſſunt, ſed compoſiti. Quamobrem per hæc uerba nihil docet, & propoſitum non aſſequitur: nam ſi temperies eſt materiæ accidens, vt ipſe fatetur, laxitas, raritas, & reliquæ ſunt & ipſæ materiæ accidentia, tam morbi ex intemperie, quàm ex ſecundis qualitatibus erunt materiæ morbi. Quoquo ſe uertat, in ſingulis eius verbis innumerabiles inuenies errores. Legit hic latinos medicos ſuperioris ætatis ſubtiles, acerrimosq; in diſputando, & ab eis anſas arripuit dogmatum innouandorũ, ſed infeliciſſime, ueluti in præſenti diſtinctione, quam rectius adhibitam uidebis a Barbaris, & pharmocopæis, ut patet apud Forliuienſem in quæſt. 11. in 1. 1. Auic. uolunt enim ipſi duplex eſſe temperamentum, alterum materiam, alterum formam inſequẽs. Temperamentum inſequens formam eſt, quod reſultat ex mutua actione primarum qualitatum inter ſe, pro introducenda forma in materia tam apte, ut actiones conuenientes illi ſpeciei poſſit perficere, ueluti actiones conuenientes humanæ ſpeciei, ſi de hac loquimur. Temperamẽtum materiam inſequens eſt, quod oritur ex occultis diſpoſitionibus materiæ, vnde non pertinet ad formã

introducendam in materia, nec ad perfectionem actionum, quæ ſpeciei congruæ ſunt, ſed potius ad proprietates quaſdam indiui duorum, veluti quòd ille abhorreat caſeum, alius allium, alius uinum: vnde inter hæc duo temperamenta illa naſcuntur diſcrimina, quod ſine primo forma nec introduci, nec cõſeruari põt, ſine ſecundo poteſt. Præterea ex primo temperamento omnia in diuidua eiuſdem ſpeciei ſunt inter ſe ſimilia, ex ſecundo nequaquam: atque hinc colligitur primum eſſe ſpeciei temperamentũ, ſecũdum indiuidui: hæc diſtinctio ſanè rerum naturæ conuenientiſſima: diſtinctio vero Fernelij alieniſſima, immo verò huic ex diametro oppoſita: nam morbi, quos ipſe ſequi vult materiam, potius formam inſequuntur: quos verò formæ morbos uocat, materiam potius inſequuntur: verum cùm hæc omnia ſint difficultatum plena in philoſophia diſcutiendarum perperam introducta fuere à medicis. Cùm itaque viri illi multa in medium attuliſſent argumenta probantia eſſe morbos non in primis tantùm, ſed in ſecundis qualitatibus etiam, ipſe morbos in ſecundis qualitatibus morbos materiæ eſſe vult, vnde in plures & grauiores incidit errores, quam illi inciderint, ut uidimus. Et certe magnum eſt huius ætatis dedecus, in qua commodiſſime Galen. legitur & Latine & Græce, noſtri tamẽ homines deterius eum intelligunt, quàm Latini ætatis ſuperioris, qui Galenum barbarum tantùm legebant, ac ex arabico idiomate in Latinum male conuerſum. Cùm deinde ſcribit in generatione ſimilarium miſceri non ſolùm qualitates, ſed etiã corpora quatuor elementorum, & ex illa miſtione oriri temperiem: ex hac ſecundas qualitates: vnde colligit, duo genera morborum diuerſa, quorum alterum ſequitur miſtionem qualitatum elementarium, alterum miſtionem corporum elementarium, & ideo hoc morborum genus pertinere ad materiam, vana eſt deductio, licèt enim corpora etiam miſceantur, & dura & mollia ſint, uel laxa & compacta, aut rara & denſa, aut craſſa & tenuia, talia fiunt non ratione materiæ tantùm, ſed qualitatum agentium: & propterea recte dictum eſt à Galeno, & ab Ariſtot. has ſecundas qualitates oriri ab actione primarum, ideoque omnes ad temperiem qualitatum primarum conſequuntur, vt clarius uidebimus procedente ſermone.

Ad primum argumentum, quo probat diuerſitatem materiæ à temperamento. Cap. IX.

NEC recte colligit diuerſitatem materiæ à temperamẽto, quia partes quædam temperamento conueniant, & materia diſcrepent, veluti cor & pulmo: aliæ contra materia conueniãt, & temperamento diſcrepent, veluti iecur & renes, quia cum partes reddantur duræ & molles, raræ & denſæ, non ſolum ratione materiæ, ſed etiam ratione qualitatum agentium non poteſt ex ſola materia iudicium ferri de ſecundis qualitatibus, ſed ex materia ſimul & agente ipſo: vnde ſimilitudo temperamenti, & ſimilitudo materiæ naſcũtur ſemper ex proportione agentis & patientis: & ideo cor eſt calidiſſimum & durum, quia dominatur in eo ignis & terra: pulmo eſt calidus & mollis, quia dominatur in eo ignis, nec adeo eſt terreus, ut cor: non poteſt igitur ſeparari temperamẽtum à materia, nec materia à tẽperamento: nam cùm per materiam intelligantur ab eo ſecundæ qualitates, quæ ex primarum miſtione oriuntur, nõ poſſunt hæ ſeparari à temperamento. Præterea nunquam inuenies partes duas, quæ eiuſdem ad vnguem ſint temperamenti, vnde dicere non potes, hæ duæ partes ſunt eiuſdem temperamenti, & diuerſam habent materiam, ut patet ex allato exemplo: cor enim & pulmo licèt calida ſint, non tamen obtinent eundẽ caloris gradum, quare non eiuſdem ſunt temperamenti: & ideo mirum nõ eſt, ſi alterum durius, alter mollior. Nec contra inuenies partes aliquas eadem præditas materia, ut dicere poſſis, hæ partes eãdem obtinent materiam, & diuerſo præditæ ſunt temperamento, ergo materia à temperamento diuerſa: quæ omnia probe colligi poſſunt ex Gal. 1. de Facul. natural. cap. 6.

Ad ſecundum. Cap. X.

NEC quotidiana experientia hos morbos in rerum naturam aſciſcit, quia corpora probe tẽperata ob mollitiem & raritatem iniurias extrinſecas non ferant, ſed ob eas incidant in morbos: primò enim negamus corpus temperatum eſſe rarum aut molle, cùm proba temperies

omni exceſſu vacet: quare ſi corpus probe temperatum eſt mediocre in primis qualitatibus, mediocre etiam eſt in raritate & denſitate, mollitie & duritie, & reliquis ſecundis qualitatibus, authore Gale. in lib. de Opt.corp.conſtitu. capit.4. Si erit itaque corpus rarum aut dēſum pluſquàm oportet,aut durum aut molle, intemperatum etiam ſit, neceſſe eſt. Præterea vt concedamus corpus ob raritatem & mollitiem haud ferre iniurias externas, videndum eſt quæ nam ſint externæ iſtæ iniuriæ: & proculdubio ſunt, quæ vim habent corpus alterandi ad caliditatem,frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem: demus igitur quempiam ob mollitudinem aut raritatem corporis incidere in huiuſmodi alterationes,ita vt eius actiones vitientur,proculdubio hic morbo erit correptus: at quo morbo? non alio certe, quàm inducto ab alteratione illa: raritas igitur & mollities non erunt morbus, ſed noua illa alteratio, quæ corpus inuaſit: inuaſit autem facile ob raritatem & mollitiem: quare raritas & mollities tunc cauſæ ſunt morbi,non morbi: nam ſi raritas & mollities eſſēnt morbi, cùm ante adeſſent,quàm corpus alteraretur,morbi erant: ſed ante iſtam alterationem erat ſanus, ergo ſanus ſimul & æger. Dicet ille, noua hæc alteratio non fuit caliditas,frigiditas, humiditas,aut ſiccitas,ſed augmentum raritatis & mollitiei,quæ plus nimio auctæ morbi factæ ſunt, veluti ſi quis caliditate aut frigiditate corpus habeat affectum, non ita tamen vt actiones habeat impeditas,& augeatur adhuc caliditas aut frigiditas,morbi fient. Recte quidem procedit ſimilitudo: ſed quæram ego, quid reddidit corpus rarius & mollius? vt dogma tuum retineas, cogeris reſpondere,cauſam raram & mollem auxiſſe raritatem, & mollitiem corporis: diſquire igitur ſex illas cauſas non naturales vocatas, quæ corpus ſolent alterare, an aliqua ſit, quæ nimia ſua mollitie & raritate corpus plus nimio reddiderit rarum & molle, nullam certe inuenies: nam qualitates iſtæ vim non habent agendi,& corpus immutādi,cùm ſolæ primæ ea ſint præditæ vi:quare applices corpori tunicam molliſſimam aut rariſſimam,talem fingas eſſe aerem,ſi in primis qualitatibus corpori erit ſimilis,nullā imprimet raritatē aut mollitiem,vt fatuus ſit,& ſenſuum expers, qui aliquid huiuſmodi ſuſpicetur. Res itaque ipſa per ſe loquitur,& nos manu deducit ad concludendum,alterationem illam fuiſſe aut caliditatem,aut frigiditatem,aut humiditatem,aut ſiccitatem,

citatem, & facile ab eis fuiſſe corpus alteratum nimiam ob mollitiem & raritatem. Mollities igitur & raritas in hoc caſu propoſito à Fernelio non morbi ſunt, ſed cauſæ morbi, quod nemo negauerit. Dicat ille, nonne ante aſſeruiſti raritatem & denſitatem excedentes eſſe morbos? aſſerui quidem morbos eſſe inſtrumentarios: at in caſu propoſito eo modo quo propoſitus eſt, non morbus eſt,ſed cauſa morbi: fingit enim corpus eſſe ſanum, ſed ob raritatem non ferre iniurias ſex rerum non naturalium: vnde raritas cauſa eſt, cur alterationes facile corpus corripiant: quod ſi & morbum eſſe contendas, non magnopere repugnabo: nam morbus erit inſtrumentarius,& morbi prouenientes ex illa alteratione erunt eius cauſa, cùm morbus morbum pariat: vnde duo erunt morbi, neuter tamen erit materiæ morbus. Quod de toto corpore conſtitutum fuit,de qualibet particula etiam cōſtituendum uenit: neque enim cerebrum,nec uentriculus, nec pars alia proba temperie prædita eſſe poteſt, & plus nimio rara aut denſa laxa aut compacta, cùm perpetuum ſit dogma, probam temperiem exceſſu omni carere.Fieri quidem poteſt vt pars intemperata,& totum etiam aliquam actionem facilius & melius exequatur, quàm temperata, & facilius etiam reſiſtat iniuriis, quàm temperata,authore Gale.lib.de Opt.Cur.Conſt.cap.4.ante citato: nam partes nimio calore affectæ frigori reſiſtunt magis, quàm mediocri temperie præditæ,uentriculus feruidus facilius cōcoquit carnes bubulas & res alias duras,quam moderatus,ſed non ideo inuehendi ſunt materiæ morbi,cùm hæc omnia ad tēperamenta pertineant. Quod ſi corpora ruſticorum intemperatorum minus ſint obnoxia iniuriis,quam corpora vrbanorum temperatorum,quia illa ſolidiora & compactiora, hæc molliora ac laxiora:primùm negare poſſumus corpora laxa & mollia eſſe temperata,vt negauimus antea:deinde dicendum exemplum propoſitum non ad morbum pertinere,ſed ad cauſam,vel ad procliuitatem incidendi in morbum:mollia enim & laxa facilius: dura & compacta difficilius morbis corripiuntur:non igitur concluditur hinc mollitiem & laxitatem morbos eſſe materiæ, ſed potius eſſe diſpoſitiones ad facile morbum ſubeundum.

Præterea aſſuetudo & inſtituta reddere ſolet corpus habile & inhabile ad tolerandos labores,& perferendas iniurias cauſarum corpus lædentium: cum itaque ruſtici orti ſint,educati,atque in-

ſtituti in laboribus, & duriſſima viuendi ratione,non eſt mirum, ſi facilius tolerent, quæ tolerant,licèt ſint intemperati,quàm vrbani in delitiis educati,licet ſint temperati: quod ſi aſſuetudo & inſtituta reddunt corpora procliuia ad morbos ſubeundos & declinandos,erunt morbi etiam ex aſſuetudine & inſtitutis inuehendi,ſicuti iſti inuehunt morbos ex mollitie & duritie, laxitate & ſoliditate, quia corpora apta & inepta reddunt morbis ſuſcipiendis.

Ad authoritates Galeni, & exempla. Cap. XI.

AT,inquit,Galen.ventriculo,& reliquis viſceribus, quæ præſunt alicui publico muneri, adhibet aſtringẽtia, & remouet relaxantia præter ea,quæ vim habent mutandi intemperiem.Poſſumus multis modis obiectũ diluere, nam etiam ſi concedamus laxitatem morbum eſſe ventriculi,non ſtatim aſſequetur propoſitum,hũc eſſe materiæ morbum:vidimus enim ante,eſſe morbum conformationis: quod ſi hæc laxitas morbus eſt,actionem amplexandi & retinendi cibum lædit:quæ facultas pendet à temperie ſicca,vnde ſi recte perſcrutemur,laxitas ventriculi,ſi morbus eſt,morbus ex intemperie humida eſt,quod ſi erit morbus ex humida intemperie,laxitas non morbus erit,ſed ſymptoma,vt antea quoque vidimus:ſed quæ nã ſunt hæc aſtringentia,& relaxantia? porrò ſolæ primæ qualitates uim habent alterandi corpus,& totam ſubſtantiam etiam immutandi,ut demonſtrauimus in diſputatione de miſtione,& propterea humida,& calida atq; humida ſunt,quæ relaxant,frigida & ſicca, quæ aſtringunt: quare omnia ad temperiem qualitatum reuocantur: quod mirum non eſt, cùm ſecundæ à primis trahant originem. Quamobrem ſi duræ frictiones corroborant, id faciunt, quia temperamentum corrigunt: ſed ſi legatur ſecundus liber de Tuen.Valet.cap.præſertim 7.& 12.indeque percipiatur cur hæ frictiones adhibeãtur molles interdum, interdum duræ, reperiet hoc argumentum nihili eſſe: nam mollis frictio adhibetur, molle vt corpus reddatur, dura vt durum: redditur autem molle,vt facilior paretur perſpiratio:durũ, ut ab extrinſecus imminentibus tutum reddatur: quare mollities & durities morbi

non ſunt,ſed diſpoſitiones,per quas redditur corpus tutũ à morbis: vnde durities cauſa eſt, quod difficulter ab extrinſecis lædatur,mollities,quod ab intrinſecis.In ſequenti argumento nimiũ philoſophatur Fernelius,cùm accidẽs ſubſtantiam eſſe affirmet, & quod formæ eſt proprium,materiæ aſcribat: nam qualitatem ſpirituum,carnoſarum & ſolidarum partium ad temperamentũ pertinere ait,quantitatem verò ad ſubſtantiam:quo quid excogitari poteſt abſurdius?Dicet ille,quando abſumitur quantitas ſpirituum,partium carnoſarum & ſolidarum;id prouenit, quia earum ſubſtantia imminuitur:bene quidem, quãdo corpus totum contabeſcit,aut in amplam molem attollitur, vt euenit Nicomacho,erunt & illi morbi ſubſtantiæ,non quantitatis,quia quod imminuitur,& accreſcit,ſub ſtantia eſt.

En quomodo ſubtiliſſimus hic philoſophus prædicamenta confundit, & quantitatem, quæ ſubſtantiæ eſt accidens,ſubſtantiam eſſe pronuntiat. Sic etiam licebit morbos ex intemperie, & reliquos omnes, morbos ſubſtantiæ eſſe affirmare, quia accidunt ſubſtantiæ: atque hæc de primo errore. Quod præterea attribuat materiæ,quæ formæ ſunt propria,inde patet: Ariſt. in 1. de Gen.& Corr.35.augumentũ & decrementũ ſecundũ formã fieri pronunciat,cũ hęc opinio ſeruet omnia apparẽtia,et omnia diluat obiecta:at iſte quantitatẽ materiæ aſcribit. Hinc etiã morborũ naſcetur cõfuſio,ſi enim abſumptio ſpirituum,partiũ carnoſarũ,,& ſolidarũ eſt morbus materiæ, qui nam erũt morbi magnitudinis? Sed Galeni verba videamus. Virium lapſus, inquit, de ,,
quo nunc agere inſtitui, qui quidem ſolidorũ corporum ſubſtã- ,,
tiæ digerendæ ſuccedit, in longiſſimis morbis ſubinde incidit, ,,
animante ex frequenti atrophia, ideſt nutriendi defectu exte- ,,
nuato: præterea in iis febribus acutis, quæ corpus liquant. Si à ,,
Fernelio petas, morbi iſti ſunt materiæ morbi: ſi à Gale. morbi ſunt magnitudinis,ut ſuo uidebimus loco, quare in aſſertandis ſuis nouis poſitionibus vir hic innumerabiles in philoſophia & medicina committit errores,& in rebus adeo apertis, vt iam poſſimus ignoſcere Argenterio. Exempla morborum, quæ affert, tam aperte ſunt morbi ex intemperie,nihil vt eſſe queat apertius & præſertim intemperiei humidæ et ſiccæ: nam miles Ruellii, & puella intemperie humida laborabant: cùm de morbis humidæ intẽperiei ſic ſcribat et Gale.c.5. de Morb. Diff. Quædam partes ,,

,, ſunt adeo mucidæ, molles, laxæ, vt non ſolùm tangentibus, ue-
,, rùm etiam aſpicientibus innoteſcant: quippe ſi particulas ipſarũ
,, manibus tractare tentaueris, illico defluere, & è digitis excidere
,, uidebis, haud aliter quàm aquam. Sicut hi ſunt morbi ex humida intemperie, ita alij, quorum affert exempla, ex ſicca: quod nõ probabo pluribus: cùm in re euidentiſſima pigeat tam diu laborare: ex Gale. loco nunc adducto apparebit eos eſſe ſiccam intemperiem proculdubio, quod nos etiam ante demonſtrauimus, cùm de ſicca intemperie diſſeruimus.

Ad argumenta ſumpta à cauſis, & à curatione. *Cap. XII.*

AD argumentum ſumptum à cauſis dicas, eas cauſas primis agere qualitatibus: & ideo vitiare temperamentum, ut ante uiſum eſt, unde immodicus olei hauſtus humectat uentriculum, quo fit, vt relaxetur: laborabit itaque ventriculus intemperie humida, & laxitas erit ſymptoma ab ea proueniens intemperie.

Erat & ratio ſumpta à ſcopis curandi: nam rara denſanda, & denſa rarefacienda, dura emollienda, & mollia induranda: quæ & ipſa inconſiderate profert, ſicuti reliqua omnia: cùm omnia hæc opera præſtentur à primis qualitatibus, quas ſolas ex Ariſtotele, & Gale. & rei natura, vim agendi habere aliàs demonſtrauimus: nam ſi non eſſent primæ qualitates, quæ rarefacerent, denſarent, mollirent, indurarent, attenuarent, incraſſarent, ſequeretur, quod quæ rara ſunt admota, aut exhibita ſua raritate rarefacerent, vnde ſpõgia applicata corpori corpus rarefaceret, denſa denſarent, craſſa incraſſarent, tenuia attenuarent, dura indurarent, & mollia mollirent: at hoc ſenſibus repugnat: non ergo ſunt ſecundæ, aut tertiæ qualitates, quæ agãt: ſed primæ ſunt, quæ opera hæc præſtent, cùm receptum ſit ab omnibus ſecũdas iſtas qualitates à primis effici: vnde Galen. eo 5. de Simpl. Med. capit. 1. vbi enumerat omnes ſecundas, & tertias qualitates, eas à
,, primis effici aſſerit. Si quidem, inquit, cùm particulatim vnum-
,, quodque non pari modo ex illis, id eſt primis & communibus
,, qualitatibus temperatum ſit, aliud ex ijs laxatorium euaſit, aliud
,, intenſoriũ, aliud emolliẽs, aut indurãs, & reliqua quæ ſequũtur:

unde

vnde cùm hæ ſecundæ, & tertiæ qualitates ſint innumerabiles, prout varia & immenſa eſt primarum qualitatum miſtio, ſtatuit eo in loco Galen. veram curandi methodum ſumi à primis quali tatibus potius, quàm à ſecundis, cùm dicat. Sed præclarius ſanè, ,, ac methodo dignius eſt, ſi miſſam facientes curationem tum ,, prolixam, tum confuſam, commodis ſpeciebus compoſitas medi ,, camentorum facultates compendio definiamus: non puris mo- ,, uendi, aut mitigandi, aut dolores ſedandi, aut per halitum dige ,, rendi, aut laxandi in triticeæ farinæ cataplaſmate facultatem ,, ineſſe dictitantes, ſed modice tum humidam, tum calidam: ac in ,, fine eius capitis enumerationem omnium ſecundarum faculta-tum eſſe modum diſciplinæ empiricis conuenientem ait: pro-greſſum verò à primis qualitatibus dogmaticis eſſe accommoda-tum. Ac vt clara ſit in hoc Galeni mens, videamus quæ ſcribit in procem. libr. 10. afferens quandam veluti concluſionem antea tractatorum. Oſtenſum eſt, inquit, medicamenta, quæ effectrici- ,, bus nominatis qualitatibus agunt, nempe caliditate, frigiditate, ,, humiditate, & ſiccitate harum miſtione effici acerba, auſtera, ſal- ,, ſuginoſa, amara, acria, dulcia, præterea extergentia, repercutien- ,, tia, attrahentia, emollientia, vrentia, ſeptica, cruſtifica, ad hæc ,, ſecundum alias actiones magis ſpeciales, ſarcotica, ſynulotica, ,, glutinatoria, tum fiſtularum, tum vlcerum, aut carnis excreſcen- ,, tiam detrahentia. Certe nunquam fieri poſſe putaſſem, repe- ,, riri hominem adeo inconſideratum, atque impudentem, qui re-cepta, ſtabilia, clara, atque euidentia dogmata Galeni auderet in fringere, & ex authoritate ipſiusmet Gal. quæ tam euidenter eius propoſito repugnet, niſi appareret talem fuiſſe Fernelium, qui co gitare non queo quomodo legerit, & intellexerit Galenum.

Sed plus nimio verſati ſumus in confutatione opinionis teme rariæ, & nullis ſuffultæ fundamentis. Nam quod Ariſt. aſſerat 4. Meteor. 29. durum & molle eſſe paſſiones humidi, & ſicci, hoc eſt materiæ, intelligendum eſt humidi & ſicci, alterati atque im mu-tati ab agente: vnde non ſolius materiæ paſſiones ſunt, ſed totius compoſiti, aut formæ potius, quàm materiæ: certe Philoponus formæ aſcribit primo de Gen. & Corr. loco ante citato.

Atque hæc ad Fernelium temere ac inconſiderate morbos materiæ introducentem: nam ad Argenterium præſenti in loco nihil eſt dicendum, cùm in eodem capite, & cap. etiam ſeptimo

ſtatuat morbos eos non eſſe partium ſimilarium morbos,ſed inſtrumentalium, de quibus quando agemus, diſcutiemus, an id ſit verum.

De morbis formæ: ex Fernelio, & Argenterio. Cap. XIII.

NITITVR deinde Fernelius & aliud morbi genus partibus ſimilaribus infligere in 2.de Abd.re.cau. à capite 9.ad calcem vſque libri illius, & vocat hoſce morbos morbos formæ,morbos totius ſubſtantiæ,formæ corruptelam,aliiſq; nominibus,vt apud ipſum videre eſt. „ Totius autem ſubſtantiæ nomine,inquit,& inſitum ſpiritum,& diuinum illius calorem,& facultates,ipſamq; formam complectimur. Ac optima ſanè ratione uidetur introduxiſſe hos morbos, nam ſi morbi eſt actiones lædere,& ideo exoriuntur morbi ex intemperie, quia lædunt actiones,prodeuntes à temperie,& morbi etiam materiæ,qui lædunt actiones,quas materia edit,multo magis in forma locum habent morbi,cùm a forma ſoleant omnes ferè prodire actiones: quare cùm impedimentum oboritur in actionibus a forma celebratis, quid aliud hoc eſſe dixeris, quàm formæ morbũ. Nam quod actiones à forma exeant diuerſæ ab actionibus tẽperamenti,& materiæ,apertiſſimum eſſe inquit:quippe cùm ſtruthiocamelus concoquat ferrum non vi materiæ,non inſito tẽperamento,non elementorũ calore,ſed inſita forma, & tota ſubſtãtia:ita & partes ſimilares corporis noſtri alimentũ aliciunt, retinent,& concoquũt non temperamẽto,non calore elemẽtari,ſed tota ſua eſſentia,ſpecie,& forma.Hinc cap. 17. ſtatuit iterum tria iſta actionum genera in partibus ſimilaribus extare in hæc verba. „ Quæcunque animantium,ſtirpium,lapidum,metallorumq; corpora gignuntur, quando ex primis quatuor rerum initiis materiam ſumunt, ſimul ex permiſtis illorum qualitatibus temperamentum ſortiuntur: ex iiſq; vires habent,quas nos primas ſimplicium medicamentorum facultates appellamus : at quando non modo qualitates, ſed etiam elementorum ſubſtantiæ in genitis rebus confuſæ etiamnum manent, ac perſiſtunt, neceſſum eſt, hinc etiam vires quaſdam ſeruari, quas in materia ſitas eſſe diximus:

mus: huiuſmodi ſunt grauitas, leuitas, mollitudo, durities, & re- ,,
liquæ à materia qualitates, quas de more ſecundas appellant, ,,
non quod aliis poſteriorem ortum acceperint, ſed quòd minus ,,
ualidæ ſint, minusque effectrices: præter has verò tertiæ ſunt à ,,
totius forma profectæ: ſi enim ſimplices qualitates viribus præ- ,,
ditæ ſunt, neceſſe eſt rerum formas, atque ſubſtantias multò præ ,,
ſtantioribus excellere. Hæ ſunt, quarum genus vniuerſum Gale. ,,
à tota ſubſtantia prodire commemorat parce admodum, timide, ,,
& obſcure, quid hoc rei eſſet, interpretatus. Ac vt opinionem ,,
ſuam conſtabiliat Fernelius, licèt contra Gale. ſit, nititur tamen
Galenum etiam vel inuitum in ſuam trahere ſententiam, cùm 2.
ad Glauc. cap. 2. dicat. Quæ immoderate laxant, ſoluunt robur, ,,
quare & membri virtutem: quæ autem ſupra modum refrigerant, ,,
natiuum calorem extinguunt: qui fortaſſis (vt nonnulli arbitran ,,
tur philoſophi, ac medici ſummi) ſubſtantia virtutum exiſtit, & ,,
ſi non hoc, ſaltem primum & maxime neceſſarium earum inſtru- ,,
mentum. Iam verò & qualitates quædam extraneæ virtutes diſ- ,,
ſoluere poſſunt. En quàm aperte tria hæc morborum genera ,,
hoc in loco Galen. conſtituat: quippe cùm relaxantia immodera-
tionem materiæ inducant, refrigerantia intemperiem, alienæ
qualitates formæ corruptelam: & ideo faſtu plenus conſueto ſic
exultat. Hac oratione Galenus læſarum virtutum cauſas tres, uel ,,
inuitus fatetur relaxantia, refrigerantia, & alienas qualitates. ,,

Quomodo tria hæc morborum genera corpus infeſtent, de-
monſtrat ex uitiis uentriculi, qui cùm ſæpe ſit adeo imbecillus, vt
concoquendi facultas valde in eo oblædatur, id tres ob cauſas
prouenire poteſt; primò ob intemperiem frigidam, ueluti in lar-
go potu frigidæ, immoderato lactucarum, aliorumque alimen-
torum frigidiorum uſu, deinde ob relaxantia, veluti in nimia olei
rerumque pinguium aſſumptione: poſtremò ob alienas qualita-
tes, veluti ob epotum uenenum, ob exhantemata, & alios quam-
plures morbos populares: vnde tandem colligit. Imbecillita- ,,
tis læſæque functionis tres hæ cauſæ tria in parte ſimilari morbo ,,
rum genera ſunt. Hæc communiter de trium morborum gene- ,,
ribus. Sed ſeorſum de morbis totius ſubſtantiæ ſic pronunciat.
Tota rei ſubſtantia perfectio eſt, & integritas, qua res vnaquæq; ,,
conſiſtit: hæc quoties immutatur, & de perfectione decedit, res ,,
tota continuo perfringitur, ipſaque illius deceſſio morbus eſt to ,,
tius

tius ſubſtantiæ. Quoniam autem omnis mutatio ſubſtantiæ aut procreatio eſt, aut corruptio: qualitatis verò alteratio, rectè uidebimur deceſſionem hanc mutationem de optimo ſtatu, totius ſubſtantiæ vel corruptionem, uel corruptelam appellare, quæ ſi nondum confirmata fuerit, ſubſtantiæ morbus eſt: nam perfecta conſumataque corruptio interitus eſt. Hinc habemus & eſſe morbos totius ſubſtantiæ,& quid ſint. Cùm itaque morbus ſit mutatio ſtatus præcedentis,& in ſubſtantia mutatio alia non ſit, quàm generatio & corruptio,ſicuti in qualitate alteratio, in quãtitate auctio & imminutio,in loco delatio, hinc ſequitur, corruptionem eſſe morbum in ſubſtantia: nam generationem nemo morbum eſſe dixerit. Quoniam verò corruptio aut fit adhuc,& in motu eſt, aut iam adepta eſt finem,& quieſcit: ideo corruptionem, quæ fit adhuc, morbum ait eſſe ſubſtantiæ: factam verò & quieſcentem non morbum amplius, ſed interitum. Hinc gangrena morbus ſubſtantiæ appellari poteſt, cùm ſit corruptio ſubſtantiæ, quæ adhuc fit: ſphacelus verò interitus, cùm ſit ſubſtantiæ corruptio ad exitum iam deducta. Erit itaque morbus totius ſubſtantiæ corruptio, quæ cùm eſſe poſſit ſine putredine, ac cum putredine, vtraque morbus eſſe poteſt. Hic eſt morbus totius ſubſtantiæ, quem licèt Galenus haud enumerauerit inter morbos partium ſimilarium, cogitur tamen uelit nolit, hunc etiam inter earum morbos aſſerere: cùm enim paſſim commemoret medicamenta agentia à tota ſubſtantia, in morbos totius ſubſtantiæ agant, neceſſe eſt: quare ex natura etiam ipſorum remediorum morbi hi in rerum naturam aſſeruntur: ſic itaque ſcribit Galen. 5. de Simpl. Med. in proœmio. Oſtenſum eſt medicamentum alterare natum eſſe aut vna quapiam qualitate, nempe calefaciendo, refrigerando, aut humectando, aut exſiccando, aut dictorum coniugatione quapiam, aut tota ſui ſubſtantia, ſicuti complura lætalium medicamentorum, nec pauca alexiteriorũ, & purgantia omnia, ac pleraque eorum, quæ epiſpaſtica, hoc eſt attrahentia nuncupant: & cap. 16. eiuſdem lib. Sed & aliud eſt, inquit, attrahẽtium genus, quod qualitatis familiaritate attrahit id, quod aliud eſt nihil, quàm totius eſſentiæ ſimilitudine, ceu quæ nutriuntur familiaria nutrimenta attrahunt. Talium medicamentorum ſunt purgantia omnia, & nonnulla alexiteriorum: & cap. 17. agens de elexiteriis ſic ait. Horum eſt natura duplex, ſi quidem

ſi quidem quædam alterant, quædam verò euacuant ex corpore „
patiente,ſeu venenum corrumpens,ſeu deleterium medicamen: „
alterant igitur aut vna qualitate, aut duarum coniugatione, aut „
denique tota ſubſtantia,euacuant totius ſubſtantiæ ſimilitudine, „
& caliditate ſubtilium partium. Adducit quinetiam Hippocr. „
locum ex 2. de Natur. Hum. context. 4. vbi communem cauſam „
morborum popularium ait eſſe morbidam aeris excretionem: „
quam Galen. exhalationem eſſe ait, quæ proprietate totius ſub- „
ſtantiæ potius, quàm ſimplici qualitate corpora infeſtet:vnde & „
in Art. Med. cap. 85. aerem non primis qualitatibus tantum, ſed „
in tota ſubſtantia alterari ait. Nec ſolùm in his locis à Fernelio „
citatis protulit hoc Galen. ſed in aliis ſexcentis,vt tritiſſimum ſit „
apud eum, eſſe medicamenta, quæ à tota ſubſtantia agant, vel à „
tota temperie, vel a totius ſubſtantiæ proprietate. His conſti- „
tutis patet iam eſſe morbos totius ſubſtantiæ, & eos nihil eſſe aliud, quàm corruptionem ſubſtantiæ ipſius: quæ cùm ſit aut ſine putredine,aut cum putredine, patet quamcunque putredinē eſſe ſubſtantiæ morbum: nam in putredine ſubſtantia corrumpi tur. Sed cùm putredo ex intemperie oriatur, ut inde liceat arguere putredinem ad intemperiem eſſe referendam, refutat hoc „
Fernelius ex curandi ſcopis: cùm enim putredo ſuum habeat „
ſcopum à ſcopo intemperiei diſtinctum,patet morbos eſſe diuer „
ſos. Res ſic ſe habere oſtendit ex febrium putridarum curatione, „
in quibus duo ſunt curandi ſcopi diſtincti & ſeparati, alter refri- „
gerandi propter calidam intemperiem: alter euacuandi propter „
putreſcentem humorem. Conatur deinde ſub certis quibuſdam „
generibus morbos hoſce totius ſubſtantiæ complecti, & genera „
illa ſumit à cauſis efficientibus. Sunt igitur morbi hi aut manifeſti,aut occulti:manifeſti quando ſubſtantiæ corruptio naſcitur ab intemperie, quæ cauſa eſt euidens, & manifeſta: tales ſunt febres putridæ ſimplices, vlcera maligna, phthiſis, iecoris, lienis, aliarumque partium putredo. Occulti ſunt,qui cæcis & abditis cauſis totam ſubſtantiam oppugnant, quorum tria ſunt genera: ſunt enim aut peſtilentes,aut contagioſi,aut venenati.

Peſtilentes ex aere cœleſtium corporum viribus inquinato ſuſcitantur,qui ſunt aut graues,aut leues,aut ſoliti,aut inſoliti.

Contagioſi externi cuiuſdam ueneni occurſu, & contagione inferuntur. Venenati ex veneno, aut intus genito, aut aſſumpto.

pto. Hæc Fernelius de morbis totius ſubſtantiæ, quem Argenterius ſectatus eſt. Ait itaque Argenterius in lib. de Morb. Gener. cap. 4. An non etiam morbos oriri in ſimilaribus partibus concedit Galen. quos ad primas qualitates minime referre poſſumus? quales ſunt febres peſtilentes, morbus Gallicus, & alij, qui maligni vocantur, & quos venena ea, quæ toto genere lethalia dicuntur, concitant: contra quos non calidis, frigidis, humidis, & ſiccis, ſed ijs, quæ tota ſubſtantia agunt, pugnamus. Quod ſi genus hoc medicamentorum ponit Galen. quòd a tota ſubſtantia, vel tota natura, non ob ſuas euidentes qualitates corporis ſimilaris mala propellit, cur etiam non eadem in corpore mala ſtatuemus, quibus illa mederi ſolent? alioqui profecto fruſtra erũt excogitata hæc alterius eſſe naturæ, quàm alia, quorum effectus ad manifeſtas primasque qualitates rediguntur.

Deinde ex natura partium etiã morbos iſtos aſtruit: cùm enim conſtent ex materia, forma, ac temperie, a materia & forma morbos ait exoriri, ſicuti & a temperie: & ad formam morbos omnes referendos eſſe cenſet, qui maligni dicuntur, & inferius a læſione etiã actionum pendentiũ a tota ſubſtantia morbos hoſce aſtruit: ait enim. Atq; hi ſanè morbi ſimilarium proprij exiſtunt non minus profectò, quàm illi, quos primarum qualitatum exceſſus cõmittit: quippe cùm attractiones, retentiones, coctionesq; nutrimenti, atq; etiam excrementorum ipſorum expulſionem in ſingulis partibus ſimilaribus perperam obiri, atq; adeo ipſas quoq; partes per malignos morbos inſigniter lædi, & homines deniq; ſæpius extingui, quàm ab alijs, qui aliter infeſtant, quotidiana docet experientia. Atq; hoc pacto a partium ſimilarium natura, ab actionum læſione, & a curandi ratione apparet eſſe morbos formæ. Quare mancus fuit Gale. qui morbos tantùm intemperiei partibus ſimilaribus aſſignauit, qui in hoc præterea errorem errori addidit, magnam præ ſe ferens inconſtantiam: cùm enim frequentiſſime morbos iſtos in ſuis commentarijs diſſeminauerit, eos tamen eo in lib. prætermiſit, in quo potiſſimum erant explicandi, cùm in eo ſibi propoſuiſſet differentias morborum omnium inuenire, & docere.

Quomodo

Quomodo Fuchſius morbos formæ reyciat: & quomodo allucinetur. Cap. XIIII.

FVCHSIVS 3. Inſtit. ſec. 1. capit. 4. ante etiam citato, cùm de morbis materiæ egimus, Galenum defendit: & ſumma defenſionis eſt, eum nullam aliam agnoſcere formam partium ſimilarium, quam earum temperaturam, & ideo ſub intemperie morbos iſtos formæ fuiſſe complexum: ſed ſtatuit duplex eſſe temperamentum: alterum primarum ipſarum qualitatum ſimul commiſtarum: alterum primorum corporum ui qualitatum illarum tranſmutatorum: unde innuit, in uerbis tantum eſſe diſcrepantiam inter Galen. & Fernelium, cùm morbi iſti totius ſubſtantiæ & formæ morbi uocari poſſint cum Fernelio, & ad intemperiem reuocentur cum Galeno: & ideo quaſi iuratus in Fernelij uerba ait. Proinde quum tota rei ſubſtantia perfectio eſt, & integritas, ,, qua res vnaquæque conſiſtit, ac quoties illa immutatur, & de per ,, fectione decedit, res tota continuo perfringitur, nihil prohibe- ,, mus illius deceſſionem morbum totius ſubſtantiæ appellari: mo ,, do interea Galen. non reprehendatur, qui illum ad intemperiem ,, retulit. Pergit deinde Fuchſius demonſtrare morbos iſtos totius ſubſtantiæ iiſdem prorſus rationibus, quibus vſi ſunt Fernelius, & Argenterius. Quare cùm ſibi propoſuerit Galenum à viris illis defendere, longe abit a propoſito, magis atque magis Galenum eorum ſubiiciens calumnijs: cùm enim taxetur Galen. quod prætermiſerit morbos totius ſubſtantiæ in explicatione morborum partium ſimilarium, hanc calumniam fulcit Fuchſius, cùm ait Gale. comprehendere hos morbos ſub intemperie: nam ſi ab eo quæras, vtram intemperiē intelligat qualitatum ne, an corporum elementarium: reſpondet, ſe corporum intemperiem intelligere, quam etiam occultam, atque abditam vocat intemperiē: atqui hæc intemperies non poteſt eſſe vlla ex illis ſexdecim manifeſtis, quas ſolas recenſuit Galenus. Stat igitur adhuc fuiſſe eum mancum, atque imperfectum. Reſpondet & ad hoc Fuchſius, cùm Galen. in lib. de Diff. Morb. doceat ratione & methodo partium ſimilarium morbos inuenire, occultæ intemperiei nullam fecit mentionem, non certe, quòd nullas eiuſmodi, ,,

,, eſſe putaret, ſed quòd eas methodo non ſubiacere putaret.

Erit igitur defenſio Galeni eum omiſiſſe in lib. de Diff. Morb. morbos totius ſubſtantiæ, quia methodo doceri non poſſunt: ibi verò de morbis agebat, quæ ſub methodum cadunt: & confirmari poteſt hæc defenſio ex ipſomet Gale. 12. Metho. cap. 5. cùm
,, ait. Alteratio in ſpiritu tum ex vitioſis prouenit ſuccis: tum ex
,, ambientis aeris malitia: præterea venenatis facultatibus, aut ani-
,, malium, quæ virus eiectant, venenis. Verùm hoc a præſenti in
,, ſtituto ſeponatur. En quomodo cauſas illas à tota ſubſtantia noxias Galenus a libris Methodi ſeponat, ac ſi methodo comprehendi haud valeant. Poteſt hæc defenſio magis adhuc ſtabiliri, quod Galen. cùm videret cauſas iſtas a tota ſubſtantia auxiliantes aut lædentes methodo haud poſſe comprehendi: propriũ de illis librum ſcripſit: & ideo non eſt reprendendus, ſi in libris methodo conſcriptis eas prætermiſerit. Librum hunc a Gale. fuiſſe conſcriptum patet ex 6. Epid. ſec. 6. in calce quinti commẽ
,, ti: vbi ait. Nec aconitum, nec argentum viuum, neque argenti
,, ſpuma, neque marinus lepus in corpus ingeſta poſſunt nobis ali
,, quam præſtare vtilitatem, ſicuti & alia multa, de quibus in illis
,, commentarijs, vbi de iis, quæ per totius ſubſtantiæ proprietatẽ
,, iuuant, aut officiunt, egimus, a nobis diſputatum eſt.

Hæc quidem defenſio adeo munita liberat Galenum a calumnijs Fernelij, ſi extant in rerum natura morbi formæ, vel totius ſubſtantiæ: redditur enim in hac defenſione optima cauſa, cur Galen. non enumerauerit eos inter cæteros morbos partium ſimilarium: & propterea Galenus quidem liber eſt. At Fernelius, Argenterius, & vna cum eis Fuchſius in maximo verſantur errore, cum putent reperiri morbos totius ſubſtantiæ, qui nulli ſunt: vnde vera & genuina defenſio Galeni erit, non egiſſe eum de morbis totius ſubſtantiæ, quia nulli ſunt huiuſmodi morbi, quod a nobis latius patefaciendum eſt, vt hunc errorem adeo inſignem ab arte noſtra eijciamus.

Nullum

Nullum eſſe formæ, vel totius ſubſtantiæ morbum. Cap. XV.

SICVTI antea demonſtratum eſt apertiſſime nullum eſſe materiæ morbum: & quos Fernelius cōtendit eſſe materiæ morbos, verius eſſe aut ſymptomata, aut cauſas morborum, aut morbos ex intemperie, aut inſtrumẽtarios, ſic in præſentia de morbis totius ſubſtantiæ ſtatuendũ eſt: atq; illud in primis nullũ extare huiuſcemodi morbũ, nec extare poſſe, quod ſic palam fiet omnibus. Hæc corruptio totius ſubſtantiæ vel formæ, aut in termino eſt, & abſoluta: aut in via. Si in termino, nō morbus eſt, ſed interitus, ſic ipſomet Fernelio ſtatuente: ſi in via, non eſt corruptio, ſed alteratio corruptioni præuia: cùm enim corruptio vnius ſit generatio alterius: ſicut in generatione forma ſubito extat: ea verò, quæ præcedunt, ſunt alterationes materiã præparantes ad formam illam excipiendam: ita in corruptione alterationes quædam præcedunt, quæ ſubiectum ſua forma exuunt, aliamq; in id introducunt: vnde ſubito ſubiectum ſolita ſua forma exuitur, & ſubito nouam formam induit. Hinc fit in Ariſtotelis, & veritatis via, vt corruptio, quæ fit, & in via eſt, nihil aliud ſit, quàm alteratio, & ex cōſequenti morbus ex intemperie, cùm alteratio motus ſit in qualitate. Dicet ipſe, corrumpitur hic ſubſtantia, & non qualitas: non eſt igitur alteratio, ſed vera corruptio, quæ ad formam pertinet. Reſpondeo, ſi id ſit verum, ea eſſe abſurda conſecutura, quòd in ſubſtantia motus erit, & contrarium, quod ex ſe patet: cùm enim corruptio, quæ fit, & in via eſt, ſucceſſiue fiat, patet: hunc eſſe motum: cumque in hac corrumpatur ſubſtantia, ſequitur, quòd eam corrumpit ei eſſe contrarium: vtrunque autem eſt contra Ariſt. qui ſubſtantiæ aſſeruit nihil eſſe contrarium, quique generationem & corruptionem, mutationem, non motum eſſe ſtatuit, indicans in generatione mutationem ſtatim fieri, cùm ſtatim vetus forma aboleatur, & ſtatim noua exoriatur. Cùm hæc ita ſint, ſequitur corruptionem in via nihil eſſe aliud, quàm alterationem, quæ fit a primis qualitatibus, quæ ſolæ vim habent immutandi ſubſtantiam in aliam ſubſtantiam, vt paſſim docet Galen. & præſertim in libro de Conſtit. Art. cap. 9. hæc ab Ariſtot. edoctus, qui genera-

tioni,& corruptioni adiūctam eſſe alterationem prædicat: quod iterum & ipſe Galen.in 1.de Facul.Natural.ca.6.apertiſſime pronunciat. Cùm itaque corruptio facta morbus non ſit,ſed interitus:quæ fit,non corruptio ſit,ſed alteratio, ſequitur nullum eſſe formæ morbum, ac ſi quis ſit morbus, morbum eſſe ex intemperie. Dicet iterum Fernelius:fateor, alterationem corruptioni præeuntem eſſe intemperiem: ſed quando hæc corruptio prouenit à cauſis agentibus à tota ſubſtantia, hanc nō eſſe intemperiem, ſed ueram corruptionem. Reſpondeo,has etiam cauſas agentes à tota ſubſtantia non alios morbos introducere, quàm ex intemperie,aut alios ab omnibus receptos, quod in ſingulis huiuſmodi morbis ab eo propoſitis demonſtrabo.

Rationes, quibus Fernelius, & Argenterius introducunt morbos formæ, nullam habere vim: vnde morbi omnes, quos enumerant, aut morbi non ſunt, aut morbi recepti ab omnibus. Cap. XVI.

TRIPLEX in primis erat ratio, qua demonſtrabatur, morbos formæ extare: prima à natura & eſſentia partium ſimilarium: altera à læſione actionum à forma emanantium: tertia à curandi modo. Prima ſic procedebat. Cùm partes ſimilares conſtent ex materia, forma, & temperamento, ſicuti in eis ex temperamento morbi oriuntur, ita etiam ex materia & forma oriri debent. Hæc ratio ex nunc dictis concidit: oſtendimus enim formæ corruptelam morbum eſſe non poſſe. Ad argumentum igitur dicendum, etiam ſi concedatur tria hæc eſſe diſtincta in partibus ſimilaribus, à ſola tamen temperie morbos emanare: quia ſola hæc uim habet agendi, alterandi partes ipſas, & etiam ſubſtantiam ipſam totam immutandi, ut oſtenſum eſt ex Galeno paulo ante: & in primo etiam libro, quando tres tantum facultates eſſe in corpore humano, quæ ſub ſenſum, & ſub conſiderationem medici ſubijciantur, temperiem ſimilarium, compoſitionem inſtrumentalium, & utrarumque unionem declarauimus

uimus; & ideo ſicuti demonſtratum eſt, nullos eſſe materiæ morbos, ita etiam pro certo habendum eſt, nullos eſſe formæ.

Concidit & ſecunda ratio, cùm aſſerit actiones naturales, vitales, atque animales eſſe totius ſubſtantiæ actiones:& ex formæ lædi corruptela: nam omnes hæ actiones à temperamento oriuntur: vt enim prætercam reliquas, & de naturalibus miniſtrantibus loquar attrahente, retinente, alterante, atque expellente, nonne Auicennas ait? His quatuor virtutibus naturalibus quatuor primæ ſeruiunt qualitates, caliditas ſcilicet, frigiditas, ſiccitas, & humiditas. Vnde vnaquæque à ſua peculiari pendet temperie, vt docet eo loci Auic. & Galen. 3. de ſympt. Cau. cap. 3. id quod nos in 2. lib. oſtendimus: & ideo ab intemperie etiam læduntur. immo verò ſi legas omnes libros Galeni de Cau. Symptom. deprehendes facultates omnes, à quibus actiones emanant, cùm intemperie laborāt, in propria eſſentia laborare: nam vt de ventriculo loquar, cuius actiones ſunt euidentiores, ob intemperiem interdum non probe, interdum plus nimio, inter dum alienas qualitates appetit: cibum non retinet, aut male, aut plus nimio: infeliciter concoquit: tarde aut feſtine nimis expellit: indicat id curatio: nam omnia hæc vitia qualitatibus manifeſti emendantur. Præterea nonne Galenus, & omnes, qui de temperamentis partium ſcripſerunt, ab actionibus partium docent earum temperamentum inuenire? Gale. ſanè in Arte Med. à cap. 9. vſque ad 70. nihil facit aliud: quare tota illa diſciplina vana eſſet, ſi actiones hæ à cauſa penderent, quæ cognoſci non poſſet. At Fernelius aſſerit actiones iſtas celebrari non a temperamento, ſed à forma, & a tota ſubſtantia: ſic enim ſtruthiocamelus ferrum cōcoquit. Reſpondeo repugnare hæc ijs, quæ iam deduximus, ab indicijs temperamentorum, & morborum curatione. Quod ſi mirum videatur ſtruthiocamelum ferrum concoquere, & id formæ ſpecificæ attribuatur à ſyderibus elargitæ, hoc eſt non docere, ſed diſciplinas deſtruere, contra ſenſum, & contra naturam pugnare: non enim minus proprio temperamēto ſtruthiocamelus coquit ferrum, quàm homo panem, equus fœnum, aſinus ſarmenta, gallina ſcorpiones, & angues: vnde magnum negotium ſyderibus faceſſunt, qui vnamquamq; abiectam actionem harum rerum terreſtrium eis aſcribunt.

Quid plura? cùm actiones omnes à facultatibus procedant, &

facultates ſint temperamenta ipſa, patet, actiones ipſas eſſe temperamentorum effectus. Id cum paſſim Gal. doceat: tum 1. de
,, præſag. ex pulſ. c. 4. ſcribit hunc in modũ. Facultatis eſſentia ſin-
,, gularum partium in ſingularum illarum poſita commodo tẽpe-
,, ramento eſt: nam tum demum quæq; munus ſuum obit ſtrenue,
,, vbi ſit temperatiſſima. Contra male fungitur, ſi intemperata ſit,
,, atque hactenus male, quatenus ſit intemperata. Ad eundem mo
,, dum cordis corpus cum immodice refrigeratum ſit, calfactum,
,, humectatum, deſiccatum, pulſus pro ſuæ intemperiei modo fa-
,, cit languidos: id quod illi eſt, offenſam facultatem eſſe.

Dices pro Fernelio, Galen. cùm loquitur de nutritione ſtatuit inter nutriens, & nutriendum familiaritatem, & ſimilitudinem totius ſubſtantiæ intercedere, ſic enim ſcribit 3. de Temp.
,, cap. 2. Omne animal conueniente ſibi nutritur alimento: con-
,, ueniens autem cuique alimentum eſt, quicquid aſſimilari corpo
,, ri, quod nutritur, poteſt: oportet igitur toti nutrienti ſubſtan-
,, tiæ cum tota nutriti natura communio aliqua ſimilitudoque ſit:
,, prorſus hic quoque non paruo exceſſus defectusque ſubſiſtente
,, in ipſis diſcrimine, quum alia magis conſentientia, ſimiliaq; ſint,
,, alia minus. Et in 2. de Alim. cap. 6. ait, ſe in lib. de Temper. & de
Medicamentorum facultatibus demonſtraſſe copioſiſſime à totius ſubſtantiæ proprietate ſuum cuique animantium generi ci-
,, bum eſſe familiarem, aſinis quidem & equis paleam, fœnum, hor
,, deum: leoni crudas animalium carnes, homini tum has omnes
,, coctas, tum panes ex frumentaceis ſeminibus cõfectos: atqui &
,, helleboro coturnices, & cicuta ſturni citra noxam veſcuntur,
,, ceu vtique eruo boues. At hæc totius ſubſtantiæ proprietas
nihil eſt aliud, quàm forma ſpecifica à temperamento diuerſa.

Vnico verbo reſpondeo, & reſponſio ante demonſtratis innititur, ſimilitudinem illam, & familiaritatem nutrientis cum re nutrienda nihil eſſe aliud, quàm ſimilitudinem, tum in primis qualitatibus, ex quibus reſultat temperies, tum in ſecundis & cæteris omnibus, quæ a primis trahunt originem. Atque id apertiſſime pronunciat Galen. 1. de Facul. Natural. c. 10. loquens
,, enim de facultate nutritoria ſic ait. Quum actio huius faculta-
,, tis aſſimilatio ſit, nec fieri poſſit, vt aſſimilentur, mutenturq; in-
,, ter ſe vlla, niſi ſocietatem aliquam, cognationemque in qualita-
,, tibus habeant, iccirco primum quidem nec quodq; animal quo

cunque

cunque cibo nutriri poteſt, nec quibus nutriri poteſt, ijs vtique protinus,& quæ ſequuntur, quæ omnia demonſtrant ſimilitudinem hanc & familiaritatem in qualitatibus eſſe: vnde quæ in pluribus qualitatibus conueniunt,citius & facilius tranſeunt in nutrimentum: quæ in paucioribus difficius,& tradius: atq; hoc inde etiam conſtat, quia nutriẽs in tota ſubſtantia immutatur: hæc autem immutatio a ſolis primis qualitatibus celebrari poteſt, vt ſæpe antea eſt demonſtratum. Scio multas hic exoriri poſſe difficultates,quæ volumen ſeparatũ deſiderarent:quare hæc mihi ſatis ſunto ad demonſtrandum, actiones iſtas omnes emanare a tẽperamento contra Fernelij decreta: & ideo ſecunda eius ratio ſumpta a læſione actionum emanantium a forma ſpecifica nulla eſt, cùm actiones omnes a temperamento emanent. Sed tertia ratio videtur eſſe validior, cùm demonſtratum ſit ex Galen. multa eſſe, quæ agant in corpus noſtrum a tota ſubſtantia tam quæ lædunt, veluti deleteria, quàm quæ proſunt, veluti alexiteria. Verùm ex iam demonſtratis facills eſt reſponſio, & hæc agere per primas qualitates, & per temperiem ipſam. Inſtabit Fernelius: fruſtra igitur tradita eſt diſtinctio a Gale. quod alia per primas agant qualitates: alia tota ſubſtantia, vel tota temperie, vel proprietate temperamenti: tot enim modis ſolet appellare: dico, quando fit immutatio in primis tantùm qualitatibus, tunc actionem illam vocari per vnam aut duas qualitates: ſed quando aliæ etiam qualitates ſecundæ, & tertiæ immutantur, tunc illam actionem prodire a tota ſubſtantia: veluti ſi quis multum piperis aſſumat, adeo vt calefiat, & exſiccetur, tunc piper agit in corpus caliditate & ſiccitate: quare corpus id, quod ante frigidus erat & humidius, calidius redditur, & ſiccius. Sed ſi quis admoueat carnibus medicamentum ſepticum, quod calidiſſimum eſt,non ſolùm carnes calefaciet plus nimio, ſed colorem etiam carnium immutabit, odorem, tactiles qualitates, & omnes tandem alias ſecundas, & ideo dicetur hæc actio emanare a tota ſubſtantia. Sed tamen certum eſt, eam emanaſſe a temperamento ſeptici,quod vim habeat non ſolùm primas qualitates immutandi, ſed ſecundas omnes, cum omnia corrumpat. Cùm itaque actio vtraque emanet prior a temperie piperis, altera a temperie medicamenti ſeptici, prior tamen actio dicitur fieri primis qualitatibus, quia corporis tantùm pri-

mas immutat qualitates: altera dicitur fieri à tota temperie, & tota ſubſtantia, quia non primas tantum qualitates corporis immutat, ſed alias etiam, & totam denique ſubſtantiam. Inſtabit iterum, cantharides ſunt calidæ & ſiccæ, lepus marinus calidus & ſiccus: hæc ſi ab homine ſumantur, illæ ueſicam, hic pulmonē exulcearbit: quod ſi ab intemperie calida & ſicca id fieri dixeris, ſequetur, quòd omnia æque calida & ſicca idem efficient: at cùm haud efficiant, ſequitur, leporem marinum, & cantharidas non exulcerare ob caliditatem & ſiccitatem, ſed à forma ſpecifica & à tota ſubſtantia. Vnde etiam ſequitur, aliam eſſe actionem à tota ſubſtantia, aliam ab vna, aut duabus qualitatibus. Reſpondeo, illas quoque actiones emanare à temperie calida & ſicca leporis marini, & cantharidum: à reliquis verò medicamentis æque calidis & ſiccis id non fieri, quia nullum aliud medicamentum inuenitur ad vnguem calidum & ſiccum in eodem gradu cum his: & propterea hæc proprie dicuntur emanare à temperamenti proprietate: quod colligitur ex 4. de Simpl. Med. cap. 15. vbi aſſerit, ex impari & diuerſa miſtura elementorum quatuor proprietates rerum conſurgere. Lepus itaque marinus, & cantharides à propria ſua caliditate & ſiccitate, quæ in alijs non reperitur eo pacto, exulcerant: atque hanc eſſe puto illam vniuſcuiuſque idioſyncraſiam ab empiricis decantatam, de qua Gale. 3. Meth. cap. 2. & 7. & hæc ea eſt temperies, quæ difficillime cognoſcitur: vnde cùm Galenus ſcribebat, ſi cuiuſque priuatim naturam explorare ad vnguem ſcirem, vtique qualem fuiſſe Aeſculapium mente concipio, talem me eſſe putarem, non puto eum conſtituiſſe hanc difficultatem in cognoſcēdo vniuſcuiuſq; temperamento, v.gr. hunc eſſe calidum, illum frigidum, alium humidum, alium ſiccum: ſed in cognoſcenda certa menſura temperamenti. Fluunt itaque omnes iſtæ actiones à temperie. Verùm cùm actiones iſtæ à tota ſubſtantia ſub altercatione maxima adhuc ſint apud medicos: nec velim ego aut huc ingerere, quæ ad morborum naturas non attingant, aut rei dubiæ, & controuerſæ inniti: aſſero tandem, quomodocunque agant hæc, ſiue per temperiem: ſiue per formam à temperie diuerſam, morbos non eſſe, ſed potius cauſas morborum: ac cùm morborum cauſæ ſint, non morbos quidem totius ſubſtantiæ, ſed à Galeno receptos inuehere: addo etiam, quæcunque à tota ſubſtantia

profunt,

profunt, non morbos expellere, ſed morborum cauſas, niſi id faciant qualitatibus notis & manifeſtis. Res erit apertior, ſi exemplis patefiat. Morſus canis rabidi vulnus infligit, & intemperiem calidam & ſiccam inducit, quæ tandem ægrum in furorem agit. Hic ſpuma canis rabidi cauſa eſt, intemperies calida & ſicca morbus quantum ad morbum exhibere debemus frigida & humida: quãtum ad cauſam, eam extrudere: cauſa autem magis trahit ad ſe curam, quàm morbus: & ideo tam cum his, quæ manifeſte educunt & extrahunt, quàm cum iis, quæ à tota ſubſtantia agũt, cauſam extrudimus: de intemperie ſolliciti non ſumus, quæ primis diebus non apparet: ſed ſi appareret, tunc aduerſus eam etiã pugnandum eſſet cum præſidiis aduerſantibus, inter quæ nullũ eſſet præſtãtius aquæ frigidæ potu: atque in hoc quidem affectu remedia omnia ferè ualent ad exturbandam cauſam, quia cauſa hæc non ſtatim morbum inducit: immo uerò Galen. in libro de Partibus Art. Med. cap. 5. horum affectuum remedia ad partem medicinæ: præſeruantem pertinere ait: quod innuit & in 2. Prorrethic. commen. 17. ubi etiam aperte teſtatur morbum hunc intemperiem eſſe calidam & ſiccam: vnde colligi poteſt & ſpumam etiam canis eiuſdem eſſe intemperiei. Contra ſe habet in cantharidibus, & aliis cauſis noxiis, quæ à tota ſubſtantia morbum ſtatim inuehunt: nam in his & cauſa abigenda, ſi fieri poteſt, & morbus inductus curandus: cùm itaque cantharides exulcerationes inducant, inflammationes, & tandem intemperiem calidam & ſiccam, exhibentur ea, quæ uomitu eas eiiciant, deinde omnia, quæ uim habeant exulcerationes conglutinandi, inflammationesque retundendi, ac totam intemperiem inductam corrigendi. Sume in manibus Dioſcoridem, Aetium, & Paulum, ac rem ſe habere, ut dixi, deprehendes, non in his tantum, ſed in reliquis omnibus deleteriis. Nos his erimus contenti exemplis in præſentia: quia cùm multos particulares morbos à tota ſubſtantia ipſe connumeret, in vnoquoque id palam faciemus.

Concludi igitur poteſt, morbos adiudicatos à Fernelio formæ, vel toti ſubſtantiæ, aut morbos non eſſe, ſed potius morbi cauſas: aut ſi morbi ſunt, morbos eſſe manifeſtos, & ab omnibus receptos. Quod vt manifeſtius appareat, diſcutiemus morbos omnes formæ aſcriptos à Fernelio eo, quo eos propoſuit ordine.

Vlcera maligna non eſſe morbos formæ. Cap. XVII.

OCCVRRVNT primò morbi totius ſubſtantiæ manifeſti, quos in 2. de Abd. rer. c. cap. 11. ita deſcribit. Manifeſti ſunt morbi omnes ex ſimplici putredine orti, vt putridæ febres ſimplices, vlcera plurima, phthiſis, ſcabies, pruritus, horumq; ſimiles: ſimplex in his eſt putredo, eaque manifeſta, quod ex manifeſtarum qualitatum intemperie sẽſim proceſſerit. Et in primo Pathologiæ, quẽ librum longe poſtea conſcripſit. Manifeſti ſunt, inquit, qui partium corporisque ſubſtantiam manifeſtis ex cauſis demoliũtur: eiuſmodi ſunt vlcera maligna, phthiſis, iecoris, lienis, aliarumq; partium putredo ex prima qualitatũ intemperie nata: & ſpiritus innati diſſolutio per vigilias, labores, inedias, atroceſq; dolores, & natiui caloris extĩctio in ſtrangulatu, vel in pen etrabili extremoq; frigore. Vt hæc accurate examinentur, repetendum eſt ſententiam eſſe Fernelij morbos totius ſubſtantiæ nihil eſſe aliud, quàm formæ corruptionem, & corruptionem hanc eſſe uel cum putredine, vel ſine putredine: & præterea corruptionem hanc prouenire à cauſis manifeſtis, & occultis. Hic itaque deſcribit corruptiones formæ cum putredine, & ſine putredine: primo loco eas, quæ cum putredine ſunt, ueluti vlcera maligna, phthiſim, iecoris, lienis, aliarumque partium putredinem, ſcabiẽ, pruritum, putridas febres ſimplices, ſtatuens hanc putredinẽ ab intẽperie manifeſtarũ qualitatum prouenire. Secundo loco eas, quæ ſine putredine ſunt, & à cauſis euidentibus proueniunt, ueluti ſpiritus innati diſſolutionem, & caloris natiui extinctionem. Examinemus itaq; ſingillatim omnes iſtas formarum corruptiones, ab vlceribus malignis incipientes. Verùm vt facilius cognoſcamus, an hæc vlcera ſint morbi formæ, diſquiramus eorum naturam, & proprietatem. Vlcera maligna cacohete vocata à Græcis authore Gale. 4. Metho. ca. 5. ſunt, quæ omnibus rite decenterq; factis, tamen non ſanantur. Hæc eſt leuis quædã eorũ ulcerũ deſcriptio notionem quidem malignitatis attingens, eſſentiam uerò non amplectens, quam inueniemus, ſi cauſam ueram eruemus, ob quam hæc ulcera difficillime ſanantur. Cauſam hanc docet Galen. 1. de Med. Gener. cap. 18. ubi ſtatuit diſcrimen inter ulcera cacohete,

& dyſe-

& dyſepulota,hoc eſt,quæ difficulter contrahunt cicatricem: nã maligna omnia vlcera difficulter contrahunt cicatricem,ſed non omnia, quæ difficulter cicatricem contrahunt, maligna ſunt: diſcrimen hoc oritur à cauſis: nam cùm ulcus difficulter contrahit cicatricem ob humorum influentium copiam, aut acrimoniam, dyſepulotum abſolute dicitur, & nondum malignum eſt: ſed ſi pars vlcerata malam quandam diſpoſitionem contraxit, qua humores influentes,etiam ſi laudabiles ſint,corrumpat,& ideo difficulter ad cicatricem ueniat, vlcera hæc maligna etiam uocantur, vt aſſerit idem Galen.in 4.lib. c.1. Mala itaque illa diſpoſitio corrumpens affluentes humores eſt malignitatis eſſentia, quæ innoteſcet,ſi mala hæc diſpoſitio perſpecta fuerit,ac cognita:atque hanc καχεξίαν vult eſſe Galen.loco nunc citato, id eſt malum habitum,qui certe nihil eſt aliud, quàm uitiatum partis temperamentum, quod ob malorum humorum influxum potiſſimum concitatur,vt colligitur ex 1.de Medic.Loc.vbi agitur de alopecia: ibi ſtatuit Galen. καχεξίαν oriri à cacochymia:ait enim cacochymiam in capitis cute collectam, niſi euacuetur, inducere cuti malum habitum, quo inducto, etiam ſi probus ſanguis ad eam nutrimenti gratia affluat, tamen corrumpitur. Erit igitur malus hic habitus intemperies inducta à vitioſis humoribus, unde erit intemperies eiuſdem generis, cuius fuerint humores illi, qui eam induxerunt. Tale eſt malignum ulcus conſtans ex multis diſpoſitionibus præter naturam,quarum præcipua ulcus eſt:adeſt malus habitus partis, quæ intemperies eſt: adeſt & humorum corruptela, & fortaſſe aliæ. Quæro itaque à te Ferneli, quem ſtatuas hic formæ morbum?vlcus ne? non certe,cùm ſolutio ſit continui: malum ne illum habitum? neque hunc,cùm ſit morbus ex intemperie: reſtat igitur ut humorum corruptela ſit morbus formæ,& hoc apte quadrat eius dogmati,cùm hic humorum forma ſit corrupta. Hinc apparet, quàm cœcus ſit vir iſte, cùm tamen adeo ſe oculatum putet, ut ſolus ipſe viderit, quæ nec Galen.nec ex ueteribus alius uiderit: hæc enim humorum corruptela morbus non eſt, nec eſſe poteſt, ſed ſymptoma exoriens ab alio ſymptomate, à uitiata videlicet coctione, cuius malus ille habitus, hoc eſt, intemperies partis ulceratæ cauſa eſt. Quod ſi hæc corruptela humorum erodat,& ulcus augeat non ſolùm ſymptoma, ſed cauſa etiam morbi eſt: & propterea hæc humorũ corruptela

vel ſymptoma,vel cauſa eſt,morbus certe eſſe non poteſt,cùm hũ morum affectus morbi non ſint,ut etiam ipſe ſtatuit: quare non inſcitiæ tantum, ſed negligentiæ & obliuionis eſt accuſandus: cùm enim 1. Pathologiæ cap. 3. diſtribuat, quæ corpus humanũ conſtituant ex præceptis Hippocratis in continentia, & contenta, & actiones etiam adhibeat. Horum, inquit, cuiuſque uitium, & de ſtatu naturali deceſſio affectus eſt, & conſtitutio præter naturam: quod autem in contentis eſt vitium, morbi cauſa eſt quod in partibus morbus: quod in functionibus ſymptoma. Cùm recte ibi conſtituat affectum humorum,id eſt contentorũ, eſſe cauſam morbi, hic tamen corruptelam humorum morbum eſſe affirmat. Ac ut magis appareat vanitas & inconſtantia huius dogmatis, 7. Pathologiæ cap. 9. loquens de malignis vlceribus ait. Horum præter vulgare humoris vitium cæca quoq; malignitas cauſa ſtatuenda,quæ vix abigi,profligariue poteſt.Talia fere ex peſtilentia relinqui ſolẽt. Habes hic duo genera malignorũ vlcerũ,alterum a cauſa vulgari & manifeſta, de quo ſermo nobis nunc eſt:alterum à cæca,quod pertinet ad morbos formæ occultos: primi generis vlcerum cauſam fatetur eſſe vulgare humoris vitium,quod eſt cacochymia malum inducens habitum:quod vitium veritate coactus cauſam morbi eſſe ſtatuit, non morbum: quod tamen innouandorum dogmatum prurigine vexatus morbum formæ eſſe alibi affirmat.His ita diſcuſſis, certum eſt, vlcera maligna morbos eſſe ſolutæ vnionis, receptos ab omnibus, non autem totius ſubſtantiæ,& cùm eorũ malignitas pendeat a malo habitu, qui intemperies eſt, hic eſt morbus ex intẽperie receptus & ipſe ab omnibus, quæ intemperies cùm humores corrumpat, qui adeo ſanitatem retardant,humorum illa corruptio cauſa eſt, vel ſymptoma,non morbus. Sed ueniamus ad reliquos.

Putredinem non eſſe morbum totius ſubſtantiæ, ſed cauſam potius morborum. Cap. XVIII.

VISVM eſt vlcera maligna non eſſe morbos totius ſubſtantiæ. Sed quoniam ex morbis totius ſubſtantiæ quoſdam eſſe cum putredine, quoſdam ſine putredine Fernelius aſſerit, & vlcera maligna adiunctam habent putredinem,vt alij multi, de quibus antea, operæ pretiũ

eſt,

eſt, antequàm alios morbos putredinem habentes adiunctam examinemus, vt demonſtremus putredinem morbum non eſſe, ſicuti ipſe putat: & licèt eius opinio ex locis ante adductis pateat, eam tamen patefaciamus adhuc magis. Cùm itaque putredo accidat ex æquo humoribus, ſpiritibus, & partibus ſolidis, omnem putredinem morbum totius ſubſtantiæ eſſe conſtituit: ſic enim ait. B. Hic multa veluti in aceruum congeris, quæ pro „ mea virili enitar paulo accuratius intelligere: primum quidem „ morbos omnes, qui ex putredine profecti ſunt, ſiue ea in ſpiriti- „ bus eſſet, ſiue in humoribus, ſiue in partibus ipſis, videris totius „ ſubſtātiæ morbos nuncupare, quemadmodum & febres omnes „ putres, & morbos quamplurimos ex humorũ corruptela natos. „ Eu. Sit ſanè, neq; hos poſſem ad intemperiei genus ullum refer- „ re. Vt enim ipſa rei ſpecies a temperamento, ita & putredo ab in „ temperie diſtat: neque putredinis vitium intemperiem, ſed po- „ tius ſubſtantiæ morbum appellarim. His prolatis, ſeiungit putredinem ab intempetie a modo curandi, quia febres ardentes curamus non ſolum calidam intemperiem refrigerantes, ſed putridos etiam humores euacuantes. Atque hæc de humorum putredine. Nec aliter ſtatuit de partium ſolidarum putredine, earum putredinem formæ eſſe corruptelam, eamq; eſſe ab intemperie diuerſam, vt modus curandi docet: ſi enim ſcribit.

Poſſum & hoc intemperati putridique diſcrimem curandi le- „ gibus ſtabilire, qandoquidem membrum inflammatum refrige- „ rando perſanamus, putridum & ſphacelatum non item, ſed præ- „ cidendum id extirpandumque eſt: nam omnino præter naturā „ cùm ſit, ſeſe auferendum indicat. Sic omnes ex putredine mor- „ bos non intemperiei, ſed totius ſubſtantiæ genere comprehendi putato. Dicat aliquis pro Fernelio, eùm aſſeuerare non putredinem eſſe morbum formæ, ſed morbos a putredine orientes. vnde de eius ſententia putredo potius cauſa eſt morbi, quod modus loquēdi indicat: cùm morbos ex putredine, & morbos a putredine profectos uocet. Reſpondeo, licèt ex modo loquendi ſic poſſit colligi, reuera tamen dogma eius eſſe: putredinem ipſam morbum eſſe: ptobat enim putredinem eſſe diuerſam ab intemperie ex modo curādi: ex qua probatione nihil aliud poteſt inferri, niſi putredinem eſſe morbum ab intemperie diſtinctum.

Præterea ſi ſentiret ipſe putredinem eſſe cauſam morbi, non

morbum,

morbum,dogma eius ex ſe corrueret: quia ſublatā putredine vel humorum, vel partium, morbum iſtum totius ſubſtantiæ ne cogitatione quidem fingere potes, vt clarius videbimus. Certum igitur eſt de Fernelij ſententia putredinem eſſe morbum formæ, vel totius ſubſtantiæ,ſed in paulo ante citatis verbis id patet. Neque putredinis, inquit,vitium intemperiem, ſed potius ſubſtantiæ morbum appellarim. In his Fuchſius aſſerit Fernelium nimis eſſe philoſophatū, ac ſi dogmata hæc defendi poſſint in philoſophia. Atqui ego aſſero nihil eſſe magis repugnans naturali philoſophiæ: nam ſi putredinem capias, vt capitur ab Ariſtot. 4.Meteor.6. ex putredo cadaueribus tantum euenit animalium, non animalibus ipſis viuentibus. At quis adeo ſit fatuus,qui cadauera morbo affici dicat? Sed quoniam putredo illa naturalis eſt, & poteſt etiam putredo præter naturam inuadere partes humani corporis,veluti ſpiritus,humores, & partes ſolidas, per quam forma partium corrūpitur,videbitur hæc ſaltem eſſe morbus formæ,cum formæ ſit corruptela. Ad hoc reſpondeo,neq; tunc vllo pacto putredinem eſſe morbum: nam per putredinem capimus aut eam,quæ iam facta eſt,atq; abſoluta: aut quæ adhuc fit,& in via eſt. Quæ iam facta eſt,morbus dici non poteſt, quia iam forma partis corrupta eſt, & rei corruptæ morbus eſſe non poteſt: vnde & ipſe Fernelius corruptionem factam non morbum,ſed interitum dicebat eſſe: quæ verò fit, neq; hæc poteſt eſſe morbus, formæ præſertim: nam hæc putredo fit à primis qualitatibus inter ſe pugnātibus,in qua pugna paſſiuæ qualitates actiuas ſuperant, ſicuti in generatione actiuæ ſuperabant paſſiuas: quare tota illa actio alteratio eſt: vnde ſi morbum dicas, non morbum formæ,ſed temperiei dicas,neceſſe eſt.

Cùm hæc phyſicis notiſſima ſint, non enitar ego pluribus ea demonſtrare. At dicat Fernelius: cùm alterationes hæ formam corrumpant,morbi formæ dicendæ ſunt. Reſpondeo,ſi hoc admittatur,admittendum eſſe etiam reliquos omnes morbos ex intemperie,quos explicauimus,inſtrumentales, & ex continui ſolutione,quos explicabimus,eſſe morbos formæ & totius ſubſtantiæ, cùm lethum afferunt: formam enim omnes morbi iſti corrumpunt: quare morbi omnes eſſent vnius atque eiuſdem generis,& vanæ eſſent omnes differentiæ,ac ſuperuacaneæ.

Verùm arguit ipſe,putredo ab intemperie ſeiuncta eſt, quod

modus

modus curandi indicat, nam in febribus putridis duplex eſt curandi ſcopus: alter refrigerandi intemperiem calidam: alter humores putridos euacuandi: ſic & in membris inflãmatis, & ſphacelo correptis: nam inflammationem refrigeramus, & partem corruptam præcidimus. Si itaque putredo diſtincta eſt ab intemperie, intemperies eſſe non poteſt: ſi non intemperies, ergo morbus formæ. Pudet me ineptias haſce refellere. Sed cùm vir hic tantæ ſit authoritatis, vt omnibus ſtudioſis poſſit imponere, liceat mihi eius authoritatem infringere, ne animi ſtudioſorum ea permoti falſis præceptis imbuantur. Quis non videat, argumentum hoc nullius eſſe momenti? licèt enim putredo ab intemperie ſit ſeiuncta, non ſequitur ſtatim, putredinẽ eſſe morbum: nam cùm ſit præter naturam, nec morbus eſſe poſſit, vt ante deductum eſt, aut cauſa morbi eſt, aut ſymptoma morbum inſequens: cum itaque putredo facit intemperiem, veluti cum humorum putredo febrem excitat, morbi cauſa eſt, vt elegantiſſime docet Galen. in 11. Metho. cap. 9. vbi explicat ſeriem multarum diſpoſitionum præter naturam in febribus putridis, quarũ aliæ ſunt cauſæ morbi, aliæ morbi, aliæ ſymptomata: multitudo humorum uenas obſtruẽs cauſa eſt morbi, obſtructionis ſcilicet obſtructio morbus viarum, cauſa eſt prohibitæ tranſpirationis: prohibita tranſpiratio, quæ ab obſtructione inducitur, ſymptoma eſt ex excrementorũ retentione, quod ſymptoma cauſa eſt putredinis: putredo uero febris cauſa eſt: & ꝓpterea cum putredo parit intemperiem, cauſa eſt morbi. Sed ſi ab intemperie oritur, ſymptoma potius eſt, veluti in partibus ſolidis, quæ ob inflammationes deueniũt ad putredinem: nam cum inflammatio ſit intemperies cùm materiæ affluxu, quando admodum inualeſcit, ſolet obſtruere uenas, atque arterias, quo fit, vt pars inflammata priuetur perſpiratu & nutrimento: at hæc conſequuntur corruptio & putredo partis: quare corruptio hæc & putredo ſi ad intẽperiem, & ad obſtructionẽ referatur, quoddam eſt ſymptoma: ſi verò refertur ad partes integras finitimas, quas trahere in contagium poteſt, cauſa morbi potius dicenda eſt: & ideo pars illa corrupta præciditur, ne ſanam contaminet, & corrumpat. Hinc fit putredinem, licèt ab intemperie ſeiuncta ſit, morbum tamẽ non eſſe, ſed cauſam morbi, aut ſymptoma ex morbo oriens. Symptoma eſſe declarat quod ſcribit Gal. 5. de Simpl.

Med.cap.14:ſeptica medicamenta ita vocari, licèt non ſint vere putrefacientia ſympomatis ſimilitudine, cùm vtraque corrum-
,, pant corpus citra doloris ſenſum. Multis enim modis, inquit,
,, corrumpi quid poteſt, ſi quidē quæ nimio plus refrigerata ſunt,
,, aut excalfacta, tum exſiccata, aut humectata, ea omnia corrum-
,, puntur, cæterum non quidquid corrumpitur, putreſcere dici-
,, mus, ſed quibus id cum fœtore accidit. Hinc patet, putredinem & corruptionem quamcunque eſſe ſymptomata, ſimptoma autem hoc erit mala qualitas. Satis ſuperq; hæc eſſe poterant ad explodendos morbos omnes manifeſtos ex formæ corruptela cum putredine a Fernelio inuectos, ſed vt magis atque magis pateſcant eius ineptiæ, reuertamur ad diſcutiendos ſigillatim morbos omnes ab ipſo adductos.

Phthiſim morbum corruptæ formæ non eſſe. *Cap. XIX.*

POST maligna vlcera apponit Fernelius phthiſim, quam tabem Latini vocant. Solet autem Galen. atque Hippocr. duos affectus præter naturā per phthiſim ſignificare: prior eſt imminutio totius corporis, vel partis alicuius, quam etiam atrophiam vocant: cùm enim corpus totum, aut pars eius aliqua non nutritur, imminuatur, & cōtabeſcat, neceſſe eſt: de hac Galen. in lib. de Morb. Diff. cap.9. & de Sympt. Diff. cap.4. alter eſt extenuatio totius corporis cum febre tenui oriens ex inſanabilibus pulmonis vlceribus, quā Græci pthoem uocant, vt tradit Galen.7. Aphor. comment.16. Cùm itaque phtiſiis duos affectus ſignificet, & prior putredinem adiunctam non habeat, de altero intelligat Fernelius, neceſſe eſt. In quo cùm multi ſint affectus, vlcus pulmonis, febricula, & totius corporis extenuatio, corporis quidem extenuatio putredinem adiunctam non habet: febricula minus, cùm hectica ſit, putredo igitur adiuncta eſt vlceri, quod ipſe indicat in 5. Patholog. cap.10. vbi cùm multa de hoc affectu dixiſſet, hæc addit ad præſens inſtitutum pertinentia.

,, Confirmato, ac iam inueteraſcente vitio, putris pulmonis por-
,, tio interdum exit, & ſputum carbonibus iniectum, aut etiam per

ſe graue olet; ſæpe id etiam halitus contagione imprudentes labefactat. Habemus hic corporis extenuationem, quam ſi morbum eſſe velis, morbus erit magnitudinis. Habemus febriculam, quæ hectica eſt, & morbus ex intemperie. Habemus vlcus pulmonis, quod eſt morbus ex ſoluta vnione. Nullus igitur ex his morbus formæ: relinquitur putredo pulmonis: hanc itaque ſolam ſtatuere poteſt formæ corruptelam. Sed cùm iam demonſtratum ſit, partium putredinem morbum non eſſe, ſequitur neceſſariò, phthiſim non eſſe reponendam inter morbos formæ. Sed & hoc in morbis ſtatim appoſitis iterum enucleabimus.

Pulmonis, iecoris, lienis, aliarumque partium tam intimarum quàm extimarum putredinem morbum non eſſe. Cap. XX.

PHTHISIM antea protulit eſſe morbum totius ſubſtantiæ ob pulmonis putredinem in ea apparentem: quare huic pulmonis putredini addit etiam aliorum viſcerum iecoris, lienis, aliarumq; partium putredinem orientem ex primarum qualitatum intemperie. Hoc licèt antea confutauerimus ex putredinis natura, & differentijs, iterum tamen eſt confutandum ex natura putredinis deſcripta ab ipſomet Fernelio, vt nullum ei, aut eius ſectaroribus confugium relinquamus. Ipſe igitur 2. de Abd. Cau. cap. 10. Res, inquit, vnaquæque ,, putreſcit, cùm eius temperie ſenſim diſſoluta proprius natura- ,, liſque color euincitur, ac deficit, ſiue ab ambiente calore diſſipa ,, tus ſiue à frigido, aut ab alienis qualitatibus extinctus. Cùm hic ,, immutet Ariſt. definitionem, non conſiderabo, recte ne an ſecus id faciat, ſed eam admittens demonſtrabo, putredinem morbum eſſe non poſſe. Ex hac definitione habemus cauſas putredinis, & modum etiam, quo fit. Cauſæ tres tradũtur calor ambiens, frigus, & alienæ qualitates: modus verò, quo fit, eſt, quòd cauſæ iſtæ ſenſim partium temperiem diſſoluunt, qua diſſoluta calor naturalis euincitur, & deficit.

Tertiam cauſam in præſentia omittemus, quia ad morbos occultos pertinet. Reliquas duas penſitabimus calorem, & frigus. Sed prius aduertendum eſt, ab eo hoc in loco ſtatui, temperiem

partium,

partium,& calorem naturalem res eſſe diuerſas, quod eius dogmatibus conſentit; cùm temperiem qualitatem eſſe ſtatuat: calorem vero naturalem ſubſtantiam. Innuit igitur putredinem fieri a calore & frigore hoc pacto, quod immutent ac diſſoluant partis temperamentum,ad cuius diſſolutionem conſequatur caloris naturalis diſſipatio, aut extinctio: diſſipatio fortaſſe cùm cauſa putredinis eſt calor,extinctio,cùm eſt frigus. Hic quæro, quando adſit putredo,an cùm diſſoluitur temperies,& calor diſſipatur,an cùm iam diſſoluta eſt,& calor diſſipatus extinctusque: & ſanè putredo oritur,cùm diſſipatus,aut extinctus,iã calor eſt: ſic enim ipſe ait. Refrigerato, & extincto calore, naturalis, & aqueus humor dominatur, vndique redundat & diffluit,quippe nec iam aliunde coercitus, nec ſicco temperatus. Et paulo infra. Calore demum fracto, & debilitato humor euagatur,ac diffluit, caloriſq; vi & dominio deſtitutus computreſcit: cui ferè comes eſt fœtor, & graueolentia. Si putredo aduenit, ipſo Fernelio teſte, diſſoluta iam temperie, diſſipato atque extincto calore,neceſſe eſt partem putrefactam iam corruptam eſſe, anima & vita orbatam. Quis igitur dicat,partem hanc morbo affici, cùm ad interitum iam deuenerit? Cautius quidem alibi aſſerit, corruptionem totius ſubſtantiæ nondum confirmatam eſſe ſubſtantiæ morbum, perfectam verò & conſummatam interitum. Sed a ſe ipſo poſtea,vt dogma tueatur,cogitur diſſentire. At inquiet, ſe non putredinem factam,verùm quæ fit, & in motu eſt, intelligere. Hæc autem reſponſio nihil eſt, cum putredo ipſo authore interitui ſuccedat,vt inter morbos enumerari haudquaquam poſſit. Subdet, non ſe putredinem,quæ fiat,intelligere,ſed præuiã putredini diſpoſitionem. Reſpondeo, præuiam illam diſpoſitionem fieri per ipſum a duabus cauſis: tertiam enim omittimus nunc, a calore videlicet ambientis diſſipante, & a frigido extinguente. Cum itaque præuia hæc diſpoſitio a qualitatibus præparetur,quid aliud dicas eam eſſe,quàm alterationem: & ſi morbus ſit, ad intemperiem eſſe referendam? Minutim proſequor omnia, vt manu quaſi ipſa deducam rudiores in veritatis cognitionem, quo tandem diſcant Hippocr.& Gale.lectioni aſſueſcere; ac limatulos iſtos nouarum opinionum authores aut reſpuere,aut tanquam canem è Nilo deguſtare,cum maiora & periculoſiora monſtra in eorum voluminibus,quàm in Nilo lateant.

Atque his iam confectum eſſe arbitror,nec pulmonis, nec iecinoris,nec aliarum partium tam intimarum, quàm extimarum putredinem morbum eſſe. His addebat ſcabiem, pruritum, & febres putridas ſimplices: de febribus inter diſputandum viſum eſt: de pruritu & ſcabie videbimus alibi. Satis ſi nunc ſit, morbi ex putredine oriantur, putrdinem illam morbum ſubſtantiæ non eſſe, cum de omni putredine hoc iam ſit demonſtratum.

Atque hæc de formæ corruptela cum putredine ob intemperiem proueniente. Veniamus ad reliquos morbos manifeſtos totius ſubſtantiæ ſine putredine.

Spiritus innati diſſolutionem non eſſe morbum totius ſubſtantiæ. Cap. XXI.

POST morbos totius ſubſtantiæ cum putredine prouenięte à cauſis manifeſtis apponit quoſdam alios morbos totius ſubſtantiæ ſine putredine à cauſis prouenientes euidentibus: & primò ſpiritus innati diſſolutionem,per vigilias,labores,inedias, atroceſque dolores. Solas enim has nunc cauſas enumerat gratia exempli, cùm aliæ multæ ſint & ab ipſo recitatæ eodem 1. Pathologiæ ca. 20. & deſumptæ à Galeno 12. Methodi cap. 5. necnon 1. ad Glauconem ca. 14. Verùm cùm multa ſint ſpirituum genera,videndum eſt,an de omnibus hoc ſentiat an de aliquibus tantum,ac de quibus: atque hoc ex eius decretis ſumendum eſt. Cùm itaq; in 4. lib. Natural. Med. c. 10. ſtatuat alios eſſe ſpiritus influentes,alios inſitos: influentes autem ſint animales,vitales,& naturales etiam, nam & hos admittit,quos inter cōtenta reponit:inſiti verò ſint cœleſtes,atq; ætherei, quos inter continentia enumerat, cùm & ipſi concurrant ad partium ſimilarium conſtitutionem: vnde in lib. 1. Patholog. c. 3. dicebat: Partem, dico, quæ ex ſolida ſabſtantia, & carniformi, ,,
atque ex innato ſpiritu,in quo natiuus calor & facultas ineſt,cō- ,,
ſtituitnr: de hoc ſpiritu tantum intelligit, cum in ſpiritibus influentibus & cōtentis morbum eſſe neget, quia partes corporis haud ſint. Eſt igitur conſiderandum, an huius ſpiritus diſſipatio ſit morbus totius ſubſtantiæ: ac cum Galen. de hoc ſpiritu & eius morbo nihil ſcripſerit,videndum eſt ex iis, quæ de aliis ſpi-

ritibus ſcripſit,an poſſimus notitiam nobis, & explicationem hu ius difficultatis comparare. Cum itaque locis iam citatis vires & facultates corpus regentes in partibus ſolidis, carnoſis, & in ſpiritibus inſidere affirmet, inde colligitur in morborũ curatione rationem eſſe ſpirituum habẽdam, ſiquidem vitio ſpirituum vires ſoleant collabi, duplex autem eſt vitium in ſpiritibus, vt docet 12.Metho.ca.5.quo vires noxam ſubeunt, alterum in ſubſtantia,alterum in qualitate: in ſubſtantia,quando diſſoluitur,& diſſipatur: in qualitate, quando mala afficitur intemperie. Sed nobis de priore tantum vitio eſt agendum. Conſtat ex Galeno diſſipationem & diſſolutionẽ ſpirituũ inducere virium lapſum, qui ex actionum læſione innoteſcit:vnde ſi ſpiritus animales diſſipentur, actiones animales languidæ redduntur,quod facile demonſtratur ex Galeni experimento lib.de Vſu pulſ.cap. 2. ſi vitales,vitales actiones debilitantur. Cum diſſipatio ſpirituum actiones lædat primo & per ſe,diſſipatio ſpirituum morbus ſit,neceſſe eſt: ſi vera ſunt, quæ de morbi natura in eius definitione explicanda à nobis ſunt tradita. At quod nam genus eſt morbi? non intemperies: nam aliud eſt ſpiritus diſſipari,aliud intemperie affici non mala compoſitio,nam hæc pertinet ad inſtrumẽta, quæ ex ſimilaribus componũtur,at ſpiritus ſunt ſimplices, & minime ex alijs ſimilaribus compoſiti, nec tandem vnitatis diſſolutio:licèt enim pars ſpirituum euanuerit, quæ tamen reliqua eſt, vnita & continuata eſſe poteſt: cum itaq; morbus ſit, & nullus ex morbis receptis,ſequitur eſſe totius ſubſtantiæ morbum cum Fernelio, atque id meritò, cum ſpirituum ſubſtantia diſſipata ſit.

Quod ſi diſſipatio ſpirituum influentium morbus eſt totius ſubſtantiæ, longe magis innati ſpiritus diſſipatio morbus huiuſmodi eſt cenſendus. Dico tamen diſſipationem ſpirituum nec morbum eſſe ſubſtantiæ, nec abſolute morbum, ſed cauſam morbi. Ac quomodo cauſa eſſe poſſit, docet Galen.2.de Nat.Hum. comment.1.& 2.Aphor. comment.22. quibus in locis cum aſſerat,fuiſſe quorundam medicorum ſententiam, repletionem ſolam eſſe morborum cauſam, euacuationem verò nequaquam, docet ipſe, euacuationem etiam morbos parere, atque id latius adhuc docet 9.Meth.c.10.poteſt igitur diſſipatio ſpirituum intemperiem frigidam parere, quæ multos alios morbos inuehat: vt docet Gale.etiam 2.de Rat. Vic.commen.47. ſicuti igitur euacuatio-

cuatio-

cuationes humorum vtilium, excrementoſorum etiám atq; inutilium ſunt morborum cauſæ, ob quos morbos vires concidũt, ita & diſſipatio ſpirituum morbos parit: ex quibus vires labefactantur, immo reliquæ ſuperfluentes euacuationes vires proſternunt, quia in illis plurimi etiam ſpiritus excernuntur. Ad argumentum igitur diſſipatio ſpirituum lædit actiones, ergo morbus. Reſpondeo, non diſſipationem ſpirituum lædere actiones, ſed morbum, cuius cauſa fuit ſpirituum diſſipatio, veluti membrorum intemperies, vel morbum illum, qui ſpiritus diſſipauit: quo caſu ſpirituum diſſipatio erit ſymptoma, veluti in dolore colico, in quo morbum ſtatuamus frigidam intemperiem: Hæc dolorem excitat, dolor ſpirituum diſſipationem, ſpirituum diſſipatio virium lapſum, quem cõſequitur actionum læſio. Hoc loco morbus ſymptoma primum excitat, primum excitat ſecundum, ſecũdum tertium, donec ad actionum læſionem ventum eſt. Quare cùm pendeat diſſipatio ſpirituum à dolore, & dolor à frigida intemperie, patet intemperiem ipſam cauſam eſſe omnium ſymptomatum, vt antea quoque eſt demonſtratum. Quod ſi quæras quo nam in genere ſymptomatum reponenda ſit ſpirituum diſſipatio, dicam in genere excretorum: vnde erit excretio toto genere præter naturam, ſicuti ſanguinis excretio, quæ à natura non excitatur: licèt enim Galen. in lib. de Sympt. Diff. cap. vlt. de hac excretione mentionem non fecerit, hoc ideo euenit, quia non meminit omnium particularium excretionum, cùm ex ijs, quas deſcripſit, poſſimus de reliquis etiam iudicium ferre, quas omiſit: vnde cùm de prohibita tranſpiratione nihil ibi ſcripſerit: in 11. tamen Meth. eam inter ſymptomata recenſuit. Ex his conſtat ſpirituum diſſipationem aut cauſam morbi eſſe, aut ſymptoma ex morbo oriens, vnde ſequitur morbum non eſſe. Verùm hic dubium oritur. Dictum eſt ex Gale. diſſipationem ſpirituum virium lapſum parere, & uirium lapſum eſſe ſymptoma: at hoc repugnat ijs, quæ tradita ſunt in morbi definitione, vbi conſtitutum fuit, uirium uel facultatum noxam morbum eſſe, non ſymptoma. Poſſumus duobus modis dubitationem hanc ſedare: altero, quòd Galenus in ijs locis uirium lapſum ſumat pro noxa actionum à læſis uiribus emanante: ſic enim ſolet vſurpare, & facultates cum actionibus copulare, vt patet ex 3. de Sympt. Cauſ. ſtatim in primis verbis: altero modo reſpondere poſſumus, quòd

pro uirium lapſu morbus quidem ſit intelligẽdus, magna enim ſpirituum diſſolutio magnam intemperiẽ frigidam inducere poteſt, quæ nihil erit aliud, quàm noxa ingens facultatum, cùm facultas nihil aliud ſit, quàm temperamentum, ut alibi demonſtrauimus ex Gale. ex hac verò noxa facultatum ſtatim debilitantur actiones, & ideo virium lapſus erit morbus, ſed etiam pro ſymptomate vſurpari poteſt. Dices hæc non tendere contra Fernelium, quia pertinent ad ſpiritus influentes, non ad inſitos: quã in re nec ipſe repugnat, immo verò cõſtanter negat in ſpiritibus influentibus morbum eſſe. Reſpondeo, ſi dantur ſpiritus iſti inſiti, qui pars ſint membrorum, immò verò continens eorum cauſa de Stoicorum ſententia, horum etiam diſſipationem comprehendi à Gale. locis citatis, nam eaſdem cauſas profert, quas Fernelius: quare cuiuſcunque ſpiritus diſſolutio ſiue influẽtis, ſiue innati, aut cauſa morbi eſt, aut ſymptoma morbum inſequens, morbus nullo modo. Atqui diſſoluitur pars ſubſtãtiæ, ergo morbus totius ſubſtantiæ: iam ſæpe ante id confutatum eſt, nam in atrophia diſſoluitur ſubſtantia ſolidior, ne dum ſpiritalis, morbus tam en ſubſtantiæ non eſt, ſed magnitudinis, quia perpetuò verum eſt, morbum accidens eſſe, non ſubſtantiam.

Natiui caloris extinctionem non eſſe morbum totius ſubſtantiæ. Cap. XXII.

ADDIT alium morbũ totius ſubſtãtiæ ſine putredine a cauſa manifeſta prouenientẽ: & eſt natiui caloris extinctio. Quid per natiuum calorẽ intelligat Fernelius, declarat ipſe in 4. de Par. Nat. Med. c. 6. certũ eſt, non puram eũ intelligere qualitatem, ſed primogenio corpori inſitam: corpus aũt hoc à ſemine genitali duxit exordiũ, & in ſolidiore partiũ ſimilariũ ſubſtantia reſidet. Ac cũ calor tribus modis poſſit extingui, vt docet Galen. li. de Vſu Reſpir. c. 3. primo ſi priuetur materia, quæ illi pro nutrimento ſuggeritur: altero, ſi priuetur motu, quo ſeſe ad materiam conuertit: tertio, ſi motu priuetur, quo ſurſum fertur, & in ambiens diffunditur: atque id multis modis prouenire poſſit: Fernelius hic duos apponit modos, quibus motus caloris in ambiens impeditur: alter eſt ſtrangulatus:

gulatus: alter eſt frigoris penetrantis & ſupremi occurſus: per ſtrangulatum capere poſſemus ſtrangulatum uterinum, ſed cùm hic pertineat ad cauſas occultas,& nunc de manifeſtis agatur,de eo intelligere non poſſumus,quare de manifeſto ſtrangulatu,vel ſuffocatione intelligamus, quæ reſpirationem inhibeat, ſiue id à morbo proueniat fauces præcludente,ſiue à laqueo,& alia cauſa extrinſeca,ac uiolenta: per frigus etiam intelligendum eſt frigus ambientis, ut declarauimus in explicatione morborum ex intemperie frigida. Vtroque ex his modis extingui poteſt calor natiuus cordi inſidens, frigore etiam calor natiuus reliquarum partium præſertim extremarum, extinguitur, unde uidimus in ea tractatione ob ingentia frigora interdum pedum calorem,& uitam extingui,ita ut ſint amputandi: ſtrangulatus etiam partibus iſtis poteſt obuenire in ingentibus inflammationibus, quæ in gangrænam tranſeunt, tunc enim prohibita tranſpiratione partium earum natiuus calor ſtrangulatur, & ſuffocatur. Vtcumque omnia hæc eueniant, uidendum eſt,an caloris extinctio natiui ſit morbus totius ſubſtantiæ. Per extinctionem caloris aut eam intelligimus, quæ iam in termino eſt, & facta eſt: aut quæ in via eſt ad terminum: de priore non poſſumus intelligere, nam mors eſt,non morbus; quare de altera intelligendum,quæ ſi à frigore proueniat, proculdubio morbus eſt ex intemperie frigida: ſi ex ſtrangulatu, proculdubio morbus eſt in vijs: nam uiæ ſpiritus præcluduntur, quare ne veſtigium quidem apparet morbi in ſubſtantia,niſi frontem perfricet uti in omnibus,& dicat, non ſe ſtatuere morbum in cauſis extinguentibus,ſed in re extincta,vnde cùm calor natiuus ſubſtantia ſit, ſi extinguatur, extinguitur ſubſtantia, & ideo morbus eſt ſubſtantiæ. Sed ſi ſic morbos capiamus, nullus erit, qui ſubſtantia non ſit,& illi potiſſimùm, qui enecant, nam quod enecatur,ſubſtantia eſt, ſed & illi etiam, qui non enecant: nullus enim eſt morbus,qui ſubſtantiam non inuadat: cùm enim accidens ſit morbus, quomodo ſubſiſteret,ſi ſubſtantiæ non inhæreret? Sanè res mira eſt de hoc tam celebri viro, quomodo in tam longa diſputatione morborum iſtorum ex formæ corruptela, in productione tot exemplorum nõ conſiderauerit,& periculũ fecerit in aliquo morbo, qua ratione ſit morbus ſubſtantiæ: ſicuti ego nunc feci in hac caloris natiui extinctione: nam ſi hoc feciſſet,in tam abſurdam opinionem, tam ra-

tioni & ſenſibus repugnantẽ haud deueniſſet, niſi planè amèns ac fatuus fuiſſet: nam certe nulla alia ratione poteſt dicere hos morbos eſſe ſubſtantiæ morbos,niſi quia ſubſtantiam lædunt:at hoc pacto morbi omnes eſſent ſubſtantiæ morbi:ideoq; nullum erit inter morbos diſcrimen, ſed vnicus tantũ morbus, quare & vnica tantum curatio:vt taceam alia infinita incommoda, atque abſurda tam prodigioſam opinionem conſequentia. Sed ad alia genera morborum tranſeamus.

De morbis peſtilentibus, ex Hippocrate, & Galeno. Cap. XXIII.

CVM exploſi ſint morbi totius ſubſtantiæ à cauſis manifeſtis prouenientes,diſcutiamus& reliquos,qui ab occultis cauſis trahunt originem. Horum tria genera ſtatuit venenatos,contagioſos, peſtilentes, ac primò de peſtilentibus agit,de quibus latiſſime diſputat 2.de Abd. R.cauſ.c.12.& 4.Patholog.c.17.& 18.Hos morbos ex aere cœleſtium corporũ viribus inquinato ſuſcitari ait,& multas eorũ conſtituit differentias,atq; eã in primis,quod alij ſint grauiores, alii leuiores: grauiores ſunt peſtilens febris, peſtilens carbunculus, & bubo.Hos itaq; diſcutiã hæc pauca præfatus.Decreueram quę hic de peſte ſcripſeram delere: cùm enim aureus de hoc morbo tractatus eſſet editus ab Alexandro Maſſaria patriæ noſtræ lumine & ornamento, in quo peſtis natura veriſſime atque elegantiſſime deſcribitur, quod hactenus ab alio nemine factũ eſt, ſuperuacaneum mihi videbatur de hac re verba facere. Verùm cùm mei ſit inſtituti Fernelii authoritatẽ,[quæ plus nimio in ſtudioſorum detrimentum,ac humani generis perniciẽ aucta eſt,quacũque poſſũ ratione infringere, ac in huiuſmodi tractatione quãplurimi, & conſpicui eius errores patefiant,ea retinere libuit,cũ præſertim ſummatim ſcripta ſint. Sed iam rem aggredior. Cùm de febribus,carbunculis,& bubonibus peſtilentibus agendũ ſit, commodius id faciemus,ſi quid ſit peſtis,prius explicabimus,& hoc facilius,conſequemur, ſi generalem morborum diuiſionem afferemus, qđ eo libentius aggredimur, quo multos in hoc hallucinari videmus.[Galen. ſanè in procœm. Epidem.morbos aut

omnibus communes eſſe ait, aut diuerſos: illos vocat Hippocr. in lib. de Aere & Loc. & Galen. πανδημοὺς, & πάγκοινους, ac ſi dicas vniuerſo populo, vel omnibus communes: hos verò παντοδαποὺς, & σποράδας, hoc eſt varios, vagos, & ſparſos: illos 2. de Nat. Hum. 3. à communi cauſa excitari ait, veluti ab aere, quo omnes in reſpirando vtimur: hos à particulari & propria vnicuique: quare cùm videbimus omnes vno atq; eodem morbo laborare, veluti febre aut continua, aut intermittente, aut aliquo alio conſimili, morbum eum communem eſſe dicemus, & exoriri à communi cauſa, veluti ab aeris alteratione, quæ omnium communiſſima eſt, aut ab aliqua aqua, aut aliquo genere edulij, quo omnes vtantur. Cùm verò videmus diuerſos morbos, vt alij febre continua ſint correpti, alii intermittente, hi tertiana, illi quotidiana, alii quartana, alii aliis diuerſis morbis, hos à diuerſis cauſis excitari dicemus, veluti ſunt errores varii, quos homines in ratione victus cõmittunt: non enim omnes in eundem incidunt errorẽ, ſed hic in illum, ille in alium, quare diuerſi excitantur morbi, qui proprii etiam vocari poſſent. Cùm itaque morbi ſint aut communes, aut diuerſi, ſi communes ſint, aut vnam regionem, aut multas etiam aliquo tempore infeſtant, & hos ἐπιδήμους, vel ἐπιδημίους vocant, hoc eſt vulgares vel populares: aut aliquam regionem perpetuò affligunt, quos ἐνδήμους, & ἐπιχωρίους appellant, gentiles, patrios, incolas, inquilinos, vernaculos vocare potes: ac de his multa ſunt exempla apud Hippocr. in libro de Aere & Locis: de illis multæ ſunt conſtitutiones apud eundẽ in libris Epidem. Vulgares, vel populares, vel epidemici (notum enim & tritum eſt iam hoc vocabulum non minus, quàm Latina) aut pernicioſi ſunt, & letales, aut non: ſi pernicioſi, peſtilentes uocantur: ſi non pernicioſi, nomen generis retinent, & epidemici abſolute dicuntur. Hæc eſt vniuerſalis diuiſio morborum omnium: ſed quoniam pernicioſos morbos Hippocra. & Galenus interdum malignos, interdum peſtilentes uocant, uidendum eſt, an idem ſit peſtilens, & malignum, an diuerſa.

Cùm itaque Hippoc. 3. Præſag. 7. & aliis multis in locis opponat morbos benignos, & malignos, illos εὐήθεις, hos κακοήθεις uocans: malignum aſſero latius patere, quàm peſtilens, nam multi ſunt morbi maligni, quos peſtilentes non dixeris, omne tamen peſtilens malignum etiam eſt, quare malignum eſt, quod difficul

ter ſanatur, etiam ſi omnia opportune agãtur, vt ex ijs patet, quæ ante de vlcere maligno dixi: & Gale. 1. Epidem. ſec. 3. comme. 1. Malignum morbum eſſe ait, cùm omnibus diligenter adminiſtratis nihilo mitior fit. Sed etiam ſi morbi hi ſint huiuſmodi, non tamen adimunt ſalutis ſpem, ſic ſtatuente Galeno 1. Prorrh. comment. 14. Malignos. inquit, morbos appellamus, quicunq; periculum minantes ſpem ſalutis non adimunt: vnde reprehendit authorem illum, qui morbum exitialem malignum vocet: at peſtilens eſt non tantum quod difficulter ſanatur, ſed quod multos interficit: Gale. 3. Epid. ſec. 3. cõm. 20. Quicunq; morbus vno in loco multos ſimul inuaſerit, hic vulgaris nominatur, cui ſi accedat, vt multos tollat, peſtilentia efficitur. Et in ſequent. comment. Cum dixit, & complures moriebantur, morbos, qui vulgabantur, peſtilentes fuiſſe iudicauit. Et 6. Epid. ſec. 8. comm. 1. Nunc morbus peſtilens eſt factus, cùm multi mori cœperint.

Hinc patet omne peſtilens malignum eſſe, ſed non omne malignum peſtilens: cũ autẽ differẽtia inter hæc ſit in gradibus tantum, hinc fit, vt quandoque malignum pro peſtilenti vſurpetur.

Dubitet quiſpiam contra ea, quæ ſtatuimus: diximus enim morbos vlgares & populares eſſe, quando idem morbus plurimos inuadit aliqua in regione: varios & diſperſos, quando diuerſi morbi diuerſos inuadunt: at in 1. Conſtit. Epidem. diuerſi morbi diuerſos inuaſerunt, recenſentur tamen inter epidemicos & vulgares, immo verò in Cõſtitutione peſtilenti deſcripta ſec. 3. 3. lib. uarij morbi homines vexarunt: vnde & Gale. commen. 21. Cùm diuerſi, inquit, illi fuerint, de ſingulis ſeparatim ſe deinceps dicturum promittit. Quod obſeruare licet in peſtilentia etiam deſcripta 6. Epid. ſec. 7. & in 1. Galeni comment. Reſpondeo, quando morbi à communi cauſa excitantur, non eoſdem eſſe neceſſariò, ſed ſæpe diuerſos pro differentia corporum, & redundantium humorum: nam etiam ſi cauſa communis ſit, in redũdante pituita alios generat morbos, alios in redundãte bile vtraque, alios in ſanguinis plenitudine: ætas etiam, conſuetudo, & vitæ inſtituta diuerſitatem inducunt, & varia etiam partium diſpoſitio varietatem parit. At quomodo internoſcam ego hoſce à vere diuerſis, & orientibus à proprijs vniuiuſcuiuſque erroribus? Reſpondeo, ſum diſcrimina à conſtitutione ipſa aeris: nam ſi ſalubris erit, dicemus morbos eſſe diuerſos, ſi mor-

boſa,

boſa, vulgares. Præterea ſi erunt vere diuerſi, facile inuenietur, ſingulorum cauſam ab erroribus in victu prouenisse,& pro magnitudine errorum grauiores erunt, aut leuiores, nec multi erunt morbi. Sed ſi orientur à communi cauſa, plures erunt, & multi etiam conſimiles,& pro natura cauſæ cõmunis omnes aut grauiores,aut leuiores: hac de re vide Gale.in proœm.Epidem. lib. 1.Epid.ſec.2.cõm.7.& lib.3.ſec.3. cõm. 9. & 55. Habuimus hactenus morbos peſtilẽtes eſſe vulgares,& de genere pernicioſorum,qui multos interficiunt. Cùm vulgares ſint,à communi cauſa oriantur, neceſſe eſt: communis hæc cauſa aer eſt ſolus, authore Hippocrate ſecundo de Nat. Hum. 3. & Galeno in proœmio Epidem. in calce, cùm ait. Vulgarium morbo- ,,
rum pernicioſiſſimi peſtilentes vocantur, qui non ſecus quam ,,
cœteri vulgares omnes ex aeris conſtitutione cauſam ducunt. ,,
In lib.etiam de Theriaca ad Piſo.c.14. Eſt peſtis,inquit,veluti ,,
fera quædã veneno imbuta,quæ non paucos quoſdam, ſed totas ,,
etiam ciuitates depaſcat, ac miſere perdat: quippe praua quæ- ,,
dam aeris ad corrumpendum apta mutatio fit, hominesq́; cum ,,
reſpirationis neceſſitate vitare periculum non poſſint, aerem ip- ,,
ſum veluti venenum quoddam intra ſe per os attrahunt &c. ,,

En quomodo & hic ſolum aerem pro cõmuni peſtis cauſa affert. Præterea in lib.Defin.Med.aperte oſtendit,peſtem prouenire ab aeris tantum corruptione: ſic enim eam definit. Peſti- ,,
lentia eſt morbus,qui ab aere corrupto exortus, aut omnes,aut ,,
multis partibus plures corripit,ſic vt plurimi intereant. Tradit ,,
& aliam definitionem,quæ ſic incipit. Peſtilentia eſt aeris com- ,,
mutatio &c. Ad hæc Galen.in 1.de Diff.Febr.c.4. nullam aliam affert peſtilentiæ cauſam, quàm aerem. Alibi tamen aliter ſentit: nam exponens locum ex 2.de Natu.Hum.nuper citatum ſic ſcribit. Non recte originem communium morborum in ſolum ,,
aerem retulit, quandoquidẽ in Aeno cum ſame homines vrge- ,,
rentur,qui legumina comedebãt, crura iis imbecilla reddeban- ,,
tur: qui autem eruo veſcebantur, eos genuum dolor conflicta- ,,
bat. Nouimus etiam eos, qui fame compulſi triticum ſemipu- ,,
tre comediſſent,communi morbo ex communi cauſa correptos ,,
eſſe: & cùm exercitus vitiatis aquis vteretur, milites omnes ſi- ,,
mili eſſe noxa vexatos. Quin & grauiſſimã illa peſtilẽtia,quæ to- ,,
tam Italiam tempore Galeni depopulata eſt,à peſſimorum edu-

liorum

liorum vſū in penuria traxit initium, vt docet ipſe in princ. libri de Cibis bon.& ma.ſucci: & in 1.de Diff.Febr.cap.3. In hac controuerſia dicendum eſt, vt innuit Galen.in prooemio illo Epid. ,, his verbis. Qui morbi ab eſculentis & poculentis originem du ,, cunt: ij & rarò fiunt, & facillime cognoſcuntur. Dicendum, inquam, eſt, raro ab alijs cauſis peſtem excitari: ab aere verò frequentius,& ideo Hippocra. loco adducto eam cauſam vocauit communiſſimam. Quare & Galen.licet interdum id aeris conſtitutioni tantum aſcribat, tamen alias cauſas non excludit: præterea interdum aerem ſolum proponit in medium gratia exempli,vt in illo 1.de Diff.Febr.cap.4. vnde quæ de aere ſcripſit, ad reliquas cauſas transferri poſſunt: ſed ipſum audiamus. Hic ,, quidem ſermo in vno profertur exẽplo, ſed nihilominus in om- ,, ni genere cauſæ veritatem complectitur. Ad authoritatem ex lib.definitionum dicas,eum librum non eſſe Galeni,& multa ab ſurda continere: ac cùm multas afferat peſtilentiæ definitiones, ,, eam ſaniorem eſſe,quæ ſic habet. Peſtilentia eſt communis plu- ,, rimorum affectus,qui eodem tempore,& in vrbibus & gentibus ,, acuta pericula,& mortem inducit. Si quæras,quæ nam debeat eſſe aeris conſtitutio,& quæ natura aliarum etiam cauſarũ, quæ inducunt morbos peſtilentes,facile inuenietur, ſi naturam morborum peſtilẽtum cognitam habebimus,ac perſpectam: Galen. 6.Epid.ſec.1.commen.28.id docet,cùm calorem febrium peſtilentum putridum eſſe ait:& 1. de Diff.Febr.cap.5. febres omnes peſtilentes à putredine concitari,quod ſæpe in præcedente cap. confirmauerat authoritate etiam Thucididis,& Hippocratis.

Dices,ſi febris peſtilens oritur à putredine, quid diſcriminis erit inter febrem putridam,& peſtilentem. Reſpondeo, in peſtilente tantam eſſe putredinem, & corruptionem,vt vim induat veneni: ſic enim colligitur ex 6.de Loc.Aff.cap.5. vbi aſſerit eoſdem in corpore humano fieri affectus, & à letalis veneni potione, & a corruptione,quæ à corpore ortum habet:ac ne dubites, an corruptio peſtilens ſit huiuſmodi: id declarat 6.Epide.ſec.6. comment.5. nam deleteria, feras virus iaculantes, & ſuccos ex prauo victu,peſtilentiq́ue aere genitos in eadem ſerie collocat, ac rem ita eſſe teſtatur,quod ſcribit in princ.libri de Cib.bon.& ma. ſucci: vt itaque putredo vim induat veneni, magna atque intenſa ſit,oportet:quod indicat aperte 3.de Præſag.ex pulſ.c.4.

Cum

Cum itaque morbi peſtilentes ab inſigni putredine conciten tur,conſtitutio aeris,qui putridis vaporibus ſit plenus eam con citare poteſt:intemperies etiam calida & humida eiuſdem idem efficit:& vehementer etiam calida tantum, vt docet Galen. 1. de Diff. Febr. capit.4. Sed quoniam dum de his loquimur, interdum febres peſtilentes,interdum morbos peſtilentes dicimus. Quærat quiſpiam,an peſtis,& febris peſtilens idem ſit. Reſpondeo, vtramque pendere ab ingenti putredine,differre tamen,& vtramque ſine altera eſſe poſſe: nam febris peſtilens poteſt eſſe ſine peſte,& peſtis ſine febre,vtrũq, docet Galen.primũ 3. Epid. ſec. 3. comm. 57. Febrem enim peſtilentem,ait, etiam ſine peſte „ mortales corripere. Et 3.de Præſag.ex pulſ.c.4.Sciendum eſt, „ inquit, nonnunquam incidere ſine peſte has ipſas febres, vo- „ cantque peſtilentes. Vt inde colligi poſſit hæc febrium peſtilen- „ tium diſtinctio, alteram eſſe cum peſte, alteram ſine peſte, cum peſte ea eſt,quæ à cauſa oritur communi,vnde etiam epide mica eſt:ſine peſte ea eſt,quæ à propria cauſa laborantis exoritur,vnde epidemica non eſt,ſed inter morbos diuerſos,& diſper ſos connumeratur,videmus enim quandoque in quibuſdam ex citari febres peſtilentes ex magna humorum corruptione, cùm tamen alijs alij laborent morbis, & mitioribus. Peſtem verò ſine febre eſſe poſſe colligitur ex Hippoc.3.Epid. ſec.3.nam quoſ dam deſcribit,qui cum febre peſte laborarũt:quoſdam,qui ſine febre,ut annotauit Galen.comment. 60. qui idem planius aſſeruit 9.de Simpl.Med.vbi in peſte lapidem Armenum ex uino al bo modice diluto exhiberi ait,ſi æger planè febre careat, aut leuiter ea teneatur, ſin grauius febriat admodum diluto, vt mirer inter cæteros doctiſſimum Agricolã febrem peſti neceſſariò adiunxiſſe,ut taceam alios minoris authoritatis homines,qui & in hoc, & in aliis quamplurimis errarunt. Viſum eſt peſtem ex ma gna putredine oriri, unde ſequitur pernicioſam eſſe,& quãplurimos interficere, ſequitur etiam eſſe contagioſam, à magna enim putredine attolluntur uapores uenenati, qui uicinos in eoſdem morbos detrudũt,& licet pauca ueteres de contagione ſcripſerint,Galen.tamen 1.de Diff.Febr. hoc teſtatum reliquit, „ conſuetudinem peſtilenti morbo laborãtium eſſe periculoſam, „ ne inde contagium contrahatur, quo in loco etiam cauſam con „ tagii refert in putridam expirationem. Dices, ſi hoc ita ſe habet,

bet, cur in febribus peſtilentibus, quæ ſine peſte inuadunt, non eſt contagium? Dicerem, in his fortaſſe non eſſe magnam adeo putredinem, vt in peſte, quod inde colligi poteſt, quia plurimi ſanantur: in peſte verò pauci. Præterea in peſte concurrit in vnum & aeris putredo, & putredo corporis affecti, quare intenſior eſt: & facilius communicatur alteri putridus uapor per aerem putridum, quàm per purum: nec fortaſſe hæ febres ſunt omnino à contagio liberæ. Atque hæc ſatis ſit præmiſiſſe de morbis peſtilentibus, ad cognoſcendum quot errores commiſerit Fernelius in eorum tractatione, ad quem tempus eſt, vt iam accedamus.

Errores Fernelij in explicandis morbis peſtilentibus: in 2. de Abd. re. cau. c. 12. Cap. XXIIII.

IN primo capitis illius ingreſſu ſtatim offendit: nam morbos, qui à communibus alijs cauſis oriuntur, præterquam ab aere, pancoinos, & pandemios ſimpliciter vocat, vnde ab illis epidemios ſecludit. At vidimus nos ex Hippoc. & Galeno hæc eſſe nomina generica morborum omnium à cauſa communi prouenientium, quæcumque illa ſit, & contradiſtingui morbis, qui particularibus de cauſis proueniũt: unde tam Epidemij, quàm Endemij, & ex Epidemijs tam perniciosi, quàm non peniciosi ſunt pancoini, & pandemij. Ac ſanè cùm vir tãtæ authoritatis, vtriuſque linguæ peritiſſimus, ac in optimis diſciplinis exercitatiſſimus in re tam euidenti ſit hallucinatus, non eſt mirum, ſi alii multi medicaſtri in hac vniuerſali morborum diſtinctione tot errata commiſerint, quot verba protulerunt.

Explicata cauſa communi morborum, præterquàm ea, quæ ab aere prouenit, ad aerem tranſit, in quo illud primum peccat, cũ eum neget poſſe putreſcere, quia ſimplex ſit: eſt enim contra Ariſt. 4. Meteor. 5. qui omnia putreſcere aſſerit præter ignem. Quod ſi putredo eſt corruptio calidi in humido, cur non facile putreſcat aer, cùm calidus atque humidus ſit? Præterea Galenus aerem noſtrum purum & ſimplicem eſſe negat: atque ideo facile putreſcere poteſt. Ac licet aer non putreſcat, ait tamen multa eum ſuſcipere inquinamenta, partim à corporibus inferioribus

partim

partim à ſuperioribus & cœleſtibus. Inquinamenta inferiora cùm haud poſſint per multas regiones euagari, nec diutius permanere, negat morbos epidemicos parere, ſed endemios,& vernaculos. In his paucis multi ſunt errores: etenim quis non videat eum repugnantia ſcribere, cùm dicat has cauſas, quia diu non permanent,morbos epidemios non parere,ſed endemios, cum totum ſit oppoſitum? nã endemii ſunt,qui perpetuo affligunt aliquam regionem, ut declaratum eſt antea: Epidemij verò, qui aliquo tempore. Præterea cùm inquinamenta hæc non euagentur,negat parere morbos epidemicos, ac ſi nõ poſſint in vna tantum regione morbi epidemici exiſtere. Sed & id falſum, quin poſſint hæc euagari per multas regiones, cùm in peſtilẽtia Attica à Thucidide deſcripta afferat Gale. 1.de Diff.Febr.c.4. ex Aethiopia quædam putredinis fluxiſſe inquinamenta. Cùm demum negat, hæc diu permanere poſſe inquinamenta,quis nõ uideat, vehementer eum hallucinari, nam ſi magna & ſtabilis ſit inquinamentorum cauſa,inquinamenta diu,immo verò ſemper perſiſtent, & ideo morbos vernaculos faciunt, quos endemios uocat Hippocr.& epichorios: vt apparet apud eum in populis phaſim incolentibus, in Scythis,aliiſque. Pergit Fernelius, & ait ſolas affectiones à motibus ſuperioribus in vniuerſum aera diffuſas parere morbos epidemicos,quibus verbis innuit nõ eſſe morbos epidemicos, niſi qui vniuerſum orbem affligant, aut ſaltim regiones multas, quod falſum eſt, cùm vnica tantum regio poſſit in epidemicos morbos incidere: ſic Thaſij apud Hippocr. & alij, de quibus agit in epidemijs. Falſum etiam eſt a ſolis affectionibus ſuperioribus excitari morbos epidemicos, vt iam uiſum eſt. Sed diſtinguit affectiones prouenientes à motibus ſuperioribus in duas: nam aut fit mutatio & alteratio in qualitatibus manifeſtis aeris,& tempeſtatum, vt patet ex libro Epidem. Hippocr.& ex 3.Aphor.aut eo cœlitus inquinamenta demittuntur. Primo modo epidemici morbi ſimpliciter excitantur:ſecundo modo peſtilentes. In quo vehementer hallucinatur,vt patet ex præmiſſis noſtris: vidimus namque morbos peſtilentes ex mutatione tempeſtatum, & ex aeris intemperie oriri,cuius documẽtum eſt magna illa peſtilentia ab Hippo.deſcripta 3. Epid. ſect. 3. cuius initium. Annus auſtrinus, pluuius, ventis perpetuò vacans. ,, Aſſerit tandem peſtilentiam ab inquinamento ,,

tantum

tantum cœlitus demiſſo prouenire, non à conſtitutione aeris, non à putridis exalationibus. Quod non à putridis exalationibus, ab aquis, & à terra, ſumit tanquam conceſſum, ante enim id demonſtrauerat. Sed viſum eſt iam, quàm vanum hoc ſit. Quod verò non oriatur à qualitatibus, & intemperie aeris, ſed à cauſa abdita cœlitus demiſſa: primò inde demonſtrat, quòd tam hyeme, quàm æſtate inuadit, tam ſicco, quàm pluuio cœlo, tam temperato, quàm intemperato, & plerumque citra graueolentem putredinem. Ad hoc reſpondeo, ſi inueniatur prima origo peſtilentiæ, ſemper eam prouenire à cauſis manifeſtis, quorum tria genera doctiſſimus Agricola ad Galeni imitationem conſtituit: primam aeris intemperiem, ſecundam eiuſdem putredinem, tertiam ciborum communiũ & potuum corruptelam. Sed quia interdum peſtilentia orta à cauſis manifeſtis ab infectis defertur in alias regiones, in quibus inualeſcit, & debacchatur, vt ea, quæ proximis annis ex Tridento Veronam, in agrum Vicentinum, Venetias, Patauiumq; demum Vicentiam delata eſt: hinc fit, vt quandoque peſtilentia ingruat, licèt aer ipſe ſit purus, & ſaluber: hinc videri poteſt, quandoque peſtem oriri ſine cauſis manifeſtis: manifeſta tamen cauſa contagium eſt: vnde non poſſum non admirari medicos Siculos, & Patauinos, quorum illi peſtem Siciliæ infeſtã ob aeris corruptelam ortam primùm iudicarunt: cùmque poſtea obſeruaſſent, aerem eſſe ſalubrem, eam nõ eſſe peſtem cenſuiſſe, ſed filiam peſtis, pro certo habentes peſtem eſſe non poſſe, quæ à vitioſo aere non proueniat: Hi peſtem Venetijs debacchantem primùm negarunt eſſe peſtem, quia non eſſet corruptus aer, magno cum eius vrbis detrimento: poſtea corruptum eſſe aerem, & morbum illum communem factum peſtilentem, idque etiã ſcriptis mandarunt, neſcio quo ore, cùm multa fingãt commẽta ad perſuadẽdum ortũ nouæ illius putredinis in aere: ac in tam grauem errorem inciderunt hi & illi, cùm ſibi perſuaderent, peſtem eſſe non poſſe ſine aeris corruptione: quod vt illis concedatur, certè ſi non à rei natura, ſaltem à doctiſſimo Agricola diſcere debebant, peſtem quæ a corruptione aeris ortum ducat, poſſe ab inquinatis in alias ſalubres regiones comportari. Hoc ſi conſideraſſent, pro certo habuiſſent peſtem Tridentinam, Veronenſem, Venetam, Patauinam, & demum Vicentinam veram fuiſſe

peſtem

peſtem aliunde comportatam, cuius ſi originem primam indagaſſent, fortaſſe inueniſſent eam ab aliqua communi cauſa originem traxiſſe, ſiue ab aeris intemperie, ſiue putredine, ſiue communium ciborum corruptela. Et cùm prima eius origo fuerit in Africa, fortaſſe ibi ab aliqua ex his cauſis orta eſt, atque in Siciliam poſtea, & in Italiam ab infectis deportata. At niſi aliunde importetur, facile deprehenditur communis cauſa, quæ eam peperit omiſſis inquinamentis aëri cœlitus inſperſis. Probat deinde, peſtem non ab inquinato aëre ab inferioribus corporibus, nec ab eius intemperie, ſed ab inquinamẽto cœlitus demiſſo prouenire, quia interdum uniuerſum orbem corripit, qui ex regionibus conſtet calidis, frigidis, humidis & ſiccis, ac temperatis: ſed inquinamenta à terra, & aquis ſublata, & conſtitutionum uitia non peruadunt totum orbem. Ad hoc dico, nunquam vno & eodem tempore, hãc peſtem totum orbem inuadere, ſed aliunde incipere, & inde in alias partes euagari, qualis eſt, quam ipſe affert, quæ in Aſia exorta per Illyricum, Delmatiamque ſerpſit in Italiam, per Germaniam verò in Galliæ, & Hiſpaniæ fines. In hac ſi neges totum aerem fuiſſe infectum, dicam infectum fuiſſe in Aſia, atque inde ortam peſtem uentis delatam in alias regiones, ſicuti peſtis Thucididis ex Aethiopia delata eſt Athenas: ſed quid prohibet, tunc malam quandam aëris conſtitutionem fuiſſe: in Illyrico, in Delmatia, Italia, Germania, Gallia, atque Hiſpania? Arguit præterea ſic: ſi ab aëris putredine peſtis proueniret, corriperet omnia genera animantium, quæ aëre fruuntur: ſed cùm uideamus ſæpe homines tantum corripi, non ab aëris putredine prouenire hanc neceſſe eſt, ſed ab altiori & abditiori cauſa. Ad hoc reſponderi poteſt ex Euſtathio, qui reddens cauſam, cur peſtilentia deſcripta primo Iliad. ab Home. primũ corripuerit canes & mulos, deinde homines, ait inde hoc proueniſſe, quia Sol excitauit à terra putridos uapores longe a nauibus in planitie Idæ proxima irrigua & multis fluminibus diuite, qui paſcua corruperũt: vnde primò mulos peſtis inuaſit ob paſcua infecta, deinde & canes, cùm animalia hæc odoratum habeant eximium, ore ad terram nutent, & facile uapores excipiãt, demum cùm putrida illa exhalatio ad naues ſe extuliſſet, homines infecit. Qua ex enarratione licèt colligere, exhalationes putridas, prout minus & magis ſe alte efferunt, poſſe ſeparatim

modo

modo hoc, modo illud genus animātum inuadere,ſi nō ſe altius attollant & herbas tantum inficiant,ſole animantes, quæ carpūt herbas,peſte laborabunt,ſi paulo altius ſe afferant,homines etiā, ſi altius adhuc,aues. Quod ſi totum aerem ab imo ad ſummum inquinent, omne genus animantum laborabit. Hinc itaque facile cauſa redditur,cur modo hoc, modo illud genus animātum peſte vexetur ob putredinem aeris, nec cogemur tam magnum negotium ſtellis faceſſere, vt nunc in homines, nunc in aſinos, modo in coruos,modo in gallinas, aliàs in formicas, aliàs in veſpas peſtis inquinamenta demittant. Quod ſi aer ſolo intemperiei exceſſu lædat, facilius etiam inuenietur, cur id animal lædat, alterum non, cùm non eadem ſit intemperies infeſta omnibus: vt eleganter docet Ariſtot.in 8. lib. de Hiſtoria animalium capit. 18.& ſequentibus. Præterea ait Fernelius, ſi conceſſero peſtem à putredine prouenire, quæ nunc vni generi animantium infeſta ſit,nunc alteri,hoc certe non alia de cauſa proueniet,quàm quia hæc putredo à tota ſubſtantia homini eſt infenſa, illa boui, alia oui: quare omnino ad abditas cauſas eſt confugiendum.

Certe hic recticus feciſſet,ſi abditas cauſas ad apertas redegiſſet,quàm apertas obſcuras reddere,vt nunc: ex ijs enim,quæ dicta ſunt,patere poteſt,cur peſtilentia nunc vnum genus animantium,nunc aliud corripiat. Cùm iam conſtituiſſet peſtem non à putridis exalationibus, nec ab aeris conſtitutionibus prouenire,ſed ab inquinamento cœlitus demiſſo,quærens vnde id inquinamentum ingeneretur a cōmiſtione ſyderum id emanare ait:neque enim agere ſuperiora in hæc inferiora ſolo lumine & motu, vt ſtatuere videtur Ariſtot.ſed etiam ſyderum concurſu. Si cauſa manifeſtas non inueniremus, ad abditas iſtas confugere poſſemus. Sed hac de re litem Pico Mirandulano relinquo. Illud certe magnam Fernelij vanitatem declarat, quod hanc ſolo euentu deprehendi dicat:nam ſi a ſyderum commiſtionibus oritur, & hæ commiſtiones earumque vires note ſunt aſtronomis, videtur rationi conſentaneum,vt ab aſtronomis certis ſignis cognoſcantur,& longe ante,quàm inuadant. Dice;ipſe,ſi Aſtronomi hæc non prænoſcunt, culpa eſt in eorum imperitiam reijcienda,non autem res repudianda. At ego quæro,quis nam deprehendit peſtem boum prouenire a concurſu certo quodam ſyderum,aſinorum ab alio,ſuum ab hoc,caprarum ab illo:nam aut

aliquis

aliquis hoc deprehendit, aut non: ſi nemo deprehendit, res eſt uana,& commentitia:ſi deprehendit,aut alios id docuit,aut nõ: ſi non docuit,vnde id habes Ferneli? ſi docuit, ergo hac de re ſcientiam explicauit, quæ aſtronomia eſt: ſi igitur hac de re eſt ſcientia, deberet aſtronomus longe ante cognoſcere inuaſuras peſtes: ſed cùm à nemine præſtari hæc videamus,& ſolo euentu eas deprehendi aſſeras,rem fictitiam eſſe putandum eſt, nec ſolum crimen in artificum imperitiam reiiciendum, ſed in artis etiam vanitatem: hoc ſolum deberet exiſtimationem omnem medici,Fernelio adimere: cùm enim fateatur peſtem ſolo euentũ deprehendi: quis eum in Hippocratis familiam recipiat, qui non ſolum inuadentem peſtem ſtatim cognoſcebat, ſed inuaſuram multo antea prænoſcebat? Sed mirum illud eſt in Fernelio, quòd non ſolum inquinamentum hoc à cauſa abdita prouenire ait,ſed infectos etiam à tota ſubſtãtia illi eſſe obnoxios hoc argumento,quod alios corripiat,alios nõ: quod quiſpiam inter multos peſte uexatos verſatus euaſerit, cum alio verò, cum quo uel familiæ,vel temperamenti ſimilitudo ſit,conſuetudinem habens contagione afficiatur:cuius rei cùm cauſa aperta reddi poſſit,non erat ad abditas confugiendum: ab illis enim euaſit,quia corpus purius habebat,& in illis fortaſſe non erat tanta uis contagii: ab hac euadere non potuit,quia corpus redditum erat impurius, & fortaſſe ob conſuetudinem cum prioribus, & in hoc maior erat putredo,& maior contagionis vis. Sed ſi cœlitus demittitur hoc inquinamentum,aut inde prouenit,quòd commiſtio illa ſyderum ipſum excitet ab elementis aeri ſubditis, aut ab aere ipſo, aut quod reuera trãſmittatur in aerem à cœlo: primo modo fieri negat, quia ſic exoriuntur morbi endemii, ut ipſe perperam vocat: ſecundo modo etiam negat,quia ſic exoriũtur epidemii,tranſmittitur ergo a cœlo, ſic enim & ipſe aſſerit: ſi altero ex duobus primis modis hoc inquinamentũ ingenerari in aere aſſeueraret,tolerari poſſet: ſed luem hanc a cœlo demitti, credo nec à medicis, nec à philoſophis admitti, ſi enim authore Ariſtot.ſecundo Cœli 3.& Alex. 1. Meteor.c. 4. corpora cæleſtia nulla mortali labe afficiuntur, quomodo in illis inquinamentum hoc generabitur, & in terras demittetur. Deſcribit deinde ſigna quædã peſtilẽtiæ Fernelius,quibus internoſcatur peſtilens febris ab ardente,quibus nolo immorari. Sit hoc ne-

R gotium

gotium eorum, qui ex propoſito de peſtilētia ſcribunt:ego quod ad me attinet tantùm attingam. In hac itaq; ſignorum deſcriptione iterum demonſtrare nititur, à putredine eam non prouenire, nam ſi calor prouenit à putredine, quo maior eſt putredo, eo maior eſt calor,& in vrinis maiora putredinis indicia:at Gale. 3.de Præſag.ex pulſ.cap.3.& 4.in febre peſtilenti leuem eſſe calorem aſſerit, & vrinas veluti ſanorum eſſe, ſicuti etiam atteſtatur Auic.Non à putredine igitur,ſed ab altiori quadam cauſa ortum ducit,quæ veneni vim habet. Amor vanæ huius opinionis hominem hunc adeo excæcauit,vt cùm contra Galen.ſit,ex Galeno tamen eam confirmare contendat: ſed vidit in Galeno ea tantùm,quæ opinioni ſuæ fauebant,quæ verò erant contra eam, aut non vidit, aut diſſimulauit. Dico igitur huiuſmodi leuem calorem, & huiuſmodi vrinas, de quibus agit Galen. eo loco, non apparere in omni febre peſtilente,nam in hac vt plurimum vrinæ ſunt perturbatæ, & calor licèt exterius videatur remiſſior, intus tamen exurit, ſed in ſola febre hectica peſtilente, quam tunc in quibuſdam deprehendit Galen. calor vix percipiebatur, immo vero ægri ipſi non percipiebant ſe febricitare, quia putredo ſtatim corpus cordis inuaſerat,& eadem de cauſa vrinæ erant veluti ſanorum, quia cùm vrinæ ſint indicium humorum in venis contentorum, putredo ea non infecerat humores. At is,qui pro ſe Galenum adduxerat, arguit contra Galen.non potuiſſe putredinem corpus cordis corripere, niſi calor intenſiſſimus excitatus fuiſſet: nam ſi ex propinquitate bilis in febre ardente valde cor accenditur,multo magis accēdi deberet,quando in propria eius ſubſtantia putredo eſt. Deinde, inquit, ſic affecti deberent omnes interire: quis enim putrido corde viuat? at non paucos videmus ex febre peſtilenti ſeruari. Ad primam dicamus, calorem febrilem, ſi ab ægrotante diiudicetur, maiorem ſemper eſſe in febre ardente,quàm in hectica, nam illum plus nimio æger percipit, hunc ne percipit quidem: ſed & reuera calor ille vehementior eſt, cùm ab humore calidiſſimo putreſcente excitetur. Atqui alia tunc affuit cauſa,cur calor ille non ſolùm ab ægro,ſed nec à medicis perciperetur, quia cor inæquali intemperie laborabat, & quibuſdam humoribus frigidis ſcatebat, quorum frigiditas calorē febrilem remittebat:vnde & pulſus etiam ipſi (quod Fernelius non annotauit) erant ueluti ſanorum. Obijciat hic

aliquis,

liquis, ſi laborabant febre hectica, quomodo intemperie inæquali affecti erant, cùm hectica æquali ſit intemperies? Reſpondeo, quantum ad hecticam, intemperiem illam febrilem fuiſſe æqualem, ſed aderat in corde etiam frigida intemperies excitata à frigidis humoribus, quæ inæqualis erat, vt ſuperius notauimus.

Ad ſecundam inſtantiam reſpondeo, neminem ex iis, qui eo modo erant affecti, ſanatum fuiſſe, ſed omnes interiiſſe: & qui ſeruantur ex febre peſtilenti, ideo ſeruantur, quia putredo ſiſtitur in humoribus, & corpus cordis non infecit: vtrumque docet Galen. eo in loco, quem Fernelius adeo legit oſcitanter, vt quæ Galen. in quibuſdam laborantibus hectica peſtilenti, & inæquali cordis intemperie obſeruauerat, ad peſtem omnem tranſtulerit vide calcem capitis tertij, nam apertiſſimus eſt, & planiſſimus. Quod autem in illis magna eſſet putredo, contra quam ſentit Fernelius, inde collige, quòd exſpiratio fœtens erat, ex qua vulgares homines rectius, quàm medici ex pulſu & vrinis iudicabãt eos peſtilentia, & grauiſſima laborare. Sed aliud non minus ineptum argumentum perpendamus à contagio ſumptum.

Qui peſte, inquit, laborant, non ſolùm cohabitantes contagione inficiunt, ſed veſtes etiam, quæ ad longinquas regiones delatæ venenum ſeruant, quo alios inficiant maiori ui, quàm venena: nam ſi quis toxica ebibat, aut à ſcorpione mordeatur, alios contagio non inficiet: hoc igitur indicium eſt hanc non ſimplicem putredinem, ſed immaniorem perniciem eſſe. Ad hoc argumentum reſpondeo non eſſe hanc ſimplicem putredinem aut leuem, ſed intenſiſſima: & ideo mirum non eſt, ſi contagione interficiat, cùm contagium potiſſimum ex putredine contrahatur de ſentẽtia Gale. vnde quo intenſior, eo contagium grauius.

Cùm verò à ſymptomatibus arguit, peſtem potius à veneno, quàm à putredine oriri, licèt quædam ex his ſymptomatibus in alijs etiam febribus, quàm in peſtilentibus appareant, quas ipſe non negaret à putredine oriri, tamen ego concedo peſtilentiam à veneno ortum ducere, cùm intẽſa putredo vim veneni induat, vt in ſuppoſitis noſtris apparuit. Quod ſi in febribus peſtilentibus, quæ ſine peſte inuadunt, apparẽt eadem ſymptomata, quæ in peſte, vnde ea dices exoriri aliunde, quam ex corruptione humorum in corpore ægri orta? Taceo, quæ ſcribit in refellenda quorũdã opinione, cur vrinæ in peſte interdũ ſint veluti ſanorũ,

credo enim me ueram cauſam ex Gal.reddidiſſe,quam ipſe non animaduertit,& vt in errore ſuo perſiſteret, ſatis ei fuit, aliorum errores notare.Arguit deinde a curatione, in qua ſi uelim inſiſtere,volumen integrum erit conſcribendum, quare attingã tantum præcipuum argumentum. Si,inquit, peſtis à putredine ortum duceret,ſectio uenæ & purgatio conferrent imminuẽtes & euacuantes putridos humores,ſed non conferunt,immo uero interdicuntur,non ergo a putredine ortum habet,ſed à uenenato illo inquinamento,quod alia ratione curãdi propulſandũ eſt.Reſpondeo falſum eſſe,non eſſe ſecandam uenam,nec pharmacum exhibendum,nam ſi uires conſtent, ſecant omnes boni authores uenam,& concoctis humoribus pharmaca exhibent, & quidam etiam ab initio exhibent.At quoniam, ut ſcribit Gal. in lib.de Cib.bo.& ma.ſuc. peſtis uim habet ſtatim uires deiiciẽdi,hinc fit,ut ſæpe euitetur uenæ ſectio.

Dicat Fernelius, non loquor ego de quacumque febre peſtilente,ſed de pura tantum & ſimplici,quæ ab inquinamento cœleſti excitatur in corporibus puris,nam ſi in corporibus impuris excitetur,non ſimplex eſt,ſed miſta cum putrida,quo caſu fortaſſe liceat ſectione uenæ uti,& pharmaco,propter putridam.

Ad hoc reſpondeo, raram aut nullam huiuſmodi febrem poſſe oriri,cum corpus purum & liberũ ab omni excremento,& ab omni redundantia uix posſit inueniri. Quod ſi aliquod inueniatur,huiuſmodi lue non corripietur. In hoc enim uerſabatur Galeni ſtudium,ut corpore pura redderet, ne à putredine corriperentur,& doctiſſimus Agricola audet aſſeuerare, ſi talia reddantur corpora,in hanc labem ea nõ incidere,at hoc quandoq; eueniat, quis nam erit medicus adeo perſpicax, qui cognoſcat ſimplicem illam peſtilentem? Verum concedamus & euenire, & dignoſci poſſe,tunc quæram ualidæ ne ſint uires,an non,ſi inualidæ, non erit uena ſecanda, non ratione inquinamenti, ſed uirium,ſi ualidæ,ſecanda erit omnino uena,aliter corruent præclara Hippoc.Galeniq; dogmata,quibus præcipitur in quocũq; morbo magno,ſi validæ ſint uires, & ætas conſentiat,ſecandam eſſe uenam,ut ſic noua hæc portenta dogmata antiquisſima deſtruant, quorum paruam notitiam Fernelius habet, cum in hac etiam febre ſimplici cõcedat mitti ſanguinem,ſi adſit plenitudo ingens, a plenitudine,non a magnitudine morbi ſumens reme-

dij huiuſce indicationem, quam Galen. in lib. de Sec. ven. diſputans aduerſus Menodotum Empiricum validiſſimis argumentis refutauit, vt apud eum videre eſt: nolo enim ego in iis producere ſermonem, quæ diſtant à re propoſita. Sed deſinamus iam cũ ineptis ineptire, & ad rem noſtram ueniamus, demonſtremusq́; febrem peſtilentem non eſſe morbum a tota ſubſtantia.

Febrem, carbunculum, et bubonem peſtilentem non eſſe morbos totius ſubſtantiæ. Cap. XXV.

NON contendam amplius de eſſentia febris peſtilentis cum Fernelio, admittã tanquam verũ eius figmentũ excitari eã ab aeris inquinamento orto non à manifeſtis qualitatibus, non a tẽpeſtatum conſtitutionibus, non a putridis vaporibus, ſed a concurſu, & permiſtione ſyderũ: licet enim hoc ei condonẽ, non uideo, quomodo aſtruat febrẽ peſtilentẽ eſſe morbũ ſubſtantiæ totius, quia non põt eſſe morb. huiuſmodi, niſi ꝑꝑ occultũ illud inquinamentũ: atqui inquinamentũ illud non morbus eſt, ſed cauſa morbi, quæ oĩa genera morborũ excitare poteſt, ex intẽperie, inſtrumẽtarios, & ex ſoluta ẽt unione, cũ peſtis omnium morborum formam induat.

Quare quemadmodũ Galenũ ſequentes, qui febris peſtilẽtis cauſam ſtatuit intenſam putredinẽ, dicimus intẽſam putredinẽ nõ eſſe morbũ, ſed cauſam morbi, ſic & hic inquinamẽtum illud non morbum, ſed cauſam morbi eſſe dicimus. Dicet ipſe, non habemus hic ſimplicem intemperiem, ſed adiũctum id inquinamentum: non eſt ergo morbus ſola intemperies, quod ex curatione patet, quia non ſolum alteramus intemperiem refrigerantibus, ſed antidotis etiam a tota ſubſtantia peſtilentiæ reſiſtentibus. Reſpondeo, nihil hoc eſſe, nam antidota illa exhibemus ad profligandam cauſam, ſicuti facimus in febribus etiam putridis, quia & alteramus, & euacuamus humores putridos, & antidotos exhibemus, quæ putredini reſiſtant, quæ remedia omnia pugnant aduerſus cauſam morbi, non morbum. Et mirum eſt, quòd morborũ iſtorum diſtinctionem a cauſis ſumat, nec ſciat poſtea cauſam a morbo ſeiungere, ſed quod cauſæ eſt, morbo aſcribat: tantam enim caliginem eius menti offudit innouandi

cupido,ut etiam ſi cauſam interdum nominet, eam tamen à mor
bo non ſeparet,ſicuti in alia ſpecie peſtilentium morborum gra-
uiorum efficit,in carbunculo videlicet, de quo poſtquam multa
,, locutus eſt: Quod peſtilens, inquit,ſit, populariterq; graſſetur,
,, cauſa eſt non modo putrida, ſed & uenenata aeris conſtitutio.
Putridam & uenenatam aeris conſtitutionem (quod nihil eſt
aliud, quàm inquinamentum illud a ſyderibus demiſſum) cau-
ſam eſſe ait, quod carbunculus ſit peſtilens. Si igitur cauſa eſt,
morbus non eſt. Quæ de febre peſtilenti dicta ſunt, ac de car-
bunculo,in bubone etiam peſtilenti locum habent. Quare cer-
tum eſt morbos peſtilentes, quos grauiores eſſe pronunciat, nō
eſſe morbos totius ſubſtantiæ, ſed ex intemperie aut cum afflu-
xu, aut ſine affluxu, uel magnitudinis morbos. Nunc ad leuio-
res accedamus.

Exantemata, ecthymata, et alios quoſdam morbos ra-riores non eſſe morbos formæ. Cap. XXVI.

INTER leuiores enumerat exanthemata,atq; ecthyma
,, ta,quæ in 4.Pathologiæ ita deſcribit. Ecthymata pu-
,, ſtularum ſpecie in ſumma cute extuberant alba qui-
,, dem,ſed in ambitu rubra.Exanthemata uerò maculæ
,, ſunt exiles,uel rubræ,uel purpureæ,vel nigræ,vt autem corporis
,, ſumma,ita & interiora omnia viſcera,muſculos,neruos, cæteraſ-
,, que partes ſolidas obſident: ex hiſq; primam ducunt originem.
,, Vtriuſq; ſua propriaq; cauſa in aere qualitas quippe maligna di-
,, uerſi,mitiorisq; generis,quàm quæ carbunculū, bubonemq; pe-
,, ſtilentem ingenerat:proinde in infantes ac pueros,non autem in
,, ſeniores,niſi ferocior,immaniorq; ſit,inuadit. Deſcribit his uer-
,, bis uariolas, & morbillos Auicennæ, quod planius conſtat ex 2.
de Abd.re.cau.c.12.cùm ibi nominatim Auicennam abducat,&
cauſam horum morborum ab eo allatam repudiet. Verùm in
deſcriptione exanthematum uehementer ab Auicennæ ſenten-
tia,& a rei cognitione aberrat. Auicenna enim morbillos ſuos,
quos fortaſſe à feruore non perperam ferſam uocamus vulgo,ta
les deſcribit,quales ſunt. Sunt autem & ipſi poſtulæ, ſed mino-
res,quàm uariolæ:at dum hos nomine exanthematum deſcribit,

Fernelius,nõ morbillos,ſed maculas illas diuerſorum colorum, & vibices,publicũ morſiũculas referẽtes, de quibus egit Aetius, appingit:quo in errore verſatur & Valeriola 1.Enarrationũ c.8. dum aliorum errores inſectatur.Ait enim, qui morbilli a nobis ,, uocantur,puſtulæ dici non merentur,cum neque cutem puſtula ,, rum in morem attollant, neque humidum quicquam intra ſe ,, contineant,quo attolli vel cutis,vel ſubdita caro poſſit,ſed efflo- ,, reſcentiæ ſunt, ac maculæ &c. Quantum uterque aberret, no- ,, tum eſſe poteſt etiam mulieribus,quæ aſſerunt morbillos eſſe pu ſtulas paruas,veluti panicum. Fernelius uerò peculiarem etiam errorem hic incurrit, cùm exanthemata maculas eſſe affirmet, nam tumores ſunt,vt recte ibi demonſtrat Valeriola,& ex Hipp. colligitur 1.Epide. ſec. 3. Aegro 2. cum ait. Exanthemata cum ſudore rubra,rotunda,parua,ueluti uari.& 6.Aphoriſ.Aphor.9. Exanthemata lata non admodum pruriunt:& Gale.in commen. Exanthemata nonnulla in altum attolluntur,nonnulla lata fiũt.

Hinc alius apparet error Fernelii in diſtinctione illa ſua,quòd morbi peſtilentes ſint alii grauiores,alii leuiores: & exanthema ta reponat inter leuiores : nam ſi ſunt maculæ illæ ab Aetio de- ſcriptæ,quas vulgo uocamus petechias, patet omnibus vulgari- bus etiam, quàm graues ſint ſæpiſſime. Illud etiam obiter an- notauerim,hinc apertiſſime patere,q̃ grauiter errauerit in refu- tanda horum morborum cauſa ab Auicenna allata : nam ex ea cauſa facile colligi poteſt,cur morbi hi ſæpi⁹ infantes, & pueros inuadant,ſeniores rarius,curq; in his ſint periculoſiores, quod ex commentitia Fernelij cauſa colligi non poteſt. Et ſanè quàm impudenter cauſam ab Auic.allatam nititur eiſdem argumentis infringere, quæ iam ab ipſis authoribus erant confutata. Cum enim ait,ſi ex infectione menſtrua exanthemata hæc orirentur, in mulieribus,quibus ante tempus menſes cohibentur, exorirẽ tur. Ad hoc enim reſpondet, hæc ualde inter ſe differre, nam in generatione uariolarũ,& morbillorum ſanguis ebullit, ut ſe ex- purget ab infectione illa menſtrua,quæ exigua eſt: at in mulieri- bus,quibus mẽſes ſupprimũtur,totus ſanguis eſt corruptus nõ ſolum leuiter infectus,quare non oritur illa ebuilitio, quæ ſan- guinem depuret:oriũtur tamen interdum in his puſtulæ,tuber cula,& alii grauiores,& diuturniores morbi. Cum uerò arguit de Galeni ſententia fœtum ſanguine puriore nutriri, & ideo nõ

retinere excrementa menſtrua impuriora, quæ exanthemata ex citent. Reſpondet Auenzoar, licet fœtus exſugat partem tantum puriorem ſanguinis, fieri tamen non poſſe, quin malam quãdam qualitatem, & infectionem contrahat a longa eius mora, & uicinitate, vnde cum arguit, qui fit, ut hæc infectio tam diu interdũ perduret, ut ad trigeſimum uſque annum deueniat, reſpondent id prouenire ex maiori uel minori infectione, ex temperamentorũ diuerſitate, ex regimine uictus, & aliis cauſis quamplurimis: nam quod in corpore vitioſi ſucci diu lateant, deinde erumpãt, paſſim teſtatur Galen. in lib. de Aliment. & præſertim in cap. de Cucumeribus. Neque ideo hæc adduxi, vt uelim ſententiam eam in præſentia tueri, ſed ut impudentiam Fernelii oſtenderẽ, qui argumenta iam reiecta proferat. Nam ſi hæc cauſa Auicennæ non admittatur, alteram ipſe affert probabiliorem, quàm a Fernelio allatam. Sed his omiſſis, ad errorem, qui ad hoc inſtitutum pertinet, ueniamus. Et idem eſt error, qui in ſuperioribus: morbi enim hi morbi formæ non ſunt: ſiue enim uariolæ & morbilli proueniant ab infectione ſanguinis mẽſtrui materni ſiue ab aeris ſtatu, ſiue ab eius inquinamento, ob ſyderum concurſum, ſiue a praua uiuendi ratione, omnes hæ ſunt cauſæ morborum, non autem morbi ipſi: quod & ipſe pronunciat apertisſime, ut patet ex eius verbis adductis: uariolæ uerò & morbilli cũ ſint tumores præter naturam exigui, morbi ſunt quos Galen. interdum intemperiem cum affluxu eſſe ait, interdum morbos numeri, interdum morbos ſuperficiei: eam enim exaſperant, vt fuſius oſtendemus in morbis organicis. Quoſcumq; autem morbos dixeris, patet nullo pacto ſubſtantiæ totius morbos eſſe.

Atque hæc de morbis peſtilẽtibus tam grauioribus, quàm leuioribus. Aliam ſuam deinde uidetur adhibere diſtinctionem morborum haud ſumptam ab eſſentia rei, ſicut & præcedentem & eſt, morbos peſtilentes alios ſæpe inuadere, ſicuti iam explicatos: alios rarius, ſicuti paraplegiam Hippoc. vrentes ardores, grauedines anheloſas, & ſudorificas febres. Hos morbos peſtilentes eſſe cùm conſtituat, ob inquinamentum aeris ſæpe antea cõmemoratum ſint huiuſmodi, neceſſe eſt: quare eadem erit demõſtratio morbos iſtos non eſſe totius ſubſtãtiæ aliquo pacto, quia inquinamentum illud nõ eſt morbus, ſed cauſa; quæ non morbũ aliquem totius ſubſtantiæ, ſed ex vulgatis & receptis quempiam

affert. Inter hos morbos paraplegiam Hippocratis commemorat,de qua author ille 1.Epide.ſec.2.particu.59. & 60. ſic ſcribit.
Hac in tempeſtate hyeme paraplegiæ cœperunt, multoſque cor- ,,
ripuerunt, ex quibus nonnulli ſubitò moriebantur. Quid per ,,
paraplegiam veniat intelligendum, curque ſit inſolita, declarat Galen.in commento. Quod eam quoque ab inquinamento æris ob ſyderum concurſus prouenifſe aſſerat Fernelius, apertiſſime contra Hippoc.& Gale.id aſſerit,qui cauſam euidentem reddunt, & cur prouenerit, & cur præter ſolitum nonnullos ſubito interfecerit. Nec dubium eſt morbos reliquos inſolitos, quos affert ſuam habere cauſam manifeſtam. Sed ſi omnino occultam atque abditam cauſam habere contendat, concedemus, cauſam quidem eſſe abditam, at morbos manifeſtos, & ab omnibus receptos.De his autē inſolitis agit & in eo 2.de Abd. re. cau.in calce ca.12. Nos inſolitos iſtos morbos relinquētes ad contagioſos veniamus:ſi id prius admonuerimus,Ferneliū 4.Patholog. in calce c.18.negare morbos,qui ſine febre inuadant,eſſe peſtilentes: quod ex noſtris ſuppoſitis patet eſſe falſiſſimum,ſed mirū non eſt in hoc erraſſe Fernelium tā ſæpe errare ſolitum,cùm doctiſſimus Agricola raro errare aſſuetus idem ſenſerit, nam omnes morbos peſtilentes febriles eſſe pronunciat, vt ante quoq; annotauimus.

Contagioſos morbos à cauſa abdita non eſſe morbos formæ. Cap. XXVII.

CVM morbi contagioſi de Fernelij ſentia ſint aut à cauſa manifeſta, ueluti ſcabies, aut occulta: de primis non agit, quia complexus eſt eos in primo genere morborum formæ à cauſa manifeſta cum putredine prouenientes. Proſequitur igitur prouenientes à cauſa abdita: de quibus in 2. lib. de cauſis illis capit. 14. agit. Hos autem eſſe morbos ait, qui externi cuiuſdam ueneni occurſu, & contagione inferri ſolent: & in primis recenſet ſtuporem à marina torpedine. Morbos iſtos omnes poſſumus de medio tollere, ſicuti & ſuperiores peſtilentes, vnico uerbo aſſerentes morbos non eſſe, ſed morborum cauſas. At inſtabit ille, hæ cauſæ agunt à tota ſubſtantia in corpus, ergo & in to-

tam

tam ſubſtantiam agunt, quare morbi ab eis excitati ſunt totius ſubſtantiæ morbi. Reſpondeo, cauſas iſtas, licèt agant à tota ſubſtantia, aut quomodocunque aliter, excitare tamen aliquem ex receptis morbis ex intemperie, ex mala compoſitione, & ſolu ta vnione, quod per omnes cauſas ab eo allatas excurrenti facilè apparebit. Ac primùm torpedo marina ſtuporem induci: ſtupor autem morbus non eſt, ſed ſymptoma actionis motricis, & ſenſibilis, quæ ambæ debilitãtur, vt ſcribit Gale. 1. de Sympt. cau. c. 5. prouenit ergo ſymptoma hoc à morbo partis illius, à qua motus oritur & ſenſus: vnde nerui ipſi laborabunt aut morbo ex intem perie, atque ea, vel ſine affluxu, aut cum afflnxu, aut etiam ex obſtructione. Sed in hoc ſtupore à torpedine marina inducto, dico neruos affici intemperie frigida: vnde etiam cùm torpedo uiua admota capiti dolorem eius ſedat, agit id ſtupefaciendo, veluti reliqua anodyna. Opium etiam quod ſecundo loco adducit tanquam à tota ſubſtantia agens, teſte Gale. frigidum eſt quartò gradu, ideoq; inter venena frigida commemoratur, quæ ſua intenſa frigiditate ſtupefaciunt, atque interficiunt. Sed negat Fernelius ac cum eo Matthiolus, opium eſſe adeo frigidum poſ ſe, cum ualde amarum ſit, & pruritum inducat. Non conſiderauerunt hi, quod ſæpe admonet Galen. in lib. de Simpl. Medic. medicamẽta, quæ ſimplicia vidẽtur, ſimplicia non eſſe, cũ ex diuerſis partibus conſtent, vt in roſa cõſtat, quæ ex partibus igneis & terreſtribus compoſita eſt, exaluum ſupprimentibus & laxanti bus: quod de opio dicẽdũ eſt, conſtare ſcilicet ex partibus diuer ſis, quarum quædam ſint frigidiſſimæ, aliæ minus: & ideo mirum non eſt, ſi ſuo frigore interficit. Quod ſtupefaciat, & interficiat ſua frigiditate argumentum euidentiſſimum colligitur ex Dioſcoride, & Galeno 2. de Antid. capit. 7. cùm remedia iis, qui opium ſumpſerunt, inſigniter calefacientia propinent.

Hydrophobia verò, quã tertio loco adducit, maiorẽ habet vim atque efficaciam. Conceſſum enim ab omnibus eſt, ſpumam canis rabidi à tota ſubſtantia agere: quis enim aliter iudicet, cum uideat exiguam ſpumam interdum ſex menſes latitare, deinde repente erumpere, timorem aquæ incutere, furorem, & tandem mortem? Sed facilis eſt reſponſio, eam licet agat à tota ſubſtantia, inducere tamẽ morbos in corpus affectum notos & receptos ab omnibus: vnde morſus canis rabidi intemperiem calidam & ſiccam

ſiccām inducit in homine demorſo, cui ſymptomata omnia atte ,,
ſtantur: ſitis vehemens & mania, deliriumque, ob quod aquam ,,
pauet: vnde quiſpiam poſſet arguere ſpumam etiam illam canis ,,
rabidi calidam eſſe & ſiccam. Quod ſi rabie affecti large aquam ,,
frigidam biberent, ſanitati reſtituerentur authore Aetio ex Po- ,,
ſidonio, quod & ipſum indicat ſic affectos intemperie valde ca- ,,
lida & ſicca laborare. Quod ſi antidoti adminiſtrentur agen- ,,
tes non à qualitate manifeſta, ſed à proprietate totius ſubſtātiæ, ,,
valent hæ ad deturbandam cauſam ipſam, cauſa autem erat illa ,,
ſpume, aut ſpumæ venenum, quam etiam remediis manifeſtis
educimus cucurbitulis, ſcarificationibus, igne, & medicamentis
valde attrahentibus. Addit tandem ſcorpionum, & reliquarū
beſtiarum virulentarum, & telorum etiam venenatorum ictus,
quæ omnia cùm agant à tota ſubſtantia, morbos etiam totius ſub
ſtantiæ inducunt. Reſpondendum eſt, vt antea: hæc quidem
agere à tota ſubſtantia: vnde mirum eſt, quomodo tam exigua
punctura veluti ſcorpionis habeat tantam vim, vt tot ſymptoma-
ta in corpus inducat, & tot morbos. Quæ omnia ſi legas apud
Dioſcor. nullum morbum abditum reperies, ſed omnes tritos &
receptos, intemperiem, malam compoſitionem, ſolutamq; vnio
nem, quibus ſi remedia adhibeas agentia à tota ſubſtantia, adhi
bebis nō ad curandos morbos, ſed ad cauſam amoliendam, quæ
induxit, & fouet adhuc morbos. Inter contagioſos morbos e-
numerat luem gallicam, & meritò, cùm nihil ſit contagioſum
magis, & nihil adeò vulgatum: ea verò oriri a qualitate occulta
& venenata, ſunt qui aſſeueranter negent: & Rondeletius in pri-
mis, qui morbum hunc intemperiem frigidam, atque humidam
eſſe ſtatuit, & totam eius curationem progredi methodice à con
trarijs: nam & redundantia malorum humorum euacuatur, & in
temperies frigida atque humida calidis & ſiccis tollitur, ueluti
decocto ligni indi. Sed etſi concedamus oriri eum morbum à
qualitate abdita, non ideo erit morbus totius ſubſtantiæ, quia
qualitas illa non eſt morbus, ſed cauſa morbi. Ac ſanè libenter
verba facio de hoc morbo, nam deprehendam Fernelium aperte
confitentem, qualitates iſtas malignas agentes à tota ſubſtantia
cauſas eſſe morborum, non morbos. Sic itaque ait cauſam ele-
gantiſſime deſcribens. Efficiens eius cauſa venenata eſt, & ma- ,,
ligna qualitas, atque pernicioſa labes, quæ in quacunq; corporis ,,
parte

„ parte primùm inſederit,eam contaminat, indeque cõtinuatione
„ in corpus omne ſpargitur, & ex paruo initio,& quaſi ſuſcitabulo
„ profecta ſenſim inualeſcit,& propagatur: dum non ſpiritus mo-
„ do atque humores,ſed & carnem, & partes omnes ſolidas perua
„ gatur. Hucuſque vim cauſæ efficientis deſcripſit,nondum quem morbum efficiat, appoſuit: ſed ſtatim apponit his verbis. Neque
„ earum temperamentum ſolùm, verùm etiam totam ſubſtantiam
„ peruertit: vix ut vlla deinceps probo, ac puro fruatur alimento.
„ En quàm aperte pronunciauit malam qualitatem Gallicam cauſam eſſe efficientem morbi, at quem morbum efficit? intemperiem, & totius ſubſtantiæ. De intemperie conſentio, & libenter amplector, cùm habeam eum confitentem,malas iſtas qualitates agentes a tota ſubſtantia inducere morbos non a tota ſubſtantia ſemper,ſed tritos,& receptos ab omnibus:at morbum totius ſub ſtantiæ non admitto,quia nuſquam apparet.

Obſerua diligenter in ægris, lege ſeduló,& perquire in authoribus,qui de hoc morbo ſcripſere,morbos omnes,omniaq; ſymptomata,quæ in hac lue affectis ſolẽt apparere, ne veſtigium quidem inuenies morbi totius ſubſtantiæ:ſed reliqua omnia genera morborum intemperiem,ſolutionem continui, malamque ſtructuram. Inuenies genera omnia ſymptomatum,quæ ex quocũq; genere morborum ſolent proficiſci. Quod ſi contendas decocto guaiaci,& alijs conſimilibus remedijs,quæ potius curent totius ſubſtantiæ proprietate, quàm manifeſtis qualitatibus, hunc morbum profligari,& opinionem Rondeletij reijcias, nõ admodum renitar, ſed dicam(quod eſt veriſſimum) remedia hæc cauſam amoliri,quæ morbi efficiens erat,conſeruansq;, qua propulſata facile morbi curantur: Et ſic defendimus nullum eſſe ſubſtantiæ morbum: licèt verò in ita affectis omnia morborum genera reperiantur, præcipuus tamen morbus eſt intemperies calida & ſicca iecoris: nam in hoc Fracanzano aſſentior, cùm præſertim ſic ſenſerint Franciſcus Caſſanus, & Franciſcus Frizimelica præceptores mei. Hanc autem intemperiem illa mala qualitas inducit, ſicuti lepus marinus ulcus in pulmone, & cantharides in veſſica. Ab illa verò iecoris intemperie proueniunt morbi reliqui, quia cùm improbus ſanguis in iecore gignatur, cauſa eſt multorum aliorum morborum, nunc in uno membro, nũc in pluribus, nunc in uniuerſo corpore. Dicat aliquis, nonne intem-

intemperies,tumores,& vlcera ab hac lue excitata diſtinguimus ab aliis hac adiunctione,hanc eſſe intemperiem gallicam,tumores gallicos,vlcera gallica,& ea adiūctio diſtinguit hæc à morbis cæteris? Conſtituit itaq; propriā quādā morborū differentiam: hæc autem peculiaris differentia morbum totius ſubſtantiæ indicat. Reſpondeo, hanc differentiam ſumi a cauſa. Inſtabis iterum, ſi hæc differentia eſt cauſa,ergo continens, quia non cōſtitueret ſpeciem aliquam, niſi ſemper ei eſſet adiuncta. Dico non eſſe continentem,quia poteſt cauſa remoueri ab effectu:vnde interdum venenum exhibitū a corpore extruditur,& reſtant adhuc morbi,quos peperit. Elephantiaſim poſtremam recenſet inter morbos contagioſos, in qua deſcribenda in multis recedit a Galeno. Primùm ſtatuit hanc eſſe in genere morborum totius ſubſtantiæ: at Galen. in lib.de Inæquali intemperie cap. 1. intemperiem inæqualem eſſe affirmat cum affluxu ſubſtantiæ: & in lib.de Cau.morb.cap.7.docet,eam ſibi alios morbos adiungere,& præſertim uitiatam figuram. Deinde ſententia Galeni eſt, eam prouenire ab humore melancholico: Fernelius præter atram bilem vult adeſſe latens quoddam venenum, nam ſi ex ſola atra bile gigneretur elephantiaſis,in aliis morbis ortum ducentibus ab eo humore veluti in melancholia,mania,& febre quartana excitaretur: quod cùm haud eueniat,patet non ex ſolo humore melancholico gigni elephantiaſim. In eo etiam ab eo diſſentit, quod Galen. 2. ad Glauc. cap. 10. morbum cutaneum aſſerit eſſe: ipſe vero affectum totius corporis eſſe affirmat, cum humor hic non ad cutim tantum erūpat,ſed in viſcera,& in omnes partes intimas diſſeminetur. Vltimum diſſidium eſt, Galenum, morbum eum curari, & profligari poſſe in ſcriptis reliquiſſe: Fernelium ne ullam adhuc eſſe inuentam antidotū,quæ poſſit morbum hunc diuertere. Quantum ad vltimum diſſidium iudicent omnes vtri magis ſit credendum: Galenus enim ſecum habet omnes medicos, qui curationē huius morbi tradidere:quod nō feciſſent,ſi non liceret eā exequi:& 11. de Simpl. Med. ac lib.de Subfig. empirica cap. 12. deſcribit quinque hoc morbo laborantes fuiſſe ſanatos:cùm verò Galen.aſſeruit in hoc morbo atram bilem ad cutim erumpere, nō negauit eam partes etiam cuti ſubditas occupare poſſe:id enim euenire poſſe in inueterata elephantiaſi, & magna huius humoris redundantia cō

ceſſerim:

ceſſerim: at nunquam erit elephantiaſis niſi fœditatem illam incute inducat. At argumenta, quibus probat non ex ſola atrabile gigni elephãtiaſim, ſolitã eius produnt inſcitiam: nam ſi vera eſſent, ſequeretur, vbi vnus adeſt morbus ex aliquo humore, quòd neceſſariò adeſſe deberent omnes morbi ab illo humore exorientes, vnde viciſſim probare poſſemus maniam, melancoliam, febrem quartanam, non eſſe ab humore melancolico, quia in elephantiaſi non apparent iſti morbi. Non aduertit vir ſtupidus humores pro maiori & minori copia, & pro impetu modo ad hanc, modo ad illam partem varios producere morbos. Nec minus ridiculum eſt, cùm ex ſym̃ptomatis, & præſertim defluuio pilorum arguit in elephantiaſi eſſe latens venenum: nam ſi leges primum de medicamentis localibus, videbis an excrementum atrabilarium poſſit inducere pilorum defluuium ſine latenti veneno: maximum autem argumentum eſt, gigni morbum hunc ab atrabile, quòd victus ex rebus atram bilem generantibus eam pariunt, & regiones etiam quædã, vbi redundat hic humor. Quare in Alexandria plurimi vexantur, in Scythia nemo. Quod verò non adſit venenum inde patet, quòd materiæ venenatæ, ſiue in corpore genitæ, ſiue aſſumptæ ſoleant interficere intra paucos dies: at elephantici diutiſime viuunt. Falſum igitur puto, ꝙ a ſe ipſo, ſine vllo authore, & ſine vlla ratione cõmentus eſt Fernelius, vt facilius cõſtitueret elephãtiaſim inter formæ corruptelas. Sed etiam ſi hoc illi concedamus venenum illud nõ morbus erit, ſed morbi cauſa. Atq; hæc de morbis contagioſis ſatis ſunto.

Venenum intra corpus genitum non parere morbos formæ. Cap. XXVIII.

POSTREMO loco affert morbos totius ſubſtantiæ ortos ex ueneno: cùm verò uenenum aut in corpore gignatur, ut eſt author etiam Galen. 6. de Loc. aff. aut aſſumatur, agens prius de veneno in corporibus genito prima fronte locat epilepſiam: nam in 2. de Abd. re. cau. capit. 15. & in 5. Patolo. capit. 3. ut magnum cumulum morborum à tota ſubſtantia coaceruet cauſam epilepſiæ a Galeno, & ab alijs claſſicis authoribus traditam nititur infringere,

fringere,& nouam inducere. Cum itaque Galen. paſſim & 3. de Loc.aff.cap.7.potiſſimum epilepſiam prouenire dicat ab humoribus craſſis & lentis ventriculos cerebri obſtruentibus, qui tam pituitoſi ſint,quàm melancholici: obſtructio autem hæc integra non ſit ſicuti in apoplexia, in qua ventriculi penitus replentur eodem humore: contra hanc diuerſitatis cauſam primò arguit Fernelius,& ait. Si vera eſſet hæc diſcriminis cauſa, epilepſia apoplexiam ſemper præcederet: veriſimile enim eſt,repletionē ventriculorum nō repente fieri,ſed paulatim humore craſſo affluente:dum itaque humor hic affluit,antequam prorſus impleat ventriculos, inducet epilepſiam. Sed hoc falſum eſſe conſtat: cùm vt plurimũ apoplexia repente ingruat nulla præeunte epilepſia: vnde colligitur, hanc non eſſe veram diſcriminis cauſam. Præterea ſi verum eſt, epilepſiam ea de cauſa prouenire, excuſſo ſemel humore obſtruēte,qui fit,vt iterum atque iterum, tertio,& quarto,eadem die interdum acceſſio reuertatur? Præterea ſi hæc eſſet epilepſiæ cauſa, in diſcuſſione paroxyſmi ſuccederet ei paralyſis,ſicuti ſuccedit apoplexiæ. Ex anatome etiam id confirmat, nam aperto capite philoſophi epileptici inuenit quadam in parte craſſam membranam cranio adhæreſcere pauculo humore putri interiecto. Alter in cerebri ſubſtantia humorem exiguum quidem,ſed fœtidiſſimũ continebat. In vtroq; verò ventriculi obſtructionis expertes erant. Idem aſſerit & de apoplexia:cùm enim duos diſſecuiſſet arterias plexum retiformem conſtituentes ab humoribus obſtructas,& compreſſas deprehendit, ventriculos uerò cerebri illæſos, & inanes. Quare, vt ad epilepſiam reuertamur,concludit,cauſam eius non eſſe obſtructionē ventriculorũ,ſed malam quandam & venenatam qualitatem. Vnde ſicuti Galen. tertiam ſpeciem epilepſiæ à mala qualitate delata a partibus inferioribus ad cerebrum ortum ducere teſtatur eodem 3.de Loc.aff.ita Fernelius omnē epilepſiam ſiue per eſſentiam ſit, ſiue per conſenſum, ab eadem mala qualitate excitari ſtatuit: quod ſi verum eſt,facile reddetur cauſa, cur duo illi, quos diſſecuit,in epilepſiam inciderēt,nam ab humore illo putrido attollebantur vapores,qui cerebro læſo epilepſiam inducebant: quod alio comprobat experimento: cùm enim in epilepſia deprehēdiſſet,in ſummo uertice capitis ſub pericranio uitiatum, & venenatum humorem coerceri,iudicaſſetque inde

vapores

uapores in cerebrum exhalare, & morbum comitialẽ inuehere, & loco affecto cauſticum medicamentum admouiſſet, hominẽ ſanauit. His Fernelij argumentis deducitur, epilepſiam non prouenire ab obſtructione vẽtriculorum cerebri facta ab humoribus craſſis & lentis. Sed & Rondeletius in methodo ſua curandi in ſecundo ca. de epilepſia nititur demonſtrare epilepſiã nõ produci ab huiuſmodi humorum obſtructione, ſed magis a tenui materia, uel ſpumoſa, & acri, quàm craſſa. Quod non fiat ab humoribus craſſis ſic demonſtrat. Si craſſus & viſcidus humor ventriculos cerebri obſtrueret, qui ſpiritum impediret quo minus poſſet exire, ceſſaret motus, aut ſaltem minor fieret, ut in paralyſi accidit, at tantum abeſt, vt ceſſet, vt omnes partes præter uoluntatem ad motum concitentur. In hoc argumento per multas ambages inſiſtit Thomas Eraſtus, qui ſimia factus eorũ, qui recedunt a Gale. in quarta parte Paracelſicorum cõgerit ſimul Fernelij, Rondeletii, & ſua quædam argumenta ad Gal. ſententiam conuellendam. Arguit deinde Rondeletius ſic. Porrò ſi epilepſia fiat propter aliquã obſtructionẽ, ea erit in meatu illo, qui à cerebro ad choanam, id eſt peluim, ſiue infundibulũ peruenit, per quem pituita ad palati foramina deſcendit. Ob id Gale. 4. & 11. de Vſu part. optime à natura comparatum eſſe ait, ut per decliues cerebri meatus, tum per palatum in os, tum per corpus narium orificijs perſpicuis, ac magnis, pituita, aut alia cerebri excremẽta excernantur, ne animal frequenter corripiatur epilepſia. At contra, in epilepſia accidit, in qua per illam viam expurgatur materia, quæ inſultum excitat, & ea, quæ cum ſpuma ex ore eiicitur ab ægris. Præterea ſubita & repentina obſtructio in magnis cauitatibus non fit. Demonſtrat deinde à materia tenui fieri, non obſtruente, ſed vellicante, & ſtimulãte cerebrum, in quo ſectatur Auerroim 3. Coll. ca. vlt. vnde cita inuaſio epilepſiæ tenuitatem potius, quàm craſſitiẽ materiæ indicat, & cita morbi ſolutio materiæ tenuitatem & paucitatẽ, cùm craſſa difficillime moueatur, tenuis facillime: quo argumẽto etiã Gale. 2. de Sympt. cau. ca. 2. probat palpitationem fieri à flatu, quia cito generatur, & cito diſſoluitur. Idem demonſtrat per omnia genera epilepſiæ per conſenſum inuadentis deſcripta a Galen. 3. de Loc. aff. cap. 7. 5. cap. 6. & 6. cap. 5. Iuuenis grammaticus, qui quoties vehementius doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret,

ret; aut iraſceretur, morbo comitiali corripiebatur, id indicat. Idem indicant ij,qui conuulſioni comitiali ab ore ventriculi corripiebantur,aut cùm non probe concoxiſſent, aut vini miracioris plurimum potaſſent, aut vbi veneri immodice operam dediſſent. Idem indicant,qui febri laborantes epilepſia corripiebantur, & bilioſo ſuperueniente vomitu liberabantur. Idem indicāt mulieres hyſtericæ,& pueri,quibus a pede ad cerebrum aura ferebatur. Hoc idem teſtatur Ariſtot.in calce lib.de Som.& vig. cùm ſcribit,pueros maxime eſſe obnoxios epilepſiæ, quod eorū caput multis fumis repleatur. Hoc ruſus atteſtantur vacuationes,quæ fiunt in diſcuſſione paroxyſmi:oſcitant enim,ſternutāt, & ſpumā per os reddunt,quæ omnia materiam eſſe tenuem oſtēdunt. Nidores etiam, & res aliæ odoratæ, quæ quandoque morbum hunc ſuſcitant, id comprobant. Aer etiam & uentus quandoque iter facientibus epilepſiam promouens confirmat hanc ſententiam. Confirmat & id etiam, quòd qui acumine pollent ingenij morbo huic ſunt obnoxij,vt legitur de Iulio Cæſare,Maumethe, & alijs: unde & Florentini viri perſpicaciſſimi frequentiſſime hoc morbo vexantur. Ex his concluditur epilepſiam fieri & a pituita tenui,& a ſpumoſa,uel a bile flaua, uel attenuata atra, aut eius ichoribus, uel a uaporibus acribus, uel ab odoratu propter cerebri exactiorem ſenſum. Quædam addit & Eraſtus ad explodendam Galeni ſententiam. Et primùm id demonſtrat exanatome: multi enim diſſecti ſunt, in quibus uentriculi aqueo humore,aliquando etiam cruento pleni apparuerūt, quanquam in illis nihil epileptici apparuiſſet: unde colligitur, ſi in ijs,in quibus manifeſta erat obſtructio,nō orta eſt epilepſia, obſtructionem non eſſe epilepſiæ cauſam. Præterea ſternutamentum magnum eſt ueluti quædam parua epilepſia, authore Auicen.in cap.de Epilepſia: ſicuti enim in hac cerebrum a ſe excutit,quod modeſtum eſt: ita in ſternutamento: & inter ſternutandum fit aliqua conuulſionis ueluti ſpecies in facie, ut in hac quoque parte ad epilepſiam proxime accedat. Sed in ſternutamento nulla eſt obſtructio,ergo nec in epilepſia.

Singultus quin etiam eſt,ueluti conulſio quædam,unde epilepſiæ ſimilis eſt: ſed ſingultus non fit ob uentriculi obſtructionē, ergo nec epilepſia. Ad hæc in uertigine, quæ ſimillima eſt epilepſiæ,nulla eſt in ſinibus cerebri obſtructio,ergo nec in epilepſia

S Quod

Quod ſi epilepſia fieret ob humores craſſos obſtruentes, frequentiſſime in ſenibus eueniret, ſed raro in his euenit authore Paulo, Auicenna, & Cælio Aureliano, ergo &c.

Tādem ſi epilepſia fieret ab obſtructione, ab eadē cauſa proueniret, a qua apoplexia: quare cum idē etiam ſit locus affectus, nulla inter eas eſſet differentia, niſi maioris, & minoris: at ex vtriuſque ſymptomatibus patet, magnum inter eas eſſe diſcrimen, quod cum in loco non ſit, in cauſa quærendum eſt. Sed apoplexiæ cauſa eſt humor craſſus obſtruens: igitur epilepſiæ talis non eſt, ſed mordicans, & vellicans. Maxima pars horum argumentorum, quæ vim habent aliquam deſumpta eſt ab exponētibus tertium librum Canonis Auicennæ: quæ cum ab eiſdem ſatis commode refellantur, neſcio, quid in mentem venerit viris iſtis clariſſimis reiectis iam argumentis Galenum oppugnare: nam ſiquæ ipſi confingunt argumenta, adeo ſunt leuia, vt confutatione nō egeant. Ego tamen vt diſciplina Galeni reddatur illuſtrior, ea omnia reiiciam eo ordine, quo propoſita ſunt.

Refutatio argumentorum Fernelij. Cap. XXIX.

AD primum itaq; Fernelij reſpondeo, ſi apoplexia repēte ingruit, repente ēt fieri integram ventriculorū cerebri obſtructionē. Nulla itaque neceſſitas cogit epilepſiam præcedere, nec ēt ſubſequi, vt arguit Eraſtus: nam cū ſubito in apoplexia excernatur materia illa e uētriculis, non reſtat imperfecta obſtructio, quæ epilepſiam inducat. Nec mirū eſt tantam interdum in cerebro redūdare pituitā, vt ter & quater in die obſtructionē faciat, & paroxyſmū concitet. Immo uero in hoc, ſicut in aliis declarat, paruam ſe habere cognitionē eorū, quę quotidie corpori humano eueniūt: ac ſi ipſe homo nō fuerit. Videmus enim in grauedine, ac deſtillatione tātā pituitæ copiam, inde ad nares, hinc ad fauces effluere, vt totū cerebrum in pituitam conuerſum eſſe putes. Nec vlla neceſſitas cogit, etiā ſi epilepſia fiat ex obſtructione, cur ea ſoluatur in paralyſim: cū enim integra non ſit obſtructio, cerebrū ualide cōtrahitur circa materiam obſtruentem, eamque vi exprimit per uias apertas ad palatum, & ad nares, vt fit in ſternutamentis, quod in apoplexia

non

non ſit: cum enim integra ſit obſtructio, cerebrum non poteſt ſua cõtractione materiã obſtruentẽ excutere vndequaq; quare ad alterum latus excutit,& debilius, authore Auicen. atq; id eſt principium ſpinalis medullæ,vt colligitur a Gal.3.de Loc. affec. cap.vlt. Nec de experientia ex anatome facile credendum eſt homini tam facile labi ſolito in rebus etiam apertiſſimis,& dogmatibus ſuis plus æquo applaudenti. Ac ſanè fieri potuit,vt humor ille putridus,qui inter cranium,& duram membranã reſidebat, aliud genus ſymptomatis, quam epilepſiam induxerit, veluti carum, hominemque interfecerit. Quod ſi concedamus etiam in eo ex vaporibus cõcitatam fuiſſe epilepſiam,veluti in ea, quæ fit per conſenſum,nihil repugnabit decretis Galeni:ſed veriſimilius eſt,humorem illum putridum duræ incumbentem membranæ ſua mole,malaq; qualitate carum produxiſſe,quàm vaporibꝰ epilepſiam,quod fieri potuiſſeapparebit,ſi Galenum legas 4.de Loc.aff.cap.2. vbi de caro agit. Et quamuis deprehenderit in apoplecticis diſſectis arterias plexum retiformem conſtituentes ab humoribus obſtructas,& compreſſas,uentriculos vero cerebri illæſos,& inanes: non repugnat hoc Galeni decretis,qui de Vſu pulſuum cap.2.ab eo plexu ſumminiſtrari alimentum,& materiam ſpiritui animali aſſerit,qui in vẽtriculis cerebri gignitur: Intercepto igitur ſpiritu vitali a plexibus illis emanante,deſtruitur & ſuffocatur etiam animalis,quo deficiente, neceſſario deficiunt actiones cerebri,quibus interceptis, cũ reſpiratio pereat, perit & animal. Vnde doctiſſimus Auicen. aſſerit obſtructionem hanc fieri aut in meatibus ſpiritus ex cerebro,aut ad cerebrum: ea itaque fuit obſtructio in meatibus ſpiritus ad cerebrũ. Quod ſi aſſeras eo in plexu fuiſſe inflammationem,aut affectum inflammationi ſimilem,& apoplexiam induxiſſe,hoc erit Galeni diſciplinæ conſentaneum,quem multa genera apoplexiarum conſtituiſſe patet ex comment.in aphor.42.2.ſect.vbi apoplexias ſemper nominat,non apoplexiam. Ac ne dicas eum numero plurratiuo indicare diſtinctionem validæ & debilis apoplexiæ, audi eum loquentem. Omnes apoplexiæ fiunt vi animali non poten „ te defluere ad partes infra caput exiſtentes,aut propter aliquam „ diſpoſitionem,quæ inflammationis ſenſum referat, quæ in ipſo „ cerebro ſit cõſtituta,aut ventriculis ipſis oppletis humore pitui „ toſo. Priorem illam apoplexiam ſignificat Galen.in lib. de Sec.

..næ, cap.5.cùm ait ex plenitudine uaſorum creari tumores, & apoplexiam: eandem etiam ſignificat 4. de Loc. aff. cap. 2. cùm ait in morbo comitiali uentres magis cerebri, corpus minus: in apoplexia uerò corpus magis affici ſolere. Verùm etſi concedamus apoplexiam quandoque prouenire ſine ulla ventriculorum cerebri obſtructione, non video, hoc prohibere, quin epilepſia ab eorum obſtructione proueniat: quam cum Galeno ipſo conſentio, quando per cõſenſum prouenit, abſque obſtructione prouenire: unde & in alio epileptico, quem adducit, cõceſſerim ab humore uitiato, qui ſub pericranio continebatur, uaporem ad cerebrũ ſublatum fuiſſe, & epilepſiam per conſenſum induxiſſe, atque ob loci deuſtionem hominem fuiſſe liberatum: ſic enim faciendum eſſe oſtendit & Auic. in huiuſmodi epilepſijs. Sed de his agemus in redargutione Rondeletij: nam quantum ad Fernelium, etiam ſi conceſſero epilepſiam quandoq; prouenire ſine obſtructione uentriculorum cerebri, nihil uideo eſſe ab eo allatum, quod uetet, quin ſæpius ab obſtructione proueniat. Quod ſi etiam ei condonem, epilepſiam ſemper prouenire a uenenata & abdita cauſa, non ideo aſſequetur propoſitũ, epilepſiam eſſe morbum formæ: nam uapor ille uenenatus cauſa eſt, non morbus: & morbus ab ea inductus erit morbus in uijs: vellicatum enim cerebrum ſe contrahit, & claudit uentriculos, ex qua occluſione naſcitur ſymptoma, conuulſio uidelicet uniuerſalis. Erat aliud
„ Fernelij argumentum his uerbis explicatum. Multos (ipſe ſcio)
„ uidiſti inde epilepticos euaſiſſe, qui in curanda lue uenerea, dum
„ unguentis ex hydrargyro illinerentur, nonnihil in aurem & in ce
„ rebrum penetraſſet. His ne quæſo dicas cerebri uentriculos hu-
„ more multo impleri & obſtrui? B. Minime quidem, ſed ipſum corrupti hydrargyri pernicie laceſſiri. Dicas ab hydrargyro uitiari cerebri temperamentum, quo fiat, ut non bene concoquat, & multa generet excrementa, quibus uentriculi cerebri obſtruantur: uel dicas ab hydrargyro humores intro compelli, quo fit, ut uentriculos cerebri obſtruant.

Ad argumenta Rondeletij. Cap. XXX.

NVNC ad Rondeletium veniamus, cuius primum argumentum nullã habet vim: oẽs enim cõcedent in epilepſia ſpiritũ tranſmeare ad partes cerebro ſubditas, per quem motus celebratur reſpirationis, neq; hoc mirũ eſt in epilepſia, cum ex imperfecta obſtructione proueniat vnde exitus aliquis relinquitur: mirũ magis eſt in apoplexia, in qua integra eſt obſtructio, in ea tamen tranſmeãt ſpiritus ad nervos, qui uim motricẽ afferunt muſculis thoracẽ attollentibus ad celebrandam reſpirationẽ. Dico igitur, licet tranſeat ſpiritus, nõ ideo eſſe arguẽdum, quin facta ſit obſtructio ab humoribus craſſis, nã integra non eſt, vnde remanent partes peruiæ ſpiritibus. At præterquã quòd hoc argumẽto nihil concludit, valde ẽt hallucinatur, cum putet motũ illum conuulſorium in epilepticis a ſpiritibus deferri: ac ſi motus eſſet naturalis, & volũtarius. Sed de hoc paulo infra. Eraſtus multus eſt in hoc argumẽto: & quãquã eodem modo refutari poſſit, conſiderandum tamẽ & perpendẽdum eſt, quæ vir ille ſcribit: occurret enim nobis in hac diſputatione quarundam difficultatum non ſpernendarum explicatio.

Repetamus igitur argumentum. Si epilepſia, inquit, fieret ob uẽtriculorum cerebri a craſſis humoribus obſtructionem, intercluderetur tranſitus ſpiritibus motum, & ſenſum ad partes inferiores deferentibus. Sed tranſitus hic non intercluditur, ergo epilepſia non fit propter obſtructionem. Quia verò ad ſenſum apparet in epilepſia non defluere ſpiritus ſenſorios ad inferiora cum æger nihil ſentiat: hos etiam defluere ratione demonſtrat: nam ſi defluunt ſpiritus motum deferẽtes manifeſte, contrahũt enim ſe, & extendunt epileptici, defluant etiam ſenſorij, neceſſe eſt, cum facilius motus deſtruatur, quàm ſenſus, quippe cum maior uis in motu exigatur, quàm in ſenſu, authore Galeno 1. de Loc. aff. cap. 6. & 4. de Loc. aff. c. 4. reddit deinde rationem, cur excurrentibus ſpiritibus tam motuum, quàm ſenſuum delatoribus, ſenſus pereat, motus non ſolum retineatur, ſed etiam augeatur, cum contra potius ſoleat euenire, nam ſæpe motu pereunte ſenſus eſt ſuperſtes: nunquam pereunte ſenſu, motus remanet. Ait itaque perire ſenſum, quia in celebrando ſenſu duo concur-

tunt, alteratio inſtrumentorum, & perceptio alterationis: perceptio autem fit a prin cipe facultate. Verùm in his, etiam ſi fiat inſtrumentorum alteratio, ea tamen non percipitur a facultate cerebro inſidēte, quia vexatū & occupatum eſt in extrudēda re noxia, vnde licet pungas, ſeces, & exuras ægrum, facultas id non percipiet: perit igitur in eis ſenſus, non ille quidem ſpirituum pe nuria, ſed quia cerebrum eſt læſum. At motus eſt ſuperſtes, quia in celebrando motu duo concurrunt, & inſtrumentum aptum ad motum ueluti muſculi, qui flecti, & extendi pŏſſint: & appeti tus, qui motum imperet: appetitus autem naſcitur ex cognitione rei fugiendæ, vel optandæ, ergo cum in epilepſiā adſint muſculi concinne fabricati, vna cum ſpiritu animali, & adſit ēt motū imperans: non eſt mirum moueri membra licet non ſentiant.

Eſt autem hic motus, inquit, deprauatus, & naturæ inconueniens, quia poteſtas mandans læſa eſt, & confuſe imperat omnibus, non diſtincte his, vel illis, quantum tendi laxariue debeant, præfinit. Hactenus Eraſtus, qui cur ſenſus in epilepſia non fiat, recte fortaſſe diſſeruit: cur vero fiat motus, dum ſibimet placet in philoſophica cauſa reddenda, turpiſſime labitur in philoſophia, & in arte medica, & contradictiōnem etiam implicat. Nam ſi facultas animalis motum imperat partibus inferioribus, imperiū illud naſcitur ex appetitu, vt partes illæ vel fugiāt eo motu, quod noxium eſt, vel conſequantur, quod vtile. Sed appetitus oritur a cognitione, & a cognitione per ſenſum: at iam aſſeruit facultatem hanc occupatam, & uexatam eſſe, vt alterationem mēbrorū percipere non poſſit: ſentiet igitur hæc facultas, & non ſentiet.

Præterea nemo eſt, cui notum non ſit, motus conuulſorios eſſe inuolūtarios, ſed ſi fiāt a facultate mandante, erunt volūtarij: voluntarij igitur ſimul & inuoluntarij. Et audent temerarij iſti diſciplinam Galeni rationi ſemper & ſenſibus innitentem inuadere, cum in rebus cuicūque uel mediocriter erudito notis turpiſſime labantur. Valde itaque decipitur, dum motum conuulſorium in epilepticis a facultate mandante, & ſpiritibus animalibus celebrari aſſeuerat: nam Galen. in 2. de Sympt. cau. cum cauſam quæreret motuum deprauatorum, & alios a facultate prouenire aſſereret, alios a morbo, alios & a facultate & a morbo, palpitationem, & conuulſionem a ſolo morbo prouenire ſcripſit: nullum itaque locum facultas in hoc motu obtinet: cū a morbo

ſemper

ſemper fiat oriente vel ob repletionē, uel inanitionem, de autho ritate Hippoc. quod exemplo cordarum muſicorum inſtrumen torum demonſtrat Gal. Sed res trita nimis, ut non egeat longio ri oratione. Dico igitur motum epilepticorum non fieri a ſpi-ritibus, nec a facultate: quare ſi argumentum non fuiſſet antea aduerſus Rondeletium confutatum, nunc concidiſſet, cum ex motu deprauato membrorum minime ſequatur ad ea ſpiritus motum deferentes tranſmeare: rationi magis conſentaneum ar gumentum concinnaſſent, ſi ex motu reſpirationis collegiſſent, ad partes inferiores excurrere ſpiritus, cum motus ille naturalis ſit, quod argumentum ſi attuliſſent, concederem ego tranſmea-re ſpiritus etiā ſenſorios, ſicuti tranſmeant motorii, carere tamē ægrum ſenſu, quia cerebrum ſit vexatum: nec ex trāſitu ſpirituū tollitur humorum craſſorum obſtructio, quia integra nō eſt ob ſtructio, & ideo aliquis patet exitus ſpiritibus. Verum cum oſtē-ſum ſit, motum conuulſorum membrorum in epilepſia nō pro uenire a ſpiritibus, nec a facultate, uideamus, vnde proueniat, vt alios errores Eraſti detegamus. Thadæus Florentinus 2. Aphor. comment. 45. ait motū hunc conſequi motum cerebri: cū enim ſe contrahit circa materiam noxiam ventriculos obſtruentē, aut vellicantem, & ſtimulantem, ſicuti in epilepſia per conſenſum, trahit omnes neruos, & nerui muſculos: quare ſit vniuerſalis cō uulſio. Colligitur id ex Gal. 3. de Loc. aff. cap. 7. in prin. Reddi-turus enim cauſam, cur epilepſia ſit cōuulſio ſic ſcribit. Cæterū ,, velox eius diſcuſſio, craſſum humorem ſpiritus meatum in cere- ,, bri ventriculis obſtruentem hūc maxime affectum peperiſſe de- ,, clarat, neruorum principio ſe ipſum quatiente, quo excutiat id, ,, quod noxium eſt. Si neruorum principium cōcutitur, & quaſ ſatur: quaſſentur etiam nerui inde orientes, neceſſe eſt, cum au-tem quaſſentur nerui, quaſſantur etiam muſculi omnes, quibus ſunt inſerti, atque hæc eſt illa conuulſio, motus ille deprauatus, qui fit in epilepſia. In fine eiuſdem capitis Galenus loquens de epilepſia per conſenſum, & aſſerens cerebrum concuti, vt excu-tiat materiam noxiā, ſicuti concutitur os uentriculi in ſingultu, vt excutiat materiam vellicantem, claudit eam ſententiam in hæc verba. Quo minus mirandum eſt, ſi neruorum principium ,, huiuſcemodi motu concutiatur, vt a ſe expellat quidquid fuerit ,, id, quod a parte primo affecta ad ipſum effertur. Hæc Gal. Quòd ,,

ſi motum præter naturã naturali motui cõparare licet, perinde euenit hoc in motu, atque in pulſu: nam vti cordis motũ ſequuntur arteriæ, cumque ipſum dilatatur, dilatantur, cùm ſummittitur, ſummittuntur: ita cum cerebrum cõtrahitur, nerui omnes
,, contrahuntur. Hæc omnia confirmat Auic. inquiens. Quum er
,, go accidit cerebro ab huiuſmodi cauſa ſpaſmus, & contractio,
,, & abbreuiatio, tunc ipſum ſequetur contractio omniũ neruorũ
,, & ſpaſmus eorum. Sed ratio etiam id perſuadet ita eſſe: nam ſi ſpaſmus nõ a facultate oritur, ſed a morbo, & nullus in epilepſia eſt morbus, niſi uel obſtructio ventriculorũ cerebri, uel morbus partis trahentis cerebrum in conſenſum, ab eo morbo oriatur vniuerſalis hæc conuulſio, neceſſe eſt, oritur autem eo, quo diximus, modo. At Eraſtus huic ſententiæ ſeſe opponit, & mordicus defendere nititur, motum in epilepticis fieri exſpiritibus defluentibus, non ex cerebri concuſſione, quia ſi in epilepſia motus hic fieret ex concusſione cerebri, fieret etiam in apoplexia, & in paralyſi, cum & in ipſis cõcuſſio cerebri ſiat. Cum itaque tam in his, quam in epilepſia cerebrum quaſſetur, alia cauſa diſcriminis inueniẽda eſt, cur in his nullus adſit motus, in epilepſia adſit & nulla alia inueniri poteſt, quam quòd in epilepſia ſpiritus trãſfluunt, & motum cient: in apoplexia, & paralyſi non transfluũt.

Sed & in hoc multis nominibus peccat, cum in apoplexia cerebrum cõcuti aſſerat, & in paralyſi: quis enim vnquam in paralyſi cerebrum concuti dicat, cum iam materia ad partes ſubditas excuſſa ſit? Verum nec in apoplexia fieri poteſt illa concuſſio: cum enim ventriculi cerebri pleni ſint, prohibent cerebri cõtractionem, & ideo aut nulla ſit concusſio, aut exigua admodum.

Peccat etiam, dum negat in apoplexia, & paralyſi tranſmeare ſpiritus, nam in paroxyſmo apoplexiæ tranſmeant ad thoracem in paralyſi verò & ad thoracem, & ad totam partem oppoſitam: quæ ſenſum, & motum recuperauit. Certo igitur certius ſit, in epilepſia conuulſionem ex cerebri quaſſatione concitari. Quod ſi quis omnino id neget, aliam habemus cauſam traditam a Gal.
,, 6. Epid. ſect. 6. comment. 7. Epilepſiæ cauſa eſt, inquit, craſſus,
,, frigidusq; humor in cerebri ventriculis coaceruatus, qui neruo
,, rum quoque originis, præſertim vero ſpinalis medullæ initium
,, comprehendit. Ex hoc loco apertisſime colligitur ſpaſmum partium infra caput collocatarum non ſolũ ex cerebri quaſſatione,

ſed

ſed etiam ex repletione ſpinalis medullæ in eius initio ſuſcitari: atque hinc patet, quantum errauerit Gabucinius vir alioqui diligentiſſimus, cùm in lib. 1. de Epilepſia aſſeruit,in epilepſia non eſſe veram conuulſionem: & motum,qui in ea fit,à natura prodire: inuenire enim non potuit,quomodo fiat hæc vniuerſalis cōuulſio,& putauit nullum eſſe alium motū in epilepſia, quàm cōtractionem cerebri a natura factam, vt rem noxiam expellat: at cōuulſio nō eſt motus hic,immo verò ab hoc motu naſcitur,aut a repletione originis ſpinalis medullæ, vt nos demonſtrauimus. Nec eius opinionem confirmat, quod ipſe aſſerit,in quibuſdam epilepſijs per conſenſum non eſſe veram conuulſionē:ſatis enim eſt,in vera & eſſentiali a cerebro epilepſia veram apparere cōuulſionem. Ante hunc alium vir hic non leuem commiſit errorem: putat enim ſibi ipſi Galenum repugnare, dum in 5.de Loc.affec. cap. 1.aſſerit,in epilepſia eſſe difficultatem anhelitus: in 4.lib. 2. id negat: & nititur tradere eorum locorum repugnantium conciliationem extortiſſimam, in quo fruſtrat laborat: neque enim Gale.in 4.lib.adimit epilepſiæ difficultatem anhelitus, licet aſſerat conuulſionem ei propriam eſſe,difficilem verò reſpirationem apoplexiæ. Nam ſi ideo in epilepſia nō eſt anthelitus difficultas, quia dixit, eam eſſe propriam apoplexiæ: nec in ea erit facilitas ſpirandi,quia eodem in loco aſſerit,eam eſſe propriam cari,& catalepſeos: non erit igitur in epipleca aut difficultas, aut facilitas ſpirandi,quare vtroque carebit contradictorio:quid igitur dicēdum? facilis eſt reſponſio ex eo loco: cùm enim aſſerat epilepſiā mediam eſſe inter carum,& apoplexiam, dicemus non adeo integram ſeruari ſpirationem in epileſia, ſicuti in caro: nec adeo eſſe difficilē,ut in apoplexia: at hæc non repugnant iis,quæ ſcribit in 5.lib. ſi recte conſideres Sed his diuerticulis declinatis, ne Eraſtum imitemnr,ad Rondeletii ſecundum argumentum redeamus. Ac ut planius pateat argumenti uis, ſciendum eſt exi Gale 9.de Vſurpat.c. 3. a fundo uentriculorum cerebri deriuar meatus duos craſſa inde excrementa exportantes, qui vbi in vnū conuenerunt,effundunt excrementa illa in choanam: choana ea in adenem ſubditum eructat: adenem verò excipit os foraminulentum veluti cribrum deſinens in palatum,qua tranſcolātur excrementa illa. Scribit & aliam uiam,per quam craſsa excrementa ad nares emittuntur 8.de Vſu part.cap. 7. Sed uideamus argumenti

menti vim,quæ huiuſmodi eſt. Si epilepſia ex obſtructione fiat, fiet ex obſtructione meatus,qui effert excrementa craſſa in choanam: ſed in epilepſia meatus ille non obſtruitur: ergo epilepſia non fit propter obſtructionem. Quod non obſtruatur hic meatus,inde patet,quod in paroxyſmo epilepſiæ inde excremēta effluant: effluunt etiam per alios meatus,qui ea deportant ad nares. Quod verò neceſſe eſſet obſtrui eum meatum, probat authoritate Gale. aſſerentis,matus hoſce a natura eſſe fabrefactos, ne homo frequenter epilepſia corriperetur. Hoc argumento nihil excogitari poteſt ineptius: nam etſi aſſerat Galen. & ita rei natura dictet, hominem futurum fuiſſe obnoxium frequenti epilepſiæ,ſi per meatus illos nō expurgarentur craſſa cerebri excrementa: dicam ego id prouenire, quia excrementa hæc retenta replebunt cerebri ventriculos,& obſtruent,quare frequēs erit epilepſia: vnde occluſio meatus illius erit epilepſiæ cauſa non ex ſe, ſed ex accidenti. Argumentum igitur nullam habet vim, niſi dicas,cùm per meatus illos in paroxyſmo epilepſiæ effluant excrementa,euidentiſſimum illud eſſe indicium, non ſolùm meatus illos liberos eſſe ab obſtructione, ſed etiam ventriculos cerebri: nam ſi hi eſſent obſtructi, non emitterent excrementa, quæ per hos meatus ad palatum,& ad nares affluerent. Verùm facile diluitur & hoc argumentum,ſi dixeris,excrementa ea,quæ effluūt, non emanare a ventriculis cerebri, ſed ea eſſe excrementa, quæ ante paroxyſmum in meatibus illis,in choana,& adeae continebantur, quæ in concuſſione cerebri uiolenter exprimuntur.

Quod ſi etiam conceſſeris, excrementa illa extrudi a cerebri ventriculis, nihil decretum Galeni damni faciet: nam etiam ſi epilepſia repente inadat,& repente ſoluatur, non eſt tamen hæc ſolutio adeo repentina, vt fiat in inſtanti: immo uerò fit in tempore: apparet enim paroxyſmum non in inſtanti ſedari, ſed paulatim,vnde rationi eſt conſentaneum, cerebrum in validis cōtractionibus ſemper aliquid a ventriculis extrudere,quo fit,vt paroxyſmi ſæuitia ſemper imminuatur, donec tota materia fuerit expulſa,tunc enim eger liberatur. Quidquid igitur afferant, nihil eſt, quod obſtructionem ventriculorum de medio tollat. Nam tertium argumentum etiam temere prolatum eſt: neq; enim tam magnas cauitates eſſe cerebri ventriculos puto;quin poſſint ſubito repleri,& obſtrui humoribus craſſis,quorum cerebrum sētina

eſt:

eſt: atque hoc pacto reiecta eſſe puto argumenta, quæ ſuadebant epilepſiam non fieri ab humoribus craſſis ventriculos cerebri obſtruentibus. Videamus nunc argumenta, quæ probant eam fieri a materia tenui non obſtruente, ſed mordicante, & ſtimulãte cerebrum. Vtitur autem ad id probandum eodem argumento, quo Galen. vtitur ad probãdum epilepſiam fieri ab obſtructione humorum craſſorum: & eſt ſubita inuaſio & ſubita ſolutio. Sed videamus quam vim habeat apud Gale. Hic cùm videret, epilepſiam eſſe vniuerſalem conuulſionem, ſciretq; ex Hippo. conuulſionem prouenire ex repletione, aut inanitione, declaraturus epilepſiam non ex inanitione, ſed ex repletione fieri, id demonſtrauit ex ſubita inuaſione, & ſubita ſolutione, atque ex ſymptomatibus conſequentibus, amiſſione videlicet ſenſus, memoriæ, & rationis: nam ſi fieret ex inanitione, id eſt, ex nuda intemperie ſicca, ſicuti conuulſio particularis fieri ſolet, paulatim inuaderet, perpetua eſſet, nec ita ſubito ſenſum, memoriã, & rationem oblæderet: huc ſpectaſſe argumentũ Gale. ex 2. de Sympt. cauſ. c. vlt. patet euidentius. Apoplexiæ, inquit, & epilepſiæ ex pituitoſi ſucci multitudine in ipſius cerebri ventriculis collecta gigni videntur. Eoq; fit, vt ſubitanea ſit earum tam generatio, quàm diſcuſſio, quod accidere in corporum intemperie nullo modo poteſt. Quæres, cur non dixit Galen. ſubitam inuaſionem, & ſubitam ſolutionem indicare epilepſiam abſolute fieri ex repletione humorum; & non ex inanitione, ſed ſpeciatim præfiniuit, eam fieri ex obſtructione humorum craſſorum? Reſpondeo, cùm compertũ haberet Galen. in epilepſia obſtrui ventriculos cerebri, & obſtructiones fiant ab humoribus craſſis & lentis, non tenuibus & diſſipabilibus, vno & eodem tempore demonſtrauit, eam fieri ex repletione, nõ ex inanitione, & docuit etiam quomodo fiat: quare miro vſus eſt artificio, nec ſibi repugnat, cùm eodem modo argumentandi probat, palpitationem fieri ex flatibus, non ex humoribus: cùm enim velox ſit eius ortus, & uelox ſolutio, declaratur, eam ex flatu, non ex ſuccis fieri: nam primum non eſt idem argumentandi modus, cùm in palpitatione addat etiam motum, qui motus potius, quàm ſubitus ortus, et ſubitus receſſus indicat a flatu palpitationem fieri: ſic enim Gale. ait. Ac quominus ſuccus ſit, repugnat palpitationis tum motus, tũ ſolutionis celeritas, ut quæ et illico fiat, et ſtatim deſinat. Quod idem colligitur ex libro

de

de Tumorib.c.5. Eſt itaque motus potius,qui indicat materiam illam eſſe flatuoſam,quàm velox ortus,& ceſſatio: nam cùm corpus noſtrum conſtet ex cõtinentibus,contẽtis, & impetu diſcurrentibus, ſpiritus ſunt, qui impetu diſcurrunt. Verùm, licèt demonſtret Gale.materiam illam flatum eſſe,nõ ſuccum, ſtatuit tamen non tenuem illum flatum & purum,ſed craſſum eſſe & feculẽtum: nam ſi tenuis eſſet, ac purus, facile per omnia penetraret,& palpitationem non induceret. Præterea magna eſt differentia inter materiam & locum palpitationis, & epilepſiæ: illa enim concluditur vndique,& nullum habet exitum manifeſtum, ex ſe ipſa mouetur, vt ex anguſtijs ſe liberet, quorum nihil efficeret,niſi flatus eſſet: hæc autem per ſe immobilis eſt,& licèt exitus patentes habeat,non ſolum ex ſe non exit, ſed ſpiritibus impedimento eſt, quo minus exeant: quare tenuis & ſpiritalis eſſe non poteſt, primum enim non obſtrueret,deinde cùm adſint meatus patentes, facile inde expelletur,nec ſpiritibus tranſitum inhiberet: nihil itaque repugnare puto modum arguendi in palpitatione Galeno ipſi,& corroborari cõtrariam ſentẽtiã, ſicuti putauit Rondeletius: immo verò eius decretum in epilepſia magis confirmatur: nam etiam ſi materia palpitationis humor eſſe non poſſit propter motum potius,quàm ob aliam cauſam, non eſt tamẽ flatus tenuis ſed craſſus,aliter morã nullam traheret in loco, ubi concluditur,& ex conſequenti nullam faceret palpitationem: ut itaque materia epilepſiæ epilepſiam faciat,multa,craſſa,& uiſcida ſit,opportet:& quo maior erit copia,quo craſſior & viſcidior, eo grauiorem inducet paroxyſmum. Sed hic ſeſe opponit Auer. 3.Coll.c.vlt.negans humorum craſſorum diſſolutionem ſubitò fieri,immo uerò longas parere ægritudines. At ſi diſſolutionem capiamus pro concoctione,ut capit.Auer. vera eius eſt ſentẽtia: nam concoctio ſubitò non fit, ſed & interdum longo tempore: at hæc non eſt Galeni ſententia,qui humores craſſos ex ventriculis reuera extrudi,& euacuari ſtatuit cerebri concuſſione,non cõctione: atque hoc ita fieri patet ad ſenſum: per nares enim & per os ſtillat his interdum tanta muccorum copia, ut nauſeã moueat ſpectantibus: nec ſolùm hoc in epilepſia euenit, ſed in alui deiectione ſæpe,in vomitu,in deſtillatione,in grauedine,ac tandem in ſternutamẽtis magna humorum pituitoſorum copia excernitur: vt hinc liceat arguere, Auerroim medicũ ex libro tantummodo

tummodo fuiſſe,& ægrum nullum vnquã vidiſſe, ſolaq; innixum ratione,procul ab omni experientia ſuiſſe: & propterea mirum non eſt,ſi ſæpiſſime labitur:nam quæ ratio dictat,niſi experientia comprobentur,non raro impellunt in fraudem : vtcunque tamẽ ſanior eſt hic diſciplina Auer. quàm Rondeletij: cùm enim aſſerat vt plurimum hunc affectum euenire in corporibus frigidis, & humidis,& quæ ſcateant humoribus craſſis, a quibus eleuantur flatus ad cerebri vẽtriculos,qui epilepſiam faciunt: in curatione parum diſcrepabit a Galeni indicationibus. Sed cùm Rondeletius omnino ſtatuat eam prouenire ab humoribus tenuibus,acribus,& uellicantibus,contrariam curãdi Galeno rationẽ doceat, neceſſe eſt. Vidimus quam vim habeat hoc argumentum apud Galen.quare perpendamus, quantum valeat retortum a Rondeletio contra Galen. Cùm itaque arguit,ſubitam inuaſionem, & ſubitã ſolutionem epilepſiæ indicare potius humorem tenuem, quàm craſſum,ſi de obſtructione intelligit, fallitur:at de obſtructione non intelligit,ſed de occluſione vẽtriculorum, quæ fit in contractione cerebri circa materiam ſtimulantem, vt eam exturbet. Quantum igitur ad hoc dico, non ſemper materiam tenuem citius excerni, immo uerò quandoq; difficilius,& tardius: cùm enim tenuis ſit, penetrare poteſt in ſubſtantiam partis læſæ, vnde difficilius extrudetur. Quare longe citius, & facilius euomuntur humores craſſi os ventriculi occupantes, quàm ſingultu reiiciantur tenues, qui in tunicas eius penetrarunt, & tuſſis etiã authore Gale.in 2.de Sympt.cau.facilius & citius expectorat humores craſſiuſculos,quã tenues nimis: quare res in ambiguo eſt. At adducit ipſe ex Gal.& ex propria obſeruatione genera multa epilepſiarum,quæ a materia teuui,acri,& flatuoſa fiũt, quas cùm apertum ſit ita fieri,concedẽte etiam ipſo Gale. debemus nos ex his colligere genera omnia epilepſiarum eodem modo fieri.

Reſpondeo,epilepſiam fieri aut vitio proprio cerebri,aut per conſenſum ab aliis partibus: ſi per conſenſum, cõcedo eam fieri à uaporibus malignis, & humoribus tenuibus, & acribus: vnde uera ſunt omnia,quæ adducit ex Gale.& ex propria obſeruatione.At ſi vitio cerebri,ex obſtructione fit ab humoribus craſſis vt plurimũ pituitoſis,quandoq; & melancholicis, atq; hæc eſt vera epilepſia,quæ ſæpiſſime accidit: accidit quandoque ex conſenſu ventriculi, & uteri, nam tertium genus rarum eſt, in quo tranſit

ueluti

veluti aura quædam a partibus extremis ad cerebrum: nec recte arguitur epilepſiæ per conſenſum ex vaporibus fiunt ſine obſtructione, ergo omnis epilepſia fit eodem modo: nam liceret etiam arguere, quando in oculis apparent viſa, qualia ſolent apparere in ſuffuſione, ex conſenſu a ventriculo, ideo apparere, quia in humoribus ventriculum infeſtantibus attolluntur vapores fumoſi ad oculos, ergo omnis ſuffuſio oritur a vaporibus fumoſis: verùm ſicuti hoc perſpicuo eſt falſum, ita & falſum eſt omnem epilepſiã fieri ob vaporũ fumoſorũ aſcenſum: cùm enim plurimũ differãt hæc genera epilepſiarum, in cauſis etiam differant, neceſſe eſt: vnde & curatio etiam valde eſt diuerſa. Diſcrimen inde oritur, quia vera epilepſia veram conuulſionẽ, vehementem & ferè perpetuam inducit: epilepſia verò per conſenſum motum quendam palpitationi ſimilem potius, quàm conuulſioni, & per maiora interualla affert. Vnde & Auic. etiam ſigna deſcripſit, quæ epilepſias iſtas diſtinguerent. Concludo igitur, etiam ſi epilepſia quãdoq; fiat a vaporibus fumoſis cerebrum vellicantibus, ſicuti vellicatur interdum ventriculus in ſingultu a rebus acribus, non ideo ſequi, quin ſæpius fiat ab humoribus craſſis ventriculos obſtruentibus. Atque hæc ad Rondeletium.

Ad Eraſti argumenta. *Cap.* *XXXI.*

ERASTI verò primo argumento ſumpto ab anatome neſcio, quanta ſit fides adhibenda. Quod ſi adhibenda eſt, fortaſſe in mortis articulo defluxit aqua, aut cruenta ſanies ad uentriculos: poſſemus etiam dicere aquam illam eſſe ſpiritus in aquam conuerſos poſt mortem a contactu partium frigidarum: ſanies uerò cruentas eo defluxiſſe inter diſſecandum. At demus, ita eſſe, vt vult, hoc potius communit, quàm infringat Galeni decretum, obſtructionem illam fieri ab humoribus craſſis, cum aqua & ſanies cruenta non adeo potuerint obſtruere, quin ſpiritus animales inde ad inferiora tranſmearent. Sequens eius argumentum ridiculum eſt: licèt enim Auic. dixerit ſternutamentum eſſe ueluti quandam paruam epilepſiam propter quandam ſimilitudinem motus in excutienda materia moleſta, tot tamen genere differunt, cùm ſternutãmentum fiat a facultate irritata, epilepſia

a mor

a morbo: & mirum eſt hominem hunc acutum, & ingenioſum a ſingultu etiam,& vertigine arguere, diſpoſitionibus ab epilepſia longe diuerſis: nam ſi liceat arguere,in vertigine, in ſingultu nō eſt obſtructio,ergo nec in epilepſia: nonne etiam mihi licebit arguere,in tuſſi eſt obſtructio,ergo in ſingultu,in vertigine,in ſternutamento, in epilepſia, & apoplexia eſt obſtructio? Etiam ſi uerò ſenes raro incidant in epilepſiam, non eſt ſtatim aſſerendū, eam non prouenire ex obſtructione humorum craſſorum:nā ſenibus non euenit ob rectam viuendi rationem, ob quam rarius etiam ægrotāt,quàm iuuenes authore Hippoc. ob quam non in ſputum ſanguinis,non in tabem incidunt authore Gal.3.Aphor. comment.29.quo in loco iuuenes ei eſſe obnoxios,non ratione ætatis aſſerit, ſed ob errata in viuendi ratione. Poſſem ego in eum retorque argumentum, in pueris ſæpe hunc affectum prouenire,vnde & eum puerilem morbum appellauit Hippoc.pueri autem propter edacitatem magnam copiam crudorum humorū generant,vt annotauit Galen.3.Aphor.cōment.26. Cùm itaque frequenter pueros vexet, inde ſequitur epilepſiam prouenire ab obſtructione humorum craſſorum. Sed iterum hìc ſeſe obijcit Eraſtus,vir adeo pertinax,vt malim (vt ait ille) cum Excetra,quā cum eo pugnare: & ait pueros ſæpe incidere in epipleſiam, non quantitate humorum craſſorum,ſed qualitate mordicante: nam quòd in pueris maligni humores redundent, indicant morbilli, addere poterat & lumbricos: immo verò,inquit, pueri indicant epilepſiam non fieri ex obſtructione craſſorum humorum: nā ſi ita fieret,ſicuti ſæpe incidūt in epilēpſiam,ita etiam in apoplexiā inciderent, quæ uere fit ob humorum craſſorum obſtructionē.

Confirmari poteſt hæc eius ratio, & ex ſenibus etiam, qui in epilepſiam non incidunt, in apoplexiam frequenter incurrunt: quod non eueniret, ſi utraque fieret ex obſtructione humorum craſſorum,immo ſæpius incurrerent in epilepſiam,quàm apoplexiam, cùm facilius ſemiobſtructio excitari poſſit, quàm integra obſtructio:non incidunt igitur in epilepſiam,quia retuſa eſt acrimonia in humoribus eorum,quæ vellicet cerebrum.Verum hæc facile reijciuntur: nam cùm fateatur Eraſtus in pueris redundantiam eſſe humorum crudorum,& craſſornm(hæc enim ſi quis neget,ſine ſenſu erit)ſed non ab hac prouenire epilepſiam,verùm a mala humorū qualitate,accipio ab ipſo,quod patet ſenſui, & ab

omni bus

omnibus ſcriptoribus pronunciatur ab hac redundãtia epilepſiã prouenire: malam illam qualitatem ab ipſo confictam reijcio, cũ ratione nulla fulciatur. Si enim morbilli, adde & variolas, malignitatem humorum indicant, ſciendum eſt poſt morbillos, & variolas conſumptam eſſe malignitatem illam: vnde ſequeretur, pueros poſt morbillos, & variolas nõ incidere in epilepſiã, quod falſum eſt. Addidi ego & lumbricos, ſed dico ex his etiam quandoque excitari affectus ſimiles epilepſiæ, ſed per conſenſum eſſe: quare nihil ad rem. Quod verò non incidant in apoplexiam, fortaſſe uerum non eſt, quia vidi ego non raro pueros apoplecticos.

Inquies, Hippoc. in 3. partic. Aphor. inter morbos pueriles nõ adnumerauit apoplexiam. Reſpondeo, ipſum in eo lib. inter illius ætatis morbos nec epilepſiam adnumeraſſe, licèt alibi pronunciauerit eam morbum eſſe puerilem, atque hoc reuera, quia nõ enumerat omnes morbos œtatũ, ſed quoſdam tantummodo, gratia exempli, & fortaſſe familiares magis, & frequentiores, licèt nec id ſemper obſeruet, cùm inter morbos iuuẽtutis epilepſiam etiam commemoret, Galeno admirante. Sed demus, pueris epilepſiam eſſe familiarem, apoplexiam alienam: dico facile cauſam explicari poſſe: nam etiam ſi pueri ob uoracitatem multos humores craſſos generent, cùm tamen calidi ſint & humidi, partem eorum humorum excoquunt: & cùm corpus habeãt tranſpirabile, partem etiã excernunt, vnde etiam ſi epilepſiæ ſint obnoxij, apoplexiam tamẽ effugiunt, quia in ea maior copia horum humorũ poſtulatur, cùm haud ſolùm totos uentriculos repleat, ſed etiam per cerebri ſubſtantiam diffundatur: quare ſenes cùm frigidi ſint, nec poſſint humorem hunc cõcoquere, & excernere, vt par eſt, apoplexiæ magis ſunt obnoxij. Sed quoniam hinc quoque ipſe deducebat, epilepſiam fieri ob malam qualitatem, quia ſenibus non contingat, in quibus non eſt mala illa qualitas. Reſpondeo, ſi hoc uerum eſſet, ſequeretur, ſi ſenes in epilepſiam inciderent, quòd facile ſanarentur, cùm facile remoueri poſſet in illis humorum acrimonia, non ſolum remedijs, ſed etiam ratione ætatis. Sed contra obſeruatum eſt, & ab Hippoc. traditum Aphor. 7. 5. ſect. Ait enim. Quibuſcunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibuſcunque autem vigeſimoquinto anno ferè ad mortem uſque comittantur. Ex cuius Aphoriſmi ſerie colligi poteſt cauſam epilepſiæ ab his confictam

eſſe

eſſe vanam: à Galeno verò traditam veram: nam ſi quæras cauſam, cur epilepſia, quæ in pueritia inuaſit, in pubertate ſanetur, ex Galeno dices in proceſſu ætatis humores graſſos imminui, extenuari, atque exiccari, & ideo ceſſare morbum, cùm huc accedat etiam quædam correctio in victu: adoleſcentes enim, & iuuenes non ſunt voraces, vt pueri. Si quæras deinde, cur epilepſia vigeſimoquinto anno, aut ſequentibus inuadens ad mortem vſque comes ſit. Reſpondebit Galen. quia cum epilepſia fiat ab obſtructione ventriculorum cerebri ex humoribus craſſis, ſi fiat in ætate iuuentutis, in qua minor eſt horum humorum copia: non poteſt amplius expelli hic morbus, quia ætates inſequentes copioſam materiam generant ad fouendum, & augendum morbum hunc: quod non ſolum in epilepſia locum habet, ſed in alijs etiam morbis ab humoribus pituitoſis, & craſſis ortum ducentibus. Vnde in Aphor. 39. 2. ſect. dicebat Hippocr. Senes magna ex parte mi- "
nus, quàm iuuenes ægrotant. Qui verò morbi ipſis accidunt lon- "
gi, magna ex parte comitantur ad mortem. Et ratio eſt, quia mor- "
bi hi pendent ab humoribus craſſis & crudis, quos calor ſenum "
languidus excoquere non poteſt: vnde in ſequenti Aphoriſ. ait. Raucedines, & grauedines in valde ſenibus coctionem non admittunt. Idem ſcripſit Hip. in 3. ſec. Aph. 28. vbi aſſerit morbos, "
qui non finierint maribus in pubertate, fœmellis cùm menſtrua "
erumpunt, conſeneſcere conſueuiſſe. Sic ex Gale. horum mor- "
borum ætatis ratione prouenientium cauſa facilis, & vera tradi- "
tur. Sed ſi ab Eraſto quæras, cur epilepſia puerorum in pubertate ceſſet: reſpondebit, quia acrimonia humorum retuſa eſt, quod non eſt veritati conſentaneum: cum enim calor ſit redditus intenſior, & imminuta humiditas, maior ſit humorum acrimonia, neceſſe eſt. Sed iterum, ſi dicat, epilepſiam ortam in iuuentute commori, quia acrimonia humorum, quæ erat in iuuentute, in ſenectute augetur, quis riſum teneat? nam ſi verum eſſet eius commentum, neceſſe eſſet epilepſiam in iuuentute ortam in ſenectute euaneſcere, in qua humorum acrimonia valde remittitur ob caloris languorem: vnde Hippo. etiam 6. Epid. ſect. 5. Aph. 6. dicebat morbos connutritos in ſenectute maturatione, ſolutione & raritate deficere. Quo in loco Hippocr. ſi decretis ſuis conſen- "
tiens eſt, de morbis calidis, qui in ætatibus præcedentibus inſe- "
ſtarunt hoc aſſerit: hi enim ſoli in ſenectute recedunt ob tempe-

ramenti contrarietatem, ueluti capitis dolores calidi, calidi renũ affectus, articulorum dolores, qui ex cauſa admodum calida ori ginem traxerunt. Vidi ego Antonium Portium virũ grauiſſimum Hippoliti ducis in arte militari illuſtris patrem in ſenectute cùm eatenus oculos rubicũdos perinde habuiſſet, ac ſi ophtalmia perpetua laboraſſent, liberatum fuiſſe: & cũ annos ſeptuaginta eſſet ſupergreſſus ocularia ſpecilla depoſuiſſe. Quidquid igitur afferat Eraſtus contra veritatem, ea ſemper emicat. Sed reſtat mihi ſcrupulus, quem non aduertit Eraſtus, cur ſenectuti epilepſia familiaris non ſit, ſicuti apoplexia: facilius enim hanc ætatem inuadere deberet, & frequentius epilepſia, quàm apoplexia, cùm à minori cauſa excitetur. Sed facile & hunc ſcrupulum eximi poſſe crediderim: quia cùm in ſenibus magna humorum craſſorum copia gignatur, & facultates expultrices prę ſertim ſint inualidæ, integra obſtructio ventriculorum cerebri facillime fit: & ideo apoplexia huic ætati familiaris eſt, magis quàm epilepſia: ſicuti epilepſia pueris familiaris eſt, magis quàm apoplexia: cùm tam magnam copiam humorum craſſorum & frigidorum nõ ingenerent, & facultatem expultricem validiorem obtineant. Non poſſunt tamen effugere, quin interdum ventriculi cerebri aliqua ex parte obſtruantur: qua de cauſa epilepſia corripiantur.

Ad aliud argumentum dicendum eſt, licèt apoplexia & epilepſia ab eadem cauſa videantur excitari, eam tamen non eſſe eandem, ſed in modo differre: nam humor craſſus in epilepſia non perfecte obſtruit ventriculos: in apoplexia perfecte obſtruit: qđ ſi addas in apoplexia plures ventriculos obſtrui, quã in epilepſia, hoc etiam non parui refert. Illum etiam potes addere, in epilepſia affici tantum cerebri uentriculos: in apoplexia etiam corpus cerebri: quare cùm modus cauſę diuerſus ſit, diuerſi ſunt morbi, quod ex diuerſitate, ſymptomatum patet. Addebat præterea Eraſtus argumentum à curatione: nam ſæpe (inquit) excitantur ægrotantes odore rutæ, caſtorei, olei rutacei, aceti, in quo maduerint aromata, quod non contingeret, ſi craſſus humor paroxyſmum peperiſſet: impoſſibile nanque eſt craſſum humorem ab his tempore adeo breui diſcuti. Sed reſpondeo, cùm hæc habeant uim calefaciendi, attenuandi, incidendi, atque aperiendi, humores illos craſſos colliquant, incidunt, attenuant, vnde citius excernuntur à ventriculis cerebri. Arguit deinde à ſpuma longo, &

elegãti argumento, cuius ſumma eſt. Spumam epilepticorum indicare eam ab humore tenui,& flatuoſo prouenire, cùm enim in generatione ſpumæ humorem in minutas partes à uento diuidi ſit neceſſe,craſſus diuidi non poteſt, niſi in longo tempore. Sed neque hoc aliquam habet uim, nam ex Gale.2. Aphor.comment.43.& 7.comment.30.patet ex tenacis humoris perfractione fieri ſpumam & ſtabiliorem,ſed craſſi ſunt tenaciores, quàm tenues. At quomodocunque ſpuma oriatur, nihil ab eo concludi poteſt: neque enim fit ex humore morbum conſtituere neceſſario, ſed potius à vaporibus elatis à pulmone ob motus vehementiam,vt colligi poteſt ex Galen. citatis locis. Potuiſſem hic ad oſtentationẽ vitium Eraſto familiare multa de ſpuma diſſerere, quod nimis fuiſſet ab inſtituto noſtro alienum. Satis itaq; habui oſtendere argumenta eius eſſe inania, quorum etiam multa prætermiſi,cùm ex ſe,& ex antea deductis facile concidát.

Sed tandem ad Fernelium reuertamur,aſſerentes malam illam & venenatam qualitatem, à qua oriri ſtatuit epilepſiam, vanam eſſe,& commentitiam,vt ex antea demonſtratis patere vnicuique poteſt. Cæterùm,etiam ſi eam admitteremus,propoſitum tamen non aſſequeretur: diceremus enim non morbum eſſe, ſed cauſam morbi: morbus autem eſſet occluſio uentriculorum cerebri orta, dum ſeſe contrahunt ad exturbandam venenatam illã qualitatem. Ac cùm ſtatuat morbos iſtos ſuos eſſe formæ corruptelam, ſi admittamus epilepſiam eſſe formæ corruptelam, neceſſe erit in ea cerebrum corrumpi non corruptione quidem integra, atque abſoluta,ſed imperfecta, & quæ adhuc fiat. At quæ nam eſt obſecro hæc corruptio, quæ in motu & via eſt? certè cũ pars quædam ſemicorrupta, & ſemimortua eſt, veluti in gangrena: quod ſi hoc ita ſit, neceſſe erit in quocunque paroxyſmo cerebrũ deuenire ad gangrenam,& corrumpi:atqui res mira eſſet, ſoluto paroxyſmo ſolui ſtatim, & gangrenam. Verùm quis adeo ſit ſtupidus,qui aſſerat tam repente cerebrum gangrenam incurrere, & tam repente liberari,idque in nonullis ſępiſſime euenire eadem die? Si admittatur igitur qualitas illa uenenata, dicendum eſt, eam eſſe cauſam,quod patet ex tertia epilepſiæ ſpecie ob auram quandam à membris inferioribus ad cerebrum aſcendentem: nam aura illa proculdubio cauſa eſt, non morbus. Tranſeamus nunc ad alios morbos ex veneno intus genito.

Morbos alios ex veneno intus genito non eſſe morbos totius ſubſtantiæ. Cap. XXXII.

NEc ſtrangulatus vteri à putri ſemine, quem ſecundo loco recenſet, morbus eſt totius ſubſtantiæ, & ſi à totius ſubſtantiæ proprietate oritur: hoc eſt vel à mala qualitate ſola, vel à mala qualitate vaporis elati à putri ſemine, quæ natiuum calorem extinguat, vt docet Gale. 6. de Loc. aff. c. 4. & Fernelius ipſe 6. Pathol. c. 16. & 2. de Abd. re. cau. c. 15. ac cùm mala hæc qualitas, vel malignus vapor multos pariat morbos, calorem natiuum extinguendo intemperiem frigidam potiſſimum inducit. Erit itaq; intemperies hæc morbus, vapor ille, ſiue qualitas venenata cauſa morbi.

Addit deinde ſyncopem ex putrido ſanguinis grumo: nam ſanguinem à vena effuſum, ſiue extra corpus, ſiue in ſpacium aliquod corporis in grumum concreſcere, ſæpe relatum eſt à Gale. Vnus ſatis ſit locus ex lib. de Atra bile cap. 2. ſic enim ait. Videtur ſanguis, quum vel arteria, vel etiam vena fuerit vulnerata, illico ex uaſis ipſum continentibus effundi, rubeus ſanè magis ex venis: flauior autem ex arterijs manans. Verùm confeſtim vterque concreſcit non ſolum extra corpus fluens, uerùm etiam in quouis ipſius loco contentus, atq; hanc ipſius concretionē in grumum terminari videmus: concreſcere autem ſolet non ſolùm in uentriculi, atq; inteſtinorum ſpatijs, verùm etiam in ueſica, in qua urina colligitur: adhuc etiam in pulmone atque aſpera arteria, ſicuti etiam in media inter thoracem, atque pulmonem regione, necnō in mulierum utero. Quàm autem grauia afferat ſymptomata ſanguinis grumus in corporis aliqua capacitate detentus, docet idem lib. de Cib. bo. & ma. ſuc. ca. 4. cùm enim de ſymptomatibus à lactè in ventriculo coagulato dixiſſet, hæc ſubdit. Maiori quoque admirationi eſt, cùm in cuiuſpiam vulnus, vel in uentrem, inteſtinumve aliquod ſanguis in grumos compactus defluxerit: nanque is frigore exoluitur, ac penè exanimatur: pulſuſque imminuitur: & male ſe habet, quin & huiuſmodi ſanguis ſeſe in uulnera inſinuans facit, ut partes illi proximę protinus putredinem contrahant: ſed cur is humor inter omnes alios corporibus noſtris accōmodatiſſimus, ubi frigefactus eſt, huiuſmodi pathemata

inuehat,non paruam certè inueſtigationem requirit. Ex duobus his locis & ex 6.de Loc.affec.ca.4. patet in grumum concreſcere ſanguinem, & grauia inducere ſymptomata, & ſyncopem inter cętera, quæ ſi à venenata oritur qualitate,dicam eam eſſe cauſam efficientem morbi,morbum autem eſſe non totius ſubſtantię,ſed frigidam intemperiē, vt ex Gale.colligitur. Adducit poſtremò quandam cordis palpitationem,& eam eſſe puto,quam deſcribit 5.Pathol.c.vlt. In hoc,inquit,ſymptoma plurimū propenſi ſunt, „ qui hypochondriaca melancholia laborant: & quibus lien bilis, „ atræ copia turgeſcit. In his etiam circa lienem, & pancreas con- „ ſpicua & moleſta percipitur arteriæ palpitatio, ex eoque loco per „ arterias, quibus multis lien perfuſus eſt: teter, aterque vapor, „ prompte in cor vicinum ſubit, cuius vi & malignitate irritatum, „ vehementiori pulſatione nititur quod noxium eſt excutere haud „ ſecus, atque cerebrum in epilepſia. Palpitatio eſt dilatatio, & „ contractio muſculi, aut alterius partis mollis proueniens à flatu interclufo: vnde illæ etiam partes, quæ motu carent, ab eo flatu craſſiore mouentur, vt author eſt Galenus in proprio lib.& 2. de Sympt. cau.cap.2. Si itaque concedam flatum illum malignum eſſe & venenatum,negabo tamen morbum eſſe totius ſubſtantię, quia teter ille,& malignus vapor non eſt morbus. At inquiet ille, aut aliquis pro peritior pro eo,vaporem illum eſſe morbum:cùm enim palpitatio de ſententia Galeni citatis locis ſit motus deprauatus, & propterea ſymptoma: ſi teter ille vapor cauſa eſt huius ſymptomatis,morbus ſit,neceſſe eſt:nam cauſæ actionum deprauatarum ſunt morbi. Reſpondeo vapotem illum cauſam quidem eſſe motus illius deprauati,nō eſſe tamen morbum,ſed ſymptoma & ipſum:à morbo autem oritur iſtē vapor, ſicuti & palpitatio: morbus eſt frigida intemperies: nam ob frigidam intemperiem oriuntur flatus & vapores: & cùm in parte aliqua incluſi ſunt,à frigida illius partis intēperie prohibentur,quo minus poſſint exhalare,& ideo palpitare eam faciunt. Dices,quomodo in corde poſſit eſſe ea frigiditas? Reſpondeo,de quorundam ſententia fieri hanc palpitationem in pericardio, non in corde. Sed quia ex Gal.locis ante citatis, & 5.de Loc.af.c.2.& clarius adhuc 3.de Pręſag.ex pulſ.c.4. palpitatio in corde etiam fit,quid prohibet,cor etiam ipſum frigida affici intemperie? nonne Gale.commemorat etiam pulſus à frigida cordis intemperie prouenietes?

& cùm agit de pulſibus ab inæquali cordis intemperie prouenię̃tibus, nonne frigida intemperies ſæpe concurrit ad hanc inæqualitatem efficiendam? Sed, vt concludamus, dico palpitationem eſſe ſymptoma, & motum deprauatum, vaporem illum detentum ſymptoma ex excrementorum detentione, morbum frigidam intemperiem: quare, neque in hac palpitatione locum habet morbus totius ſubſtãtiæ. Examinatis exemplis morborum à veneno intus genito, veniamus ad morbos ex veneno aſſumpto.

Morbos ex veneno aſſumpto non eſſe totius ſubſtantiæ morbos. Cap. XXXIII.

OCCVRRVNT demum morbi ex veneno aſſumpto, quos etiam ſi concedamus eſſe formæ corruptelas, non ideo tamen reprehendendus Galen. quòd de his in lib. de Diff. morb. non egerit: quoniam ab authoribus omnibus tractatio de venenis vnà cum ſua curatione ſeorſum traditur. Fecit id Dioſcorides, fecit Paulus, fecit Aetius, & omnes, qui artem totam, ſiue latius, ſiue per compendia conſcripſerunt, quod & Galenum feciſſe, veriſimile eſt, licèt non extet tractatus ille, vt ante annotauimus: at ſi in lib. de Theriacis, & de Antidotis comprehendi hanc diſciplinam dicamus, fortaſſe non errabimus. Nouit hoc, & Fernelius, obſeruauitque: nam in calce ſexti libri Pathologiæ cum abſoluto ſermone de lue venerea, diſciplinæ ordo poſtularet, vt deſcriberet reliquos etiam morbos contagioſos, & venenatos, ſic ſe ab eorum omiſſione excuſat. „ Huc affinitate quadam attexendi „ videntur reliqui tum venenati, tum contagioſi affectus, & qui- „ cunq; virulentarum beſtiarum ictibus infliguntur. At quoniam „ præcipua eorum cognitio ex cauſarum animaduerſione capitur, „ non ante duxi de his tradendum, quàm eorum curandorũ quoq; „ ratio ſubnectatur. Confirmant hæc verba defenſionem Galeni nunc traditam: confirmant & antea traditam, & poſtea tradendã: dixi enim antea putredines aeris, inquinamenta, malignas qualitates, malignos vapores, venenaque omnia tam intus genita, quã aſſumpta non eſſe morbos, ſed morborum cauſas, & hoc apertiſſime nunc pronunciat ipſe Fernelius. Dicam igitur venena agere quidem pleraque omnia à proprietate ſubſtantiæ, ſed cauſas eſſe

non

non morbos: & morbi, qui à cauſis his excitantur, ſunt morbi deſcripti à Galeno, non morbi totius ſubſtantiæ, quos nunquam reperies; cùm purum ſint figmentum, vt in omnibus exemplis hactenus productis vidimus, & in adducendis uidebimus. Vnde vera Galeni defenſio eſt, non egiſſe eum de morbis his, quia nuſquam extant, ac ne cogitatione quidem fingi poſſunt. Age iam proferamus exempla, inter quæ primò proponitur aconitum, à quo uidetur poſſe affirmari morbos totius ſubſtantiæ induci, cū authore Gale. 6. de Simpl. Med. vim habeat ſepticam hoc eſt putrefacientem. De ſepticis agit in 5. lib. c. 15. & improprie medicamenta hæc putrefacientia uocari ait, quia, quæ uere putrefaciunt, calida ſunt, atque humida: at hæc, ut docet in 7. lib. vbi de cedro agit, cùm ſumma caliditate ſiccitatem habent adiunctam, & partium tenuitatem, unde uim habent colliquandi carnes, quæ colliquatio cùm putrefactioni uideatur aſſimilis, ideo dicta ſunt medicamenta hæc putrefacientia: cum igitur aconitum uim habeat, uel colliquandi, uel putrefaciendi corpus, uidetur inducere morbū totius ſubſtantiæ, formam quippe corrumpens. At hoc ſuſtulimus, cùm de putredine egimus; ubi demonſtrauimus putredinem in termino eſſe interitum, non morbum: in uia uerò eſſe ſymptoma proueniens ab alteratione: ſic & in aſſumptione aconiti colliquatio, uel putrefactio, uel corruptio abſoluta interitus eſt: colliquatio quæ fit ſymptoma in genere excretorum, ut patet 2. Præſag. comment. 21. proueniens ab intemperie calida admodum, & ſicca, ab aconito introducta. Nihil hic eſt abditi, ſed ab aconito inducitur morbus ex intemperie calida, & ſicca quę colliquat & corrumpit corpus: primę enim qualitates hanc uim habent immutandi, & corrumpendi ſubſtantias, cùm pręter loca alibi citata Galen. 5. de Simpl. Med. nunc citato ſic ſcribat. Multis modis corrumpi quid poteſt, ſi quidem quæ nimio plus „ refrigerata ſunt, ant excalfacta, tam exſiccata, aut humectata, ea „ omnia corrumpuntur. Dicat aliquis, Dioſcor. lib. 6. c. 7. multos „ alios affectus ait ab aconito prouenire: corruptionis uerò nullam facit mentionem. Dico corruptionem eſſe ultimam noxam, quā inducit aconitum: & hoc cùm induxit, nullum amplius remediū eſt: at Diſcorides adduxit tantummodo prima ſymptomata, quę inducuntur ab aconito tāquam ſigna, ex quibus dignoſcatur aconitum fuiſſe aſſumptum, ut hac habita cognitione, remedia op-

portuna admoueantur, quæ in primis valeant ad excernendam cauſam, ad vim eius retundendam, ac corruptionem arcendam.

Producitur deinde taxus, quæ dicitur inducere totius corporis refrigerationem, inducere ſtrangulatum, & celerem mortem à Dioſcor.lib.6.cap.12. Taxus cauſa morborum eſt: morbi ſunt refrigeratio, & ſtrangulatus, quorum ille ad intemperiem pertinet: hic ad vias. Inuenias hic morbum totius ſubſtantiæ, ſi potes: proprietas enim totius ſubſtantię in taxo eſt, vnde ſi remedia adhibeantur agentia à tota ſubſtãtia, adhibentur ad cauſam profligandam. Ephemerum tertio loco adductũ authore Dioſcor. cap.5.excitat totius corporis pruritum, veluti vrtica, aut ſcylla, eroſionem, atque vſtionem ventriculi, deinde dyſenteriam: nihil abditi in his affectibus inuenies, nihil quod morbo totius ſubſtantiæ poſſis aſcribere: quare intemperiem calidam & ſiccam ab hoc etiam excitari dixerim, à qua multa ſymptomata proueniũt. Siqua eſt actio à tota ſubſtantia, tota eſt in cauſa. At hæc in cantharidibus ab eo propoſitis apparent luculentius, quas ſiquis aſſumpſerit, ab ore vſque ad veſicam mordicationem percipit, inflammatur ei dextrum hypocondrium, vrget vrinæ difficultas, ſanguis per vrinas excernitur, per aluum excrementa dyſentericorum incidunt, defectus animi, faſtidia, vertigines, & tandem delyrium: nullus hic eſt abditus morbus, ſed euidentes & peruulgati omnes: nullum ſymptoma, quòd à peruulgato morbo non oriatur: in ſola cauſa eſt totius ſubſtantiæ proprietas vexandi corpus tot, & tam grauibus morbis, quorum præcipuus eſt veſicæ exulceratio, morbus notiſſimus ex ſoluta vnitate.

Eadem obſeruabis in lepore marino, quem poſtremum adduxit: nam cum multos morbos afferat, multaque ſymptomata, proprie tamen affert vlcus pulmonis: quod ſi omnia percurres apud Dioſcoridem, nihil inuenies abditi, nullum totius ſubſtantiæ morbum, ſed omnia trita, & recepta. Quo apparebit etiam in reliquis omnibus venenis, quæ Fernelius non adduxit, ſi non oſcitanter Dioſcoridem leges: licet enim agant venena à tota ſubſtantia, nullum tamen alium inducunt morbum, quàm aliquem ex tribus à Gale. receptis, intemperiem, incompoſitionem, vnitatiſque ſolutionem. Et quoniam agimus de morbis partium ſimilarium propriis, nullum morbum inducunt hęc partium ſimilarium, qui intemperies aliqua non ſit.

Obiectio

Obiectio pro morbis totius ſubſtantiæ, eiuſq́; refutatio. Cap. XXXIIII.

QVAMVIS omnia ad vnguem videantur eſſe ſublata, quibus inhærebat vanum Fernelij de morbis formæ figmentum: reſtat tamen adhuc, quod poſſit ſcrupulum inijcere. Demonſtrauimus proprietatem totius ſubſtantiæ in cauſis eſſe, non in morbis, & ideo fuiſſe eum hallucinatum, quod morbis aſcripſerit, quæ cauſarum erant propria. At rationi videtur conſentaneum, ſi cauſæ agunt à tota ſubſtantia, morbos etiam ab eis excitatos cauſarum naturā retinere: vnde dicebat ipſe. Ex aſſumpto veneno morbi eius ueneni naturam imitantur, quod totius ſubſtantiæ diſſidio nobis eſt infenſum. Quæ ſententia videtur eſſe ueriſſima, immo verò à Gale. deſumpta, qui 3. de Tempe. c. 2. inter medicamentorum genera duo prima conſtituit, quorum alterum tale permanens quale aſſumptum eſt, corpus mutet ad eũ modum, quo id cibos: alterum mutationis initium à corpore adeptum putreſcit, & corrumpitur, & vnà ſecum corpus corrumpit, & putrefacit. Primi generis ſunt uenena frigida, veluti opiũ. Secundi generis calida & ſeptica, veluti aconitum, & conſimilia. Si igitur primum genus medicamentorum mutat corpus, vt corpus cibum: & corpus cibum ſibi ſimilem reddit: ſequitur, & medicamentũ illud ſibi ſimilem reddere corpus: quarè affectus à medicamento illo excitatus in corpore naturam ſuæ cauſæ retinet: eſt igitur affectus ille morbus totius ſubſtantiæ. Sic & ſecundum medicamentorum genus ita corpus immutat, vt ſibi ſimile reddat. Vnde aperte colligitur, ſi venena, & reliquæ cauſæ morborum agant à tota ſubſtantia, morbum etiam totius ſubſtantiæ excitare. Reſpondeo, vt antea, quæcunque cauſa ſit, quæ morbum excitet, nullum aliud genus morborum excitare, quàm tria ab omnibus recepta: & licèt cauſa agat à tota ſubſtantia, morbus tamen ſemper erit accidens, & nunquam ſubſtantia: nec repugnat Galeni ſentẽtia nunc adducta: cùm enim dicitur primum genus venenorum immutare corpus, vt corpus cibos mutat, corpus aũt cibos reddit ſibi ſimiles: concedo, id eſſe veriſſimum: nã opium, mandragora, & reliqua venena frigida corpus ſibi reddunt ſimile, frigidiſſimũ quippe ipſum reddẽtia, natiuo eius calore extincto:

hæc

hęc autem eſt intemperies,non formæ morbus. De ſecundo genere venenorum idem eſt dicendum: cùm enim corrumpit,& putrefacit corpus, mutatio hæc progreditur hoc modo: immutat primùm temperiem corporis, & qualitates à temperie orientes, cui immutationi ſuccedit formæ corruptio: at hæc in inſtanti fit, & mors eſt, non morbus: præcedens verò mutatio morbus eſt ex intemperie ſimili ueneno, calida videlicet & ſicca: nam quòd ex intemperie moriantur, qui ex uenenis moriuntur teſtatum reliquit Galenus tertio de Simpl. cap. 18. vbi de morte, quę à uenenis infertur, agens ſic ait. Animal nullum interire poteſt, quin cor ab agendi munere ceſſet: fieri porrò, vt ceſſet, nequit citra maximam intemperiem: ſiquidem non ſimpliciter quàm par eſt, aut calidius, aut frigidius moueri deſinet, eodem modo ſi modice ſiccum aut humidum euadat: minus enim ſuo fungetur ob haſce quidem intemperies munere,cæterum motu non vacabit,priuſquam immenſam,aut caliditatem,aut frigiditatem,aut reliquarum qualitatum aliquam acceperit.

Refutata hac ratione,concludendum iterum eſt, nullum eſſe morbum ex formæ corruptela. Reſtat, vt Galeni locis ab initio huius diſputationis adductis reſpondeamus. Sed cùm Galenus nihil aliud afferat in eis locis, quàm eſſe uenena, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate inteficiant, & medicamenta etiam, quæ à tota ſubſtantia auxilientur, contra nos nihil demonſtrant: omnia enim concedimus, ſed quomodo accipienda ſit eius ſentētia, ſæpe expoſuimus,& demonſtrauimus ex his nullo pacto introduci poſſe morbos totius ſubſtantiæ. Et quoniam in illis locis erāt quædam, quæ morbos materiæ aſtruere videbantur, veluti cùm ait, uentriculum à relaxantibus lædi,quomodo ad hæc ſit reſpondendum, viſum eſt in materiæ morbis. Quod ſi alij ſint loci præter hos, facile & hi trahentur in ſententiam Fernelio contrariam ex ijs,quæ à nobis hactenus ſunt demonſtrata. Atque hæc fuere præclara inuenta,quibus ſe iactat Fernelius in præfatione artem medicam ampliaſſe, atque illuſtraſſe. Cùm itaque iam cōſtet apertiſſime,nullum eſſe morbum materiæ, vel formæ in ſimilaribus partibus,reſtat eas laborare tantùm proprio morbo ex intemperie. Nunc ad partium organicarum morbos accedamus.

CO-

COMITIS MONTANI
DE MORBIS INSTRVMENTALIBVS
Liber Quartus.

Quot ſint morbi inſtrumentales. Cap. I.

MORBOS partium ſimilarium oriri vidimus vitio componentium: vnde cùm illæ ex quatuor ſint compoſitæ elementis ſi hæc recte ſimul miſta ſint, atque attemperata, partes ſimilares ſanæ ſunt, atque integræ: ſi uerò temperies vitietur, ita vt vnum, aut alterum elementorum, alia valde ſuperet, atque excedat, ex quo exceſſu partium lædatur actio, hic morbus eſt: quare cùm ſexdecim exceſſus inuenerimus, ſexdecim etiam morbos partium ſimilarium cum Galeno conſtituimus. Non ſecus partium compoſitarum, vel diſſimilarium, vel inſtrumentalium morbi, cùm ex ſimilaribus ſint compoſitæ, vt ab initio uidimus, ex uitio ſimilarium componentium oriuntur. Hinc Galenus in lib. de Conſtit. Art. c. 4. & 5. indaganti numerum morborum partium inſtrumentalium ſæpe, & ſępius præcipit, partium ſimilariũ numerum, magnitudinem, conformationem, & ſitum cognoſcenda eſſe: quod non ſolum in corpore humano locum habet, ſed in rebus omnibus, quæ arte conſtruuntur, veluti in domo, naui, & conſimilibus. Atq; hoc, quia ad conſtituendam partem inſtrumentalem concurrit primo certus partium ſimilarium numerus, qui ſi adſit, inſtrumentum probe eſt conſtitutum, ac ſanum: ſi deſit, male conſtitutum, & ægrum. Decenti præterea magnitudine præditę ſint partes omnes componentes oportet, vt inſtrumentũ idoneam ad actiones obeundas magnitudinem ſortiatur. Ad hęc conformatio optima eſt neceſſaria, ac ſub conformatione tria cõplectimur, primò figuram, quam conuenientem, & congruam eſſe oportet inſtrumenti miniſterio: deinde cauitatem, oſſa enim ve-

næ,

næ, arteriæ cauitate indigent opportuna: tertiò leuitatem, atque aſperitatem: ſunt enim partes quædam, quas ſuperficiem lenem habere oportet, cùm aliæ aſperam deſiderent. Nec ſatis eſt, certum numerum adeſſe partium ſimilarium, iuſta magnitudine, & decenti conformatione præditarum, niſi ſuum quæque locum occupet, & altera alteri apte cohæreat: quare ſitus: & connexio earum conueniens exigitur. Cùm hæc quatuor deſiderentur ad inſtrumentorum ſtructuram, quodcunque horum uitium contraxerit, quod actionem lædat, inſtrumentum morbo affectum eſſe di cetur. Inſtrumenta igitur quatuor propria mormorum genera incurrunt, quæ poſſumus etiam in ſex diſtribuere, ſi conformationem partiamur in figuram, cauitatem, & ſuperficiem, vt hæc ſint numerus partium excedens, aut deficiens: magnitudo nimis aucta, aut diminuta: figura indecens: cauitas nimis, vel cauſa, vel aperta: ſuperficies contra quam conuenit lenis, aut aſpera: ſitus, & connexionis aberratio. Morbos iſtos alij uoce Græca uocant organicos: alij latina inſtrumentarios: interpretes Arabum officiales, vt eſt apud Auerr. 3. Collig. c. 13. Auice. 2. 1. d. 1. cap. 3. morbos in compoſitione, uel compoſitionis uocat, ſicuti morbos partium ſimilarium morbos complexionis, quæ appellatio non omnino reſpuenda, vt faciunt nonnulli: licèt enim partes ſimilares ſint compoſitæ, & ipſæ, cum tamen componentia nõ appareant ſenſui, ſimplices videntur eſſe: unde quandoque non ſimplices tantum, ſed ſenſibilia etiam elementa à Gale. vocantur. Quadrat hæc appellatio doctrinæ Ariſtotelis, qui cùm 1. de Hiſt. Animal. ſtatim à principio partes ſimilares vocet incompoſitas, innuit apertiſſimè compoſitionem propriam magis eſſe diſſimilaribus, & inſtrumentarijs. Quadrat & Galeni decretis, qui in lib. de Conſtit. Art. c. 6. & 7. compoſitionem ſubſtantialem partium inſtrumentalium formam eſſe aſſerit nõ ſecus, ac ſimilarium temperiem: & propterea in Ar. Med. c. 8. ſtatuit ſymmetriã quatuor primarum qualitatum eſſe partium ſimilarium ſubſtantiam, nec ſecus ſymmetriam in numero, magnitudine, conformatione, & ſitu ſimilarium eſſe ſubſtantiam inſtrumentalium. Hinc etiam colligitur temperiem eſſe facultatem ſimilarium, & compoſitionem faculatem inſtrumentalium: nam ſi facultas eſt, quæ actiones parit, & à temperie quatuor elementorum prodeunt actiones ſimilarium: à recta compoſitione ſimilarium prodeunt actio-

des inſtrumentalium : quis neget in illis temperiem, in his compoſitionem eſſe facultatem : quantum, ſcilicet ſenſibus conſequi poſſumus, & quantum pertinet ad medicum? Proba itaque temperies, & integra facultas, ac ſanitas ſimilarium vnum ſunt, atque idem : ſic proba compoſitio, integra facultas & ſanitas inſtrumentalium vnum, atq; idem ſunt: quare & contra ſicuti improba temperies, & læſa facultas, & morbus ſimilarium pro eodem capiuntur : ſic indecens compoſitio, & læſa facultas, & morbus inſtrumentalium : & proptera vidimus in primo lib. morbum poſſe appellari læſam facultatem, qui ſi erit in ſimilaribus, mala tẽperies, ſi in organicis mala compoſitio, rectiſſime appellabitur. Verùm ſi recte agendum eſt de huiuſmodi morbis, quid pars inſtrumentalis ſit, prius cognoſcendum eſt.

Quid ſit inſtrumentum : & quomodo eius actio celebretur, ac impediatur. Cap. II.

SCRIPSIT Gale. librum de inſtrumentis, in quo quatuor inſtrumentorum genera conſtituit, vt refert in lib. de Diff. morb. ca. 4. atque id optima ratione, cùm ex inſtrumentis, alia ſint maiora, alia minora, & ex minoribus maiora componantur: & alia quædam ſint, quæ dubium relinquant, primi ne ſint, an ſecundi ordinis : vt autem cognoſceremus quid nam eſſet inſtrumentum, ſic eius deſcriptionem tradidit. Inſtrumentum eſt quidquid ex ſimilaribus coagmentatis actionis vnius gratia creatum eſt. Verùm primum genus inſtrumentorum tantùm hac deſcriptione comprehendi aſſerit. Primo autem Metho. c. 6. Inſtrumentorum, inquit, appello animalis partem, quæ perfectam edere actionem poſſit, veluti oculus viſionem, lingua loquelam, & crura itionem, quæ perfectior eſt definitio : nam aliud eſt edere actionem, aliud perfectam actionem. Muſculus eſt ex primo genere inſtrumentorum, cuius actio eſt motus : crus eſt ex ultimo genere inſtrumentorum, cuius actio eſt inceſſus longe quidem perfectior, quàm motus ſimpliciter : & licèt inſtrumenta maiora compoſita ſint ex multis minoribus, quorum vnumquodq; ſuam celebrat functionem : eſt tamen magni illius inſtrumenti : vnica actio tantùm propria, ad quam celebrandam concurrunt actiones omnes mi-

norum inſtrumentorum,vt elegantiſſime ex Hippocr.docet Gal. 1.de Vſu par.c.8.Hinc habetur inſtrumentum vnum vnam edere actionem ; ſed cùm inſtrumentum ex pluribus inſtrumentis ſit compoſitum,aut ſaltim ex pluribus ſimilaribus, cognoſcendum eſt, quomodo & à quibus actio illa celebretur , vt morborum inſtrumentalium cognitio comparetur : fieri enim poteſt , vt concurſus omnium ſimilarium,aut plurium author ſit actionis: fieri etiam poteſt,vt vna tantum : plene huic quæſito ſatisfacit Galen. aſſerens in vnoquoque inſtrumento vnam tantum propriam eſſe ſimilarem authorem actionis: reliquas vero huic vſum afferre: id aſſerit in lib.de Diff.morb.c.6.& 2.Meth.c. 6. quo in loco uertendo inſignis apparet error Linacri,cum enim dicat . Quippe à ſimilaribus functiones edi, eoq; eſſe cuiuſque inſtrumenti unam tantum ſimilarem , quis non uideat, falſum eſſe, unam tantum ſimilarem eſſe in unoquoque inſtrumento ? quare addenda eſt particula,quam ipſe omiſit,& ſenſus erit ueriſſimus. Lege igitur eoque eſſe cuiuſque inſtrumenti unam tantum propriam ſimilarem. Et miror admodum,Fuchſium, qui fidelis ſolet eſſet interpres, eam & ipſum prætermiſiſſe particulam : ſed mouit eum proculdubio Linacri authotitas. Primo etiam de Loc.aff.c.2.ait. Quælibet in animantis corpore actio peculiarem habet particulam, per quam efficitur. Conſtat quidem utplurimum inſtrumẽtum quodq; ex pluribus ſimilaribus,ſed una tantũ ex illis præeſt actioni inſtrumenti: reliquæ uſum afferunt,ſine quo actio illa celebrari non poſſet:& propterea Gale.in lib.de Conſtit.Art.cap.5. actiones primo & per ſe ſimilarium eſſe ait : ſecundario & ex accidenti inſtrumentorum. Oculus igitur cùm ex multis partibus compoſitus ſit,tunicis,humoribus,uenulis,arterijs,neruulis, muſculis,uidendi,quæ eius propria eſt actio, authorem & principem habet humorem chryſtalinum ſolum: quare actio primo & per ſe emanat ab hoc humore,reliquæ partes uſum afferunt huic actioni,unaquæque ſuum, qui ſi intercipiatur, actio etiam hæc intercipietur: quapropter eſt hæc etiam totius inſtrumenti actio, ſed ſecundario. Crus etiam inſtrumentorum ambulationis, cùm ex pluribus particulis & ipſum conſtet,actionem tamen ſuam ambulandi à ſolis muſculis conſequitur,ſed ſine reliquis partibus vſui dedicatis actionem hanc celebrare non poſſet: ideoque actio hęc primo eſt muſculorum,ſecundario cruris totius. Cùm itaq; inſtru-

ſtrumentum ex multis conſtet particulis, quadruplex earum eſt officium: quædam ſunt, per quas actio celebratur: quædam, ſine quibus ea celebrari non poteſt: aliæ, per quas melius celebratur: aliæ ad harum omnium tutelam ſunt conditæ, & cuſtodiam, vt manus exemplo docet Gale.1. de Vſu par.à ca. 8.vſq; ad calcem. Manus actio eſt apprehenſio, & cùm compoſita ſit ex vnguibus, cute, muſculis, venis, arterijs, oſſibus, & cartilaginibus, muſculi ſoli authores ſunt huius apprehenſionis: arteriæ venæq; ſunt de earum partium numero, ſine quibus actio celebrari non poſſet, niſi enim per illas muſculi calor foueretur: per has nutrimentum diſtribueretur, deficerent muſculi, vnde apprehenſio etiam tolleretur: articuli etiam ſunt huius generis, nam ſi digiti conſtarent ex integris oſſibus, inflecti non poſſent, ſine inflexione non fieret apprehenſio: vngues ſunt partes, per quas apprehenſio melius celebratur: nam ſi digiti præpoſitos vngues non haberent, non poſſent corpuſcula minuta apprehendere, nec tam facile retinere, quidquid apprehendunt. Oſſa etiam ſunt eiuſdem generis, nam ſi manus ex ſolis muſculis facta eſſet, poſſet quidem moueri, & aliquid arripere, ſed tarde & languide. Tutelæ, & cuſtodiæ cauſa ſunt cutis, & cartilagines potiſſimum articulis appoſitæ, & humor quidam lentus, & vnctuoſus cartilaginibus ſuperfuſus. Vnde ſi articuli ex ſolis eſſent oſſibus conſtructi, difficilius mouerentur, ſeſeque in motu attererent, cui incommodo occurrunt cartilagines, & humor ille lentus. Cùm ſic ſe habeat inſtrumentum, ſiue pars actionis author in eo lædatur, ſiue aliqua ex vſum præbentibus, actio vitiari poteſt: vnde cum morbi definitionem explicauimus, vidimus Gale. quandoq; aſſerere morbum nō ſolū actionis, ſed & vſus etiam eſſe impedimentum: hinc fit, vt non ſolum læſio partis præcipuæ inſtrumenti morbus ſit, ſed etiam partis vſum præbentis, cùm vtraque læſio actioni noxam afferre poſſit. Hoc tamen inter eas eſt diſcriminis, vt ſcribit Galen. lib. de Diff. morb. ca. 6. & 8. quòd læſio partis præcipuæ ſemper eſt morbus, reliquarum uerò læſio non ſemper: quippe cùm interdum non morbus ſit, ſed cauſa morbi: morbus eſt, quando actionem lædit nulla illata noxa parti præcipuæ: cauſa morbi, quando non ex ſe lædit actionem, ſed ex illata noxa parti præcipuæ: atq; hæc progrediente ſermone exemplis illuſtrabimus. Nunc ad explicationem vniuſcuiuſque morbi partium inſtrumentalium veniamus

Partiú corporis humani quadruplex officium.

mus

mus hac methodo progredientes,vt prius quidquid ad morbi naturam explicandam confert,ex Gale.afferamus, deinde dubia & obiecta diluamus: quare cùm ſex hi morbi ſint, primus in figura, in cauitate alter, tertius in ſuperficie, quartus in numero, quintus in magnitudine, vltimus in ſitu vel compoſitione: à morbis figuræ ducamus exordium.

De morbis figuræ. Cap. III.

EX morbis partium organicarum primus occurrit morbus in conformatione, quam διάπλασι Gale. vocat, Auic. in Canone ægritudinem creaturæ, in primo cantic. ægritudinem plaſmationis appellauit. Cùm morbum hunc in tres ſpecies diſtribuerimus antea, quarum prima eſt indecens figura, ab hac incipiamus.

Morbus in figura eſt, quando figura partis alicuius ita decedit de naturali ſtatu, vt partis actio vitietur: ſi quis viam cognoſcendi hæc vitia ſibi parare cupit, quot ſint figurararum diſcrimina, & quæ ſit ſua cuique parti naturalis, & conueniens cognoſcat, opor tet: nam quæ ab ea declinabit eo, quo diximus, modo, morbo nõ carebit: quamobrem quando membrum, quod rectum eſſe debebat, obliquum factum eſt, vel curuum, vel tortuoſum, vel in aliam quamlibet mutatum figuram, vitioſum eſt: poteſt hoc vitium prouenire in omnibus partibus corporis, & nomen deſumet à figura vitioſa in quibuſdam: in quibuſdam proprio nomine vocatur: nos aliquot ex his commemorabimus à capite incipientes, cuius vitioſas figuras deſcribit Gale. 9. de Vſu part. c. 17. & in lib. de Oſſ. cap. 1. eaſque omnes φοξότητας vocat, cuius vocis vim interpretes Galeni haud videntur percepiſſe φοξὸν vbique acutum, acuminatum, faſtigiatum conuertentes, cùm tamen inter huiuſmodi vitia ſub ea voce comprehenſa ſit capitis rotunditas: & ideo φοξὸν eo in loco vitioſum ſemper conuerterem. Has figuras ſi explicare volumus, non poſſumus id præſtare, niſi naturalis & decens peſpecta ſit, ac cognita. Quare ſi pilam ceream vtraq; manu comprehenſam leuiter comprimas, quouſque à lateribus, id eſt à parte dextra & ſiniſtra plana reddatur, in parte antica, & poſtica prominens, & orbicularis, exprimes hoc pacto naturalem, & decentem capitis figuram, quod in temporibus palmam eſt, in

Capitis uitia

ſincipite

ſincipite & occipitio prominens, atque orbiculare. Ab hac figura caput degenerat ob duas illas prominentias potiſſimùm: nam earum altera deeſt: poteſt autem tam anterior, quàm poſterior, & vtraq; quoque deeſſe, ſi vtraque, caput rotundum apparet: ſi hæc vel illa, oblongum: atque hæc tria ſunt figuræ vitia. Poteſt & quartum vitium cogitatione fingi, ſi hæ prominentiæ mutato ſitu in temporibus ſupra aures extent, & ſinciput, atque occiput plana ſint. Quatuor hæc capita φοξὰ vocat ibi Galen. quanquam vltimo loco depictum, monſtruoſum potius eſſe dicat, quàm φοξὸν. Ac ſanè vſurpat hanc vocem eo in loco latius pro quacunque vitioſa capitis figura, ſtrictius verò 6. Epidem. ſec. 1. commen. 2. ſed operæ pretium eſt, antequam eius loci ſententiam explicamus, proprium nominis huius ſignificatum explicare. Athenæus 11. Dipnoſoph. φοξὸν quaſi φαοξὸν dictum eſſe vult, quod videlicet aſpectu acutum appareat, qualia erant quędã pocula fictilia apud Argiuos, quæ labrum in acutum deſinens obtinebant, & ideo φοξίχηλα vocabantur. Euſtathius φοξὸν quaſi φλοξὸν dictum eſſe vult à voce φλὸξ, quæ flammam ſignificat: flamma autem in acutum tendit, cùm figuram obtineat piramidalem. Hinc apparet φοξὸν proprie acutum ſignificare. His viſis, ad Galenum accedamus, qui φοξὸ in commento nunc citato capit pro omni vitioſa figura, ea excepta, in qua deſunt ambæ prominentiæ, quæ cùm rotunda ſit, videtur aliena à ſignificatu huius vocis: quam tamen in 9. de Vſu part. non excipiebat: cùm itaq; altera deeſt eminentia, ſiue anterior, ſiue poſterior ſit, caput vocat φοξὸν. Quod ſi neutra deſit prominentia, ſed vtraq; maior ſit, quã deceat (de quo vitio in 9. de Vſu par. non fecit mẽtionẽ) hoc etiã modo caput dicitur φοξὸν, & ſemper improprie, quia huiuſmodi capita oblonga ſunt potius, quàm acuminata. Tertio modo φοξὸν proprie capitur, & vere acutum ſignificat: & caput huiuſmodi eſt, quando deficiente altera prominentia, quæ ſupereſt indecens ſit, & acuminata: unde à Gale. uocatur φοξότης ὀξεῖα: & caput huiuſmodi ab omnibus hominibus φοξὸν uocari ait. Apparet ex duobus his Gale. locis, uocem hanc trifariam ab eo uſurpari: primo pro quacunque uitioſa capitis figura: ſecundò pro quacunque uitioſa, rotunda excepta: tertiò pro uere acuta, quæ omnibus deterior eſt, & uexatur incommodis ab Hippocrate in eo Epidem. Aphoriſ. deſcriptis. Huiuſmodi erat Therſitæ caput ab Home. 2. Iliad. de

pictum. Quo in loco valde miror de Euſtathio, qui tale Periclis caput fuiſſe aſſeueret: quia fortaſſe apud Plutarchum legerat Periclem capite oblongo fuiſſe: ſed longe diſtabat Periclis caput à Therſitæ capite;cũ enim Gal.Periclis caput cõmendet, & magnũ fuiſſe dicat, credendum eſt oblongam habuiſſe prominentiam poſteriorem,vt Ligures in præſentia habent, & ideo optimo erat ingenio, & corpore robuſtiſſimo. At in Therſite aderat vna tantummodo prominentia, atque ea quidem parua, & acuta: vnde imprudentiſſimns erat, petulantiſſimus,obtortis oculis, claudus, gibbus, alijſq; multis vitijs turpiſſimus. In uario fuiſſe uſu hanc uocem docet etiam Erotianus, cùm per eam apud Hippoc.ſignificari dicat, & qui acutum habent caput,& qui frontem eminentem. Acumen itaque capitis indecens, ita ut lædat actiones, morbus eſt capitis in figura. Sunt & alia figurarum uitia proprio nomine appellata, uelut naſi ſimitas declaratq; luculenter Gal. 2.de Off.med.comment.2.quid ſimitas abſolute ſit, & quid ſimitas naſi,his uerbis. Simum Græci appellant locum, ubi planities cum colle coniungitur: qua enim committuntur,ſimum efficiũt, quum neutrum per ſe ſimum ſit: eadem figura ſit, qua decliuis uia cum accliui committitur: eodem modo in naſo ſima pars illa dicitur, quæ utrinque ſublimioribus partibus terminatur: iamq; ab hac parte totus naſus nuncupatur ſimus: conſtat enim plura uocabula in totis uſurpari corporibus à nonnullis ducta,quæ partibus accidunt, quomodo ſimus homo dicitur:ſiquidem non eodem modo uocatur ſimus, quo plenus, ac tenuis, aut albus, aut niger, ſed ſicut glaucus, cæſius, uel gibbus. Hæc itaque ſimitas ſolet obſtruere meatus narium adeo, ut earum functio lædatur: quare naſi morbus eſt,& morbus figuræ. Contra tamen uidetur aſſerere 5.Epid.ſect.1.commẽ.3. cùm ſimitatem naſi ſymptoma eſſe pronuntiet: nam ſi ſymptoma eſt,morbus non eſt. Reſponderi poteſt,Galenum ibi uſurpaſſe nomẽ ſymptomatis in uniuerſali ſua ſignificatione, quo ſignificat quidquid animanti præter naturam accidit: unde complectimur morbũ,cauſam,& ſymptoma proprie dictum,ſic ſtatuente ipſo Gal.lib.de Diff. ſymp.ca.2. dicere etiam poſſumus eo in loco defectum oſſium eſſe morbum palati, ſimitatem uerò eius ſymptoma,quæ ſi ad naſum referatur morbus eius eſt, ut paulo ante uidimus, & iterũ inferius uidebimus. Si ad dorſum deſcendas,multi in eo excitantur figuræ morbi:

Naſi uitia

Dorſi uitia.

bi: nam gibbi eo laborant morbo, quorum varij ſunt modi, vt habetur apud Gale.3.de Artic.comment.2. Alati etiam illi morbo figurę vexantur, de quibus Hippoc.6.Epid. ſect.3. Aphor.18. habent hi authore Galeno eo in loco, & 2.de Temper.ca.6. adeo prominentes ſpatulas, vt auium alæ videantur: qua de re cùm anguſtum habeant thoracem, ad tabem ſunt propenſi. Sunt & in cruribus vitia ſuo notata nomine βλαισσὸν, & ῥαιβὸν. Illud interpretes nunc valgum, nunc vatiam reddunt: in eo vitio crura in exteriorem partem vergunt, vt ſcribit Gale. in lib. de Cauſ. morb. cap.7. 3. de Vſu part. c.9. & 3. de Off. Med. comment.31. Huiuſmodi crura viſuntur hac tempeſtate in omnibus ferè piſtoribus, in quibus genua ſe contingunt, pes verò à pede valde eſt diductus & diſtans: ῥαιβὸν κυλλὸν etiam à Græcis, varum ab interpretibus appellatum ei oppoſitum eſt: cùm enim crura intro vergãt, genu à genu admodum diſtat: pedes verò ferè coniuncti ſunt. Egit de his figuris turpibus Plin. lib.2. ca.45. Sunt & planci apud Latinos, de quo vitio apud Plin. dubium eſt pedum ne ſit, an manuum: vtcunque ſit, euenit, cùm pars, quam concauam eſſe oportuit, plana redditur, æquabiliſque, veluti vola manus, & pedis planta. Ariſt.1. de Hiſt. Anim. c.15. quicunq; partẽ internã pedis craſſam habent, & non cauam, & toto pede incedunt, ſunt inquit, ſcelerati. Vitiũ hoc ad figurã pertinere Gale. etiam teſtatur, & eos 3. de Articulis cõment.92. λειόποδας à Græcis ait appellari, quia pedes habent planos, vt in hoc mihi non probetur Auicen. qui 1. Cant. part.167. inter cauitatis morbos enumerat, ſic enim ait.
„ Ex eis etiam eſt morbus in concauitate, cũ accidit ei nocumentũ,
„ ſicuti cũ planta pedis carne repletur. His vitioſis figuris claudos
„ etiam poſſumus adiungere. Sunt alia innumerabilia vitia figurarum, quę proprio nomine donata non ſunt, ſed nomen ſortiuntur à figura, quam repreſentant, quales ſunt apud Hippocratem nares acutæ, oculi concaui, aures contractæ, & lobi earũ inuerſi: tales ſunt oculi cùm peruertuntur, talis eſt decubitus ægri, cùm ſupinus decumbit, manibus, & cruribus extentis: verùm eſt aduertendum hæc vitia non ſemper eſſe morbos, ſed interdum eſſe ſymptomata: morbi erunt, cùm lædent actionem: ſymptomata, cùm ex morbo naſcentur. Aduertendum eſt etiam vitiari inſtrumenti figuram, ſi pars aliqua ſimilaris ex compouentibus inſtrumentum vitium contraxerit non in figura ſolùm, ſed in alijs

multis: vnde ſi qua particula maior ſit, vel minor, quàm deceat, totius inſtrumenti figuram vitiare poteſt: numerus etiam auctus, aut detractus figuram vitiat inſtrumenti: ſed nihil eam magis vitiat, quàm error partium in ſitu,& connexione, vt apparet in luxationibus & fracturis,tam antequam reſtituãtur,quàm poſtquã reſtitutæ ſunt, ſi perperam id ſit factum. Nec obueniunt hæc ijs tantum partibus, quæ ſub conſpectum veniunt, ſed internis etiam atque abditis: cor enim,pulmo, cerebrum,lingua ,lien, renes,aliæque omnes in figura vitium contrahere poſſunt: Gale.in Ar.Med.ca.71.& 87.quendam commemorat,cui ventriculus exquiſite eſſet rotundus:& poſſunt hæc vitia connata eſſe,& aduentitia,vt plenius declarabimus, cùm de cauſis morborum diſputabimus. Nunc ſiquid ineſt dubij in his morbis videamus, ac diluamus. Siquis igitur obijciat contra ea,quæ ſtatuimus,figuram vitiatam non eſſe diſpoſitionem, & ex conſequenti non eſſe morbum,quia figura eſt quarta ſpecies qualitatis, diſpoſitio verò prima:reſpondemus figuram ipſam non eſſe ſanitatem,vel morbum, ſed concinnitatem, & inconcinnitatem, ſiue vitium figuræ: hæ verò ſunt figuræ diſpoſitiones,illa naturalis,hæc præternaturalis: eſt itaque morbus non figura,ſed figuræ vitium, vitium autem id mala eſt figurę diſpoſitio:& propterea in prima qualitatis ſpecie, non in quarta. Dices ſimitas eſt morbus naſi: & quæres, ſimitas eſt ne figura,an figuræ vitium: ſi dicas figuram eſſe, tenet adhuc argumentum,& dicendum eſt morbum eſſe in quarta ſpecie qualitatis etiam, non in prima tantùm, ſi dices eſſe figuræ vitium, quæram,cuius nam figuræ ?& ſanè reſpondendum eſt naſi: oportet itaq; noſſe naturalem naſi figuram,nam huius ſimitatem vitiũ eſſe dicemus: quare omnino ſimitas eſt diſpoſitio, & prima qualitatis ſpecies, ſicuti acumen, & rotunditas exquiſita ſunt figuræ capitis vitia:idem de reliquis dixeris.

De morbis cauitatis: *Cap. IIII.*

SEQVITVR morbus cauitatis,quem Auic.in duas diſtinxit ſpecies,alteram vocans ægritudinem viarũ, alteram receptaculorum,& ventriculorum: per vias intellexit omnes eas partes,per quas materia quæpiã tranſit ad aliquem determinatum locum:& ideo gula via eſt,quia

bia quæ nã dicantur. Meatus orificia

per

per eam deſcendit cibus, & potus ad ventriculum : aſpera arteria eſt via, per quam itque, reditque ſpiritus : ceruix vteri, per quam excurrit ſemen genitale, & ſanguis menſtruus : meatus vrinarij, venæ, & arteriæ viæ ſunt : via eſt quoq; vueæ foramen, quia inde tranant ſpiritus viſorij : exigua occultaque ſpiracula totius corporis, per quæ vapores exhalant, & ſudor emanat, ſub viis continentur. Verùm ventriculi, & conceptacula ſunt ampliora quædam vaſa, quæ recipiunt, & retinent aliquam materiam, veluti ventriculus, qui cibum à gula excipit, diuque eum retinet: vterus, veſica vtraque, ventriculi cordis & cerebri ſunt huiuſmodi. Conſtituit Auic. duas haſce differentias, ut puto, quia uidebat in cõceptaculis quoſdam morbos reperiri, qui in uijs nõ reperiuntur: uiæ namque tria ſubeunt uitia: primum, ſi nimis dilateſcant, ueluti uenę uaricibus affectæ, & arteriæ aneuryſmate, & uueæ foramen nimis amplum : ſecundum, ſi nimis aſtringantur, ut in eodẽ uueæ foramine nimis anguſto : tertium, ſi penitus claudantur, ut euenit quandoque in uenis meſaraicis per magnas obſtructiones : in meatibus urinarijs, quando penitus urina ſupprimitur: in gula & aſpera arteria, cùm uehemens urget angina. At conceptacula quatuor modis uitiantur, ſi nimis dilatentur, ueluti ſcroto ſolet euenire, aut nimis aſtringantur, ueluti uentriculi cerebri in epilepſia: aut replentur, atque obſtruuntur, ueluti ijdem uentriculi in apoplexia: aut nimis exinaniuntur, ueluti cordis uentriculi in nimia lætitia, & profuſa uoluptate. Mihi ſanè, ut ingenue fatear, hæc Auicennæ diſtinctio non videtur fuiſſe neceſſaria, immo verò ſuperuacanea, atq; inutilis, idemque bis repetẽs: nam ſi recte conſideremus, viæ eiſdem prorſus vitijs afficiuntur, quibus conceptacula: nam quartus morbus, quem conceptaculis tantùm attribuit, in vijs etiam quibuſdam poteſt eſſe, nam uenæ & arteriæ etiam exinaniri poſſunt. Præterea ſi recte conſideres, exinanitio hæc non morbus eſt, ſed ſymptoma in nimia excretione: de quo Galen. in lib. de Diff. Sympt. c. ult. In adducendis etiã exemplis labitur Auic. cùm dicat epilepſiam prouenire ex aſtrictione ventriculorum cerebri, apoplexiam ex eorundem obſtructione, cùm Gale. 2. de ſympt. cau. & alibi ſępe atteſtetur, utranq; ex obſtructione prouenire, quinimo ipſemet Auicen. in 3. lib. in tractatu de apilepſia ab obſtructione prouenire eam pronuntiat, & nos id antea demonſtrauimus; niſi pro Auic. dicas eum de epi-

lepſia per conſenſum intelligere, in qua nulla eſt obſtructio, ſed aſtrictio tantùm. Hæc diſtinctio cùm artificioſa, atque elegans videatur eſſe, ideo fuit à Fernelio amplexata à Galeni inſtitutis facile & libenter recedente, nec aduertit ſe eaſdem morbi differentias bis inutiliter deſcribere. Hic, quas Auic. vocat vias, meatus vocat: quas ille ventriculos, ipſe cauitatis ſinus, & receptacula. At his omiſſis, ſequamur nos Galen. qui lib. de Diff. morb. cap. 7. & in Ar. Med. c. 87. conſtituit vnicam morborum ſpeciem, quos vocat morbos in cauitatibus, in meatibus, & oſculis: quæ licèt vna ſit morbi ſpecies, varijs tamen modis fit. Primum, atq; vniuerſale vitium in cauitatibus eſt, aut in multitudine, aut in magnitudine earum: vtriuſque autem vitium eſt, aut in exceſſu, aut in defectu: exceſſus in multitudine eſt, quando in corpore plures numero ſunt cauitates, quàm par ſit: defectus, quando pauciores: exceſſus in magnitudine eſt, cũ cauitates plus nimio ſunt hiantes & patentes: defectus cùm plus æquo anguſtæ ſunt redditæ. In his morbis percipiendis valde attentum eſſe oportet in legendo Galeno: nam in his explicandis ieiunus, & obſcuriuſculus videtur: nos rei naturam ſequentes dabimus operam, eos, vt plene, & perſpicue explicemus. Quod vitia in meatuum multitudinis defectu corpus vexent, patet ex ijs, qui naſcuntur ano nõ perforato, & in mulieribus, quæ interdum ſine vuluæ foramine prodeunt in lucem. Quod verò vitia etiam in meatuum multitudinis exceſſu appareant, docet Gale. 2. de Temper. c. 6. vbi aſſerit animantia pleraque vnicum habere meatum flauæ bilis deriuatum à veſica fellea ad inteſtina, in quibuſdam tamen geminos eſſe, quorum ſuperior inſeritur iuxta ventriculi fundum, & bilem eructat in ventriculum, quo fit, vt quidam, qui minime bilioſi apparent, bilem tamen ſæpe euomant, cuiuſmodi erat Paulus rhetor, de quo mentionem facit in 2. de Rat. Vic. in acu. commẽ. 29. 7.^120.D. quo ex loco poteſt colligi, quis ille fuerit, de quo ſermonem habet in Ar. Med. c. 74. In magnitudine meatuum vitium in exceſſu eſt, cùm latiores ſunt, & patentiores, quàm conueniat: in defectu cum anguſtiores: nam ſi penitus occludantur, vitium erit potius in multitudinis defectu, quàm magnitudinis. Innuit hanc diſtinctionem Gale. & in lib. de Cau. morb. c. 7. cùm enim aſſerit cauitates, & meatus partium, vel prorſus aboleri, vel lędi: ſi prorſus aboleantur, morbus erit in defectu multitudinis, cui debes

pag. 66. H.

contrapo-

contrapōnere & ſubintelligere morbos in exceſſu eiuſdem: ſi uerò lædantur tantummodo, & non aboleantur, morbi erunt in defectu, & exceſſu magnitudinis: ſex autem modos, vel ſpecies horum morborum eo in loco deſcribit Gal. plane & diſtinctè, quos obſcuriuſcule in lib. de Diff. proſequitur. Quare nos tanquam ab initio ad eas deſcribendas aggrediamur. Cùm morbos meatuum, ſiue cauitatum, ſiue viarum, ſiue ventriculorum, ſiue cōceptaculorum, ſeu quocunque alio nomine appellare libuerit, oriri viderimus ab exceſſu, & defectu tam multitudinis, quàm magnitudinis earum, explicandi iam ſunt morbi hi, qui multi ſunt: ſex autem à Galeno eorum differentiæ conſtituuntur, & ſunt hæc, Coalitus, obſtructio, anguſtia, compreſſio, ſubſidentia, & referatio, quæ ſingillatim explicandæ ſunt: & annotandum, quæ nam erunt in exceſſu, aut defectu tam multitudinis, quàm magnitudinis. Coalitus, quem σύμφυσιν Galen. vocat, vt patet ex proœmio libelli de Oſſibus, vnionem ſignificat: cùm igitur extrema meatuum, vel cauitatū coaleſcunt ſimul, vniunturq́ꝫ, meatus ille aboletur, & morbus in cauitate oritur, qui dicitur ſymphyſis: exēplum ſit, ſi labia ſimul conglutinentur, ita vt os occludatur: ſi vuluæ extrema, ſi narium meatus, alijq́ue conſimiles: poteſt hic morbus eſſe, tàm in defectu magnitudinis, quàm multitudinis: ſi totus occludatur meatus, defectus erit in multitudine, nam corpus vno minus, quàm ante meatu erit prǽditum: ſi non ex toto occludatur, defectus erit in magnitudine: adeſt enim idem numerus meatuum, qui antea, ſed vnus ex illis redditus eſt anguſtior.

Obſtructio, quam vocat ἔμφραξιν, obuenit, cùm humores craſſi & lenti, aut callus quiſpiam, aut ſanguinis grumus ſpatia interna vaſorum occupant, in quibus ſi integra fiat occluſio, defectus erit in multitudine: ſi non integra, in magnitudine: atque has duas differentias in lib. de Diff. morb. diſtinctè in medium proponit: tres ſequentes confuſe ſimul tradit vnà cum cauſis ſuis, ſed nos eas ex lib. de Cauſis ſeorſum explicabimus. Tertia itaque anguſtia, quam στενοχωρίαν vocat, eſt, quando viæ redduntur anguſtæ propter aliquē tumorem, veluti phlegmonem, aut ſcirrhum, aut carnem excreſcentem, quæ aut totum occludāt meatum, aut ſaltim reddant anguſtiorem. Compreſſio, quæ θλίψις ab eo dicta eſt, fit, cùm vas aliquod ab aliqua re contundēte compellitur, cōprimiturq́ue ita, vt ſpatia interna, aut anguſtiora reddantur, aut

penitus intercipiantur. Subſidentia συνίζυσις vocáta, fit, quãdo tunicæ vaſorum & parictes conceptaculorum conniuent, & concidunt,adeo vt ſpacia interna,vel minora reddãtur, vel occludãtur, vt ſolet euenire in veſica plena,cùm euacuatur. Quinq; hi morbi pertinent tam ad exceſſum, quàm ad defectum magnitudinis, & multitudinis meatuum. Sextus morbus eſt oſculorum reſeratio, ἀναςώμωσις à Gale. vocata, per quam oſcula vaſorum veluti venarum recluduntur,& contentam materiam effũdunt, vt euenit in ſanguinis reiectione. Videtur hic morbus ſolus pertinere potius ad exceſſum magnitudinis,quàm multitudinis:non enim nouus aliquis meatus exoritur, ſed qui clauſus erat, aperitur: & qui anguſtus, dilatatur: hanc ſextam differentiam non attigiGt alen. in explicatione harum differentiarum, ſed in con-
„ cluſione tantummodo, cùm ita concludit. Quæcunque igitur
„ ægritudines concauitatibus adueniunt, cùm præter modùm ob-
„ ſtruuntur, vel laxantur, omnes ad formationis genus referuntur: nam ex voce illa (laxantur) ſextam indicat differentiam.

Obiiciat aliquis, dixiſti antea hanc exinanitionem eſſe ſymptoma, & non morbum, & ideo Auicennæ diſtinctionem reieciſti: at hic enumeras inter morbos cum Gale. Reſpondeo, aliud eſſe reſerationem uaſorum, aliud exinanitionem: illa enim eſt morbus: hæc ſymptoma ex illo morbo oriens. His poſitis,percurramus, quæ dicit ipſe in cap.7.de Diff.Morbor.ut ſiquid ineſt dubij, id remoueamus, aut ſaltim indicemus.

Expoſitio capitis ſeptimi de Morb. Diff. qua de morbis cauitatum à Galeno agitur. Cap. V.

CVM Galenus dixiſſet cauitatum morbos exoriri ex exceſſu ac defectu magnitudinis, & multitudinis earum, ſubdit ſtatim, morbos huiuſmodi plures eſſe: nam quidam ex coalitu oriuntur, quidam ex obſtructione humorum lentorum, & craſſorum: erunt itaque hi duo morbi, coalitus, & obſtructio: alij uerò eueniunt exſiccatis corporibus: nam ſi uaſorum tunicæ exſiccentur, contrahantur, neceſſe eſt: unde meatus anguſtiores redduntur. Dices, hic de morbis inſtrumentalibus agitur, at exſiccatio eſt morbus ex intemperie. Reſpondeo,morbos iſtos cauitatum,uel

à cauſis excitari, quæ morbi non ſunt, vel alios morbos conſequi: hicque genus utrunque deſcribi, ſe ipſum interpretatur Galen. in Art. Med. cap. 95. Anguſtia itaque meatuum à uaſorum immoderata exſiccatione exoriens morbum alium conſequitur, atq; eum diuerſum à morbis inſtrumentalibus, cùm intemperies ſit. Alij excitantur morbi in cauitatibus, ſi quid ex ambientibus incidat in ipſas, & comprimat: ac per ambiens poſſumus partem aliquã corporis audire, quæ in uenam, aut arteriam concidat, atque eam comprimat: hac enim de cauſa ſolet prouenire pulſuum inæqualitas uitio inſtrumentorũ, ſicuti ſcribit ipſe in 2. de Cauſ. pulſ. cap. 2. comprimunt autem vicina corpora, ſi tumore aliquo afficiantur, aut vitioſam figuram incurrant, vt indicat in Art. Med. loco citato: poſſumus etiam audire corpora extrinſeca, quæ percutiant, contundant, & ex conſequenti meatus comprimant. Alio modo morbus hic exoritur, quando corpus meatu præditum tumore aliquo præter naturam afficitur, ſcirrho, phlegmone, & con ſimilibus: qui tumor non ſolùm intemperie lædat, ſed magnitudine etiam, occupando internam meatus partem, eamq; obſtruendo: vnde & hæc obſtructio uocatur, quæ morbum alium ſequitur, atque hic deſinit horum morborum explicatio.

Explicatis morbis omnibus cauitatũ, aut modis, quibus morbi hi ingenerantur, quoniam in ultimi explicatione dixerat, morbos iſtos interdum excitari, cùm in corpore meatuum oritur tumor aliquis, & in internum meatum diffunditur, eumque anguſtum reddit, admonet cùm hoc euenit, interdum vnum adeſſe morbum, id eſt obſtructionem, quæ actionem impedit: interdum duos, & obſtructionem videlicet, & diſpoſitionem illam corporum, quæ obſtructionem inducit. His propoſitis afferenda erat diſtinctio, ex qua cognoſceremus, quando vnus tãtùm adſit morbus, & quando duo: at ipſe tradit regulam tantummodo, per quã hic tumor vnus ſolus ſit morbus: nec eam vllo illuſtrat exemplo: & regula eſt. Si corpus tumore affectũ nullam propriam habeat actionem præter communem illam diſtribuẽdi materiam aliquã, erit ille vnicus tantùm morbus, obſtructio videlicet, communem illam diſtribuendi actionem lædens: diſpoſitio verò corporis tumore affecti morbus non erit, ſed cauſa morbi; hæc eſt regula nullo illuſtrata exemplo. Quando verò duo adſint morbi, exemplo ſtatim docet. Nam ſi venæ tunica in concauo iecoris collocata

tumore

tumore afficiatur,quo eius meatus,per quem ſanguis ad conuexá iecoris excurrit, reddatur anguſtior, tunc duo aderunt morbi, alter tunicæ,alter meatus obſtructio: quod duo adſint morbi inde patet, quia duæ impediuntur actione: nam tumor ille impedit diſtributionem ſanguinis obſtruendo meatum, & generationem ſanguinis laudabilis male afficiendo venæ tunicam. Certe Galenus in hoc videtur breuitatem Hippocr.immitari,qui tacere ſemper ſolet,quod ex ijs, quæ ſcribit, colligi poteſt: cùm igitur ex regula prima poſſit colligi ſecunda,& ex exemplo prolato ſine regula colligi poſſit exemplum regulæ propoſitæ, hunc laborem reliquit lectoribus. Ex priore itaque regula hæc facile colligitur:ſi corpus tumore affectum præter communem actionem propriam etiam habeat actionem, duplici morbo laborabit: docet id exemplum nunc propoſitum,vena in iecoris cauo:communem enim habet actionem diſtribuendi ſanguinem,& propriam generandi ſanguinem: cum itaque eius tumor vtranque lædat actionem,geminus erit morbus, alia tamen,& alia ratione:meatus erit morbus,quatenus eum obſtruit: tunicę,quatenus eſt, uel intemperies cum affluxu ſubſtantiæ,vel aucta magnitu do: ſi ſit intemperies ex ſe euidẽs eſt, quomodo generationem ſanguinis uitiet: ſi ſit magnitudo,id etiam euidens ex Gale.3.de Sympt.cauſ.c. 1. ventriculi exemplo, vbi ait intemperiem lædere facultatem ventriculi in concoquendo in propria eſſentia, tumores verò eam tantummodo impedire.Exemplo regulam prætermiſſam addidimus: addamus nunc,& exemplum prætermiſſum regulæ.

Si itaque vena in alia parte,quàm in iecore ſita,vbi ſolam communem diſtribuendi ſanguinis actionem,propriam nullam obtineat,tumore afficiatur,vnicus erit morbus tantùm obſtructio videlicet, communem impediens actionem: tunicæ nullus erit morbus,quia nullam tunica propriam habet actionem: vnde tumor ille tunicæ non morbis erit,ſed cauſa morbi tantum, obſtructionis videlicet:atque hactenus partim clam, partim aperte ſignificauit,quando vaſa tumore præter naturam afficiuntur,tumorem illum partim duos morbos eſſe,partim unũ. Nam ſi uas propriam habeat actionem,duo erunt morbi,cùm duæ impediantur actiones,veluti cùm uena in iecoris cauo tumore correpta eſt: ſi nullm verò propriam uas actionem habeat, vnus erit morbus tantùm,veluti ſi uena extra iecur eodem tumore uexetur, tunc

enim

enim vna tantùm impeditur actio. Quod ſi uas ipſum nullo tumo re laboret, ſed cauitatem tantummodo occluſam habeat à craſſis & glutinoſis humoribus, vnicus tunc morbus eſt, ſiue propriam vas actionem habeat, ſiue non: nam ſi hoc verùm eſt de uena in cauo viſceris, quam in exemplum protulit, tanto magis verũ erit de venis extra viſcus. Vt hoc ſit diſcrimen inter obſtructiones prouenientes à craſſis humoribus occupantibus vaſorum cauitates, & obſtructiones prouenientibus à tumoribus tunicas vaſorũ affligentibus, quod hoc modo duo quandoque morbi adſint, atq; id, quando vas propriam actionem obtineat: illo vnicus ſemper ſit morbus: atque hæc alijs illuſtrat exemplis: nam ſi in ſpatijs inteſtinorum ſola adſit obſtructio, vnicus erit morbus: ſed ſi inteſtini tunicæ inflammatione corripiantur, duplex erit morbus, qui duas impedit actiones: cum enim duplex inteſtinorum actio ſit, ſicuti etiam venarum iecoris, altera, qua reliquias alimenti extru dunt ad inferiora: altera, qua alimentum adhuc concoquunt, authore Galeno 4. de Vſu part. c. 17. inflammatio quatenus obſtruit meatum inteſtinorum, deſcenſum excrementorum impedit, & morbus eſt in cauitate, quatenus verò tunicas in tumorem adducit, ſi dicas eum tumorem eſſe intemperiem cum affluxu ſubſtantiæ, in propria eſſentia lædet facultatem concoquendi: ſi actuam magnitudinem, actionem eam impediet. Allato inteſtinorum exemplo, in quo patet ex inflammatione tunicarum exoriri obſtructionem meatuum, morbum, videlicet ex morbo, ſubdit Gal. hoc non eſſe mirum, quia ſæpe morbo oritur morbus: quod cum ex exemplis iam prolatis pateat, inde etiam liquet, quando heriſy pelati, herpeti inflammationi, & carbunculo ſuperuenit febris.

Et quoniam dixerat morbũ, morbum parere, ne ſemper id fieri ſuſpicemur, admonet, quod à morbo perficitur, non ſemper mor bum eſſe, ſed vtplurimum pathema & ſymptoma: nam quando oritur actionis læſio, ſymptoma eſt non morbus, & cauſa huius lę ſionis morbus eſt, veluti cùm ex obſtructione diſtributio prohibetur alimenti, & cùm ex refrigeratione oritur ſentiendi difficultas, nam obſtructio, & refrigeratio ſunt morbi, mala alimenti diſtributio, & ſentiendi difficultas ſymptomata. Sed quoniam mor bus eſt ſymptomatum cauſa, & ipſe etiam ſuas habet cauſas, ne quiſpiam fallatur ſumendo cauſam, quandoq; pro morbo, docet morbum à cauſa internoſſe, ſicuti nos etiam vidimus in morbi

defi-

definitione. Quando itaque adeſt diſpoſitio quępiam, quæ primo lædat actionem, illa eſt morbus: quod verò parit diſpoſitionem hanc, cauſa eſt morbi, vt hic ſit ordo: occurrit primo læſa actio, hæc ſymptoma eſt, deinde diſpoſitio, quæ primo affert hãc lęſionem, & illa eſt morbus: tertio occurrit quod diſpoſitionem hanc efficit, & hæc eſt cauſa morbi. Exemplum ſit in morbo propoſito obſtructionis: nam læſa diſtributio eſt ſymptoma, obſtructio morbus: humores lenti & craſſi cauſa morbi. Concludit demum Galen. morbos omnes cauitatum, ſiue illæ obſtruantur, ſiue immoderate dilatentur, eſſe in genere conformationis: qua in concluſione comprehendit etiam ſextam differentiam à nobis explicatam, ut ante annotauimus. Atq; hæc hactenus Gale. de morbis cauitatum.

Dubitationes in morbis cauitatum. Cap. VI.

MVLTAE in his morbis occurrunt dubitationes, quas ſingillatim excutiemus. Primò non videtur Galen. ſibi conſentire in enumerandis morbis cauitatum: nam in lib. de Diff. & Cau. Morb. enumerat multas ſpecies, de quibus in lib. Metho. mentionem non facit, nec in Arte Medica, nec alibi: & omittit ſtipationem στέγνωσιν vocatam, & ſpecies quaſdam alias ſub ea contentas, de qua ſæpe in lib. Methodi, & præſertim lib. 9. cap. 1. & 3. de Tuen. Valet. cap. 10. Præterea nec ſatis diſtinguitur, quæ nam ex his ſit morbus, aut cauſa morbi: nam quas hic videtur inter morbos referre, in lib. de Cau. referre videtur inter cauſas. Dicas omnes has ſpecies eſſe morbos, & diſtinctionem capere à cauſarum diuerſitate, & alias etiam differentias excogitari poſſe putauerim, quæ à quibus cauſis oriantur, & quomodo ab eis diſtinguantur, explicabitur in tractatu de Cauſis. Quod verò ſint morbi, patet ex obſtructione: ſi enim hæc citra controuerſiam morbus eſt, cur non & reliqua morbi ſint? plures vero ſpecies enumerat in lib. de Morbis, quàm alibi, & quaſdam etiam omittit, quas alibi recenſuit, quia tanta eſt inter eas ſimilitudo, ut etiam ſi diſtinctæ ſint inter ſe, ſæpe tamen multæ ſub vno genere comprehendantur: unde in lib. 9. Metho. & 3. de Tuen. Valet. ſub conſtipatione complectitur obſtructionem, ſub qua quis non videat comprehendi

poſſe

poſſe etiam anguſtiam,compreſſionem, & ſubſidentiam? Ac ne longius abeas, in eo loco de Diff. morb. vbi tot videtur enumerare differentias, in fine eorum morborum redigit eos ad obſtructionem; & vaſorum reſerationem,cùm ſic ſcribat. Omnes igitur „ concauitatum morbi,ſiue obſtruantur,ſiue immodice pateant,ad „ conformationis genus reducuntur. Si qua igitur in his apud „ Galen.apparet repugnantia, in uſu nominum tantummodo eſt, cùm in re nulla ſit. Præterea non recte videtur ἀναςόμωσιν collocari inter morbos,quia nullam lædit actionem: nam cum eueniat in uenis potiſſimum,& uenarum actio ſit ſanguinis diſtributio,reſeratio venarum nullum affert impedimentum huic diſtributioni. Præterea etiam ſi morbus ſit, morbus cauitatis non eſt, ſed continuitatis ſolutio: patet id ex Gale. qui de eius curatione tractat 5.Meth.cap.2.at in eo lib. tractat de curatione morborũ ſolutæ vnionis tantùm. Obiecta hæc facile diluuntur: vnde ad primum poſſumus reſpondere,licèt non impediatur ſanguinis diſtributio,eſſe tamen illam deprauatam diſtributionem, quia non diſtribuitur,quo oportet: ſed quo non oportet: poſſumus etiam dicere,impediri diſtributionem,uel maxime, quia cùm diſtributio fiat partibus corporis, vt inde nutriantur, ex illa reſeratione impeditur hæc diſtributio: vel etiam dici poteſt, venas non ſolùm eſſe vaſa diſtribuendi ſanguinem, ſed etiam continendi: ex reſeratione itaq; illa continendi actio læditur. Ad ſecundum dubium dicendum,cùm Galen.doceret ibi, quomodo in ſolutione continui ſanguinis profluuium eſſet compeſcendum, & in reſeratione venarum etiam fiat ſanguinis profluuium,propter ſymptomatum,& etiam propter remediorum affinitatem: de hac ibi docuit, non quia eſſet morbus ex ſolutione continui: Immo verò Galen.de hoc lectorem commonefacit eo in loco, & fatetur reſerationem vaſorum eſſe de alio genere morborum, quàm ſolutæ vnitatis: qua de re in morbis ſolutæ vnionis iterum verba faciemus. Nec id etiam recte uidetur eſſe à Gale. traditum, venam in ſimo iecoris tumore affectã duplici morbo laborare: quia duæ lædantur actiones, & communes omnium venarum, & propria uenæ illius loci. Nam ſi rectè conſideres,morbus in vena concaui triplex eſt, cùm uena illa tribus fungatur actionibus, duabus iam dictis,& alia communiſſima partibus omnibus corporis, nutritiua,ſcilicet: nutritur enim, & ipſa ſanguine, ut cæteræ omnes

partes

partes corporis,quę tres actiones cùm omnes lædantur à tumorē eius præter naturam,tribus morbis tunc laboret,neceſſe eſt.

Ad hanc difficultatem non uideo, quid reſpondere valeamus, niſi dicamus libros de Diff.Morb. ſcriptos eſſe propter Methodũ therapeuticem, & ideo interdum omitti morbos quoſdam non ita certos & euidentes,qui ad ſe non trahant curandi rationem: licèt itaque in uena ſimi triplex reddatur actio morbus tamen ille,quo læditur communiſſima actio nutricandi,non proponitur à Gale. quia cùm morbus hic occurrit,conſideratur tantùm impedimentum diſtributionis, & impedimentum generãdi optimum ſanguinem: & ad hæc impedimenta remouenda adhibentur ei tumori remedia: & ad impedimentorum remotionem remouetur,& noxa nutritionis. Sic in magna inflammatione, dolore maximo vexante partes affectas,ſolet eſſe ſolutio continui de ſententia etiam Auicennæ, non conſiderantur tamẽ in ea,niſi intẽperies cum affluxu,& tumoris magnitudo: hiſque remedia ſolis adhibentur,quibus ſublatis,tollitur etiam ſolutio illa continui. Si uolumus itaque minute omnia concidere, aderunt in venis illis tumore affectis morbi omnes,quos diximus: ſed ſi morbi tantum,qui curationem peculiarem poſtulent, in conſiderationem ueniant,aderunt morbi illi tantum,quos ſcripſit Galen. Vel poſſumus dicere, quòd actio generandi ſanguinis,& nutritoria vna atque eadem ratione à tumore impediuntur, vnde morbus eas lędens vus eſt morbus. Sed & id aſſerendum eſt, non quamlibet actionem læſam morbum ſuum propriũ poſtulare,cùm vnus & idem morbus interdum multas lędat actiones. Præterea nodus alius in explicabilis obiicitur: ait Galen.venam in cauo iecoris tumore affectam duobus laborare morbis; quia duæ lædũtur actiones,altera diſtribuendi, altera generandi ſanguinem: quæro,nunquid morbi illi ſint venę,an iecoris: ſi uenæ dixeris, ſequetur, uenas uim habere generandi ſanguinem, quod eſt contra Galen.6.de Plac.Hippoc. Plat.cap.8. ſi iecoris, repugnat regulæ Galeni traditæ in lib.de Diff. Morb.cap. 6. & à nobis in princ. horum morborum propoſitæ: atque ea eſt, cùm affectus partis alicuius vſum præbentis uitiat actionem inſtrumenti, non illata noxa parti præcipuæ inſtrumenti,à qua actio illa emanat, tunc affectus ille eſt morbus: ſed ſi afferat noxam aliquam parti præcipuæ,non morbus eſt,ſed cauſa morbi. Perpendamus nunc quomodo

modo hoc ſe habeat in propoſita difficultate: vena in cauo iecoris eſt pars vſum præbens iecori: ſubſtantia iecoris eſt pars eius præcipua, à qua prodit actio gignundi ſanguinis: ſi tumor itaque venæ lædit generationem ſanguinis, non illata noxa ſubſtantiæ iecoris, morbus ille venæ eſt neceſſario: ſed vidimus hoc eſſe falſum, quia generatio ſanguinis eius non eſt actio; ſi verò noxam afferat ſubſtantiæ iecoris, & ideo generationem ſanguinis laudabili impediat, tumor ille morbus eſſe non poteſt, ſed cauſa morbi erit contra id, quod hoc in loco pronunciatum eſt. Quod ſi cauſa morbi erit, inueniendus erit morbus, cuius eſt cauſa.

Ad hæc dicendum eſt, venam illam etiam vim habere gignendii ſanguinem, ſi non ex ſe, ſaltim à iecore id ſortitam: & ideo tumorem illam propriam lædere eius actionem, nam ſi venæ meſaraicæ vim habent mutandi chylum in ſanguinem ſumptum à iecore, vt aſſerit Gale. 4. de Vſu par. cap. 12. & 2. de Plac. c. 8. quanto magis venas diſtributas in iecoris ſubſtantia hac vi donatas eſſe, veriſimile eſt? neque hoc repugnat Gale. aſſerenti in Ar. Med. cap. 95. iecur venis facultatem largiri: quod ſi facultatem largitur venis ad inteſtina pertinentibus, quanto magis largietur ijs, quæ in eius ſubſtantia ſunt diſſeminatę, cùm pręſertim tunicas habeãt tenuiſſimas eodemmet authore 4. de Vſu part. c. 13.? licèt itaque neget tunicas venarum ſui natura gignere ſanguinem, non negat tamen, hanc uim eas adipiſci à iecore. Ex hoc aliud oritur dubium: aſſerit hic Galen. obſtructionem eſſe uenæ morbum. 2. tamen Method. cap. 6. aſſerit obſtructionem eſſe morbum totius iecoris, ceu inſtrumenti, nulla parte ſimilari ægrotantæ, ſed ſi uenæ illæ laborent intemperie, morbus erit uenarum per ſe, ex accidẽti iocinoris. Sanè nodus hic priore difficilior: poſſumus tamen dicere nullam eſſe inter duos hoſce locos repugnantiam: & poſſe obſtructionem illam dici morbo tàm venæ, quàm uiſceris totius, ſi uena capiatur tanquam pars inſtrumentaria, non ſimilaris, & capiatur etiam tanquam pars iecoris, qua ipſum vtitur ad emittendum, & diſtribuendum ſanguinem: unde & in eo loco de Differ. Morb. uocat eam obſtructionem uiſceribus morbũ, ſicuti in loco Methodi: verba eius ſunt hæc. Si uerò nihil ipſa patiente uena, „
lenti tantũmodo, & craſſi humores impacti meatibus diſtributionẽ impedierint, vna tantũ erit viſceris ægritudo, puta obſtructio. „
En quomodo nominatim morbum hunc uiſceris eſſe pronũciat,

atque

atque id fortaſſe ea de cauſa, quòd cùm ſanguinis diſpenſatio ſit propria hepatis actio,licèt per venas, præcipua læſio diſtributionis huius videtur ad iecur pertinere. Atque hinc præcedens etiã obiectio concidet: ſi dicamus, tumorem illum eſſe morbum iecoris duplicem:nam quatenus eſt temperies cum affluxu ſubſtãtiæ,lædit ſanguificationem: quatenus obſtruit venas, lædit ſanguinis diſtributionem,quæ ambæ ſunt iecoris actiones.

Occurrit alia leuior dubitatio,Galen. ait refrigerationem cauſam eſſe difficilis ſenſationis, ſed refrigeratio eſt morbus ex intemperie: cur igitur de hoc inter morbos inſtrumentales? Reſpondeo,tradidiſſe ibi regulam Galenum,actionem læſam ſemper eſſe ſymptoma: eius verò cauſam morbum,idque demonſtraſſe exemplo morbi inſtrumentalis:ſed quia regula erat vniuerſalis,ne quis putaret,eam ad ſolos pertinere inſtrumentales,attulit exemplum morbi etiam ex intemperie ad ſimilares pertinentis. Obijciat aliquis in his morbis,quòd morbi non ſint: cùm enim ſtatutum iam ſit,morbum eſſe diſpoſitionem, & viderimus diſpoſitionem eſſe ordinem particularum poſitionem habentium, quis aſſerat cauitates particulas habere,cùm nihil ſint? Quod ſi particulas nõ habent,multo minus poſitionem habent. Ad hoc dico, cauitates etiam habere partes, quæ ſuas habent dimenſiones: vnde & putei,& foueæ quæcunque partes habent, licèt cauitates ſint. Prꝫterea non ſola cauitas conſideratur,ſed vas totum, cuius partes proculdubio poſitionem loci habent. Dices ad hoc, vas non concurrere ad morbi conſtitutionem: non enim in vaſe, ſed in meatu morbus eſt,quem cùm humores craſſi obſtruant, occluditur quidem meatus: vas verò nullo pacto afficitur. Licèt hæc dubitatio logica ſit,vt habetur à Gale. 1.de Loc.Aff. dico cauitatem eſſe partem vaſis: vnde vas conſtat ex propria ſubſtantia, & cauitate. Et ſicuti propria ſubſtantia aliquid agit, ita a cauitate etiam ſuum habet officium: venarum officium eſt ſanguinem per meatum ſuum diſtribuere:cùm diſtribuere haud valent,nonne eſt hæc noxa venarum,licèt in meatu ſolo ſit impedimentum? Earum autem noxa hæc eſt nõ tanquam ſimilarium,ſed tanquam inſtrumentalium. Quidquid ſit,cùm meatus etiam ipſe ſuas habeat partes, in eo poteſt eſſe diſpoſitio. Oritur hic etiam magna controuerſia inter recentiores,Fuchſium præſertim, & Valeriolam: Galen. enim ait. Quando diſpoſitio præter naturam

primo

primo actionem lædit, & diſpoſitionis cauſa actionem non lædit, diſpoſitionem ipſam morbum eſſe, quod verò diſpoſitionem efficit, cauſam morbi: quemadmodum ſe habet in humoribus lentis, & obſtructione: ipſa enim obſtructio morbus eſt, humores verò cauſa morbi: quem locum Fuchſius exponens duobus modis conſiderat humores lentos: altero eos, qui fluxerunt iam, & in venæ meatu ſunt impacti: altero eos, qui influunt: priores ait eſſe obſtructionem, & morbum ipſum: alteros cauſam morbi: atque id probat tum ex iis quæ paulo ante dixerat Gale. tum ex iis, quæ ſcribit 11. Method. cap. 10. Prioris loci verba hæc ſunt. „Si verò nihil ipſa patiente vena, lenti tantummodo, ac craſſi humores impacti meatibus diſtributionem impedierint, vna tantum erit viſceris ægritudo, puta obſtructio. E quibus verbis perſpicuum ſit, inquit Fuchſius: obſtructionem non eſſe hoc loco, niſi humores, lentos, & craſſos meatibus venæ impactos: diſerte enim dicit Galenus hos impedire diſtributionem in corpus: ſi impediunt diſtributionem, quæ eſt actio, igitur morbus ſint, oportet: non verò alius, quàm obſtructio, aliàs nanque non vnus tantum iecoris, morbus, quod tamen hic conſtanter affirmat Gale. ſed duo morbi eſſent, nempe impacti humores & obſtructio. Sed dices, ſi impacti humores ſunt morbus, quæ igitur obſtructionis cauſa erit? Reſpondeo itidem humores lenti & craſſi, non tamē qui iam impacti ſunt venis, ſed qui adhuc affluunt. Alterius loci verba ſunt hæc. Obſtructionis quod iam occupauit, ſanandū eſt: quod futurum eſt, propulſandum. At curabitur, quod factum eſt, per ea, quæ obſtructa liberant: propulſabitur quod futurum eſt, ſi affluxum obſtruentium humorum compeſcas. Ex his verbis inquit Fuchſius, Sole meridiano clarius eſt, humores obſtruentes, ideſt craſſos, & lentos affluentes obſtructionis eſſe cauſas. Quippe curatio morbo: propulſatio cauſę debetur authore Gale. 4. Metho. cap. 3. Conſtat ex his humores craſſos & lentos meatibus impactos eſſe morbum, & obſtructionem ipſam: affluentes verò obſtructionis cauſam. Valeriola verò, & Eraſtus eius argumenta ſumpta præſertim ex 11. Metho. leuiter diluunt: nam Valeriola reſpondens obiectis in eum allatis in comment. de Cau. Morbor. negat Galenum in loco à Fuchſio ibi citato obſtruentes humores obſtructionis nomine dignari. Qua in re valde miror tantam fuiſſe in Valeriola ſtupiditatem, ac negligentiam, ut in quæſtione

tam celebri, & nobili: in altercatione cum viro tantæ authoritatis, quantæ tunc erat Fuchſius, ſi non alios ſcriptores, ſaltim eum ipſum, qui cùm decertabat, totum, vbi de cauſa continente agit, perluſtrarit, & ſingula eius verba perpēderit: ſi enim hoc feciſſet, vidiſſet, quomodo Fuchſius deducat ex eo loco Galeni humores obſtruentes eſſe morbum, licet Galen. nominatim id non ſcribat.

Eraſtus verò non leuiter tantùm, ſed ridicule diluit id argumentum, cùm afferat, Fuchſij argumentum conſtare ex duabus affirmatiuis in ſecunda figura, hoc pacto: obſtructio eſt extergenda, humor eſt extergendus, igitur humor eſt id quod actionem lædit, ſiue ipſamet obſtructio. Sed hæc vana ſunt, & argumentū Fuchſij remanet inconcuſſum, quod quidem deducendum eſt ſic. Curatio à morbo liberat: præſeruatio à cauſa: euacuatio humorum obſtruentium iam, eſt curatio: influentium verò ad obſtruēdum, præſeruatio: ergo euacuatio humorum obſtruentium à morbo liberat, influentium à cauſa: maior veriſſima eſt, & apud Galen. paſsim explicata: minor colligitur ex illo 11. Meth. c. 10. Quare rectiſsime concluditur in prima figura humores obſtruentes eſſe morbum: influentes cauſam morbi. Verùm omiſsà diſputatione logica, ſi verba Galeni conſideres, pro Fuchſio faciūt apertiſſime: cùm enim ibi Galenus conſiderat multos affectus præter naturam, qui in vnum conueniunt in febre putrida, vt eos propellat, iubet eos, qui iam facti ſunt, eſſe ſummouendos: eos, qui futuri ſunt, inhibendos: & ideo obſtructionem factam curandam eſſe: futuram propulſandam: quo loco quis non videat eum obſtructionem à cauſa diſtinguere? & obſtructionem factā eſſe ipſummet morbum actu vexantem ſine cauſa, obſtructionem verò futuram eſſe morbum ipſum poteſtate, vel à cauſa pendentem, immo verò cauſam ipſam. Hinc ſequitur curationem, vel remotionem, vel propulſationem obſtructionis factæ eſſe morbi ipſius depulſionem: futuræ verò obſtructionis remotionem, propulſationem, vel curationem etiam, ne vim aliquam in nominibus ponam, cauſæ eſſe inhibitionem. His conſtitutis, conſideremus, quomodo curetur obſtructio facta, & obſtructio futura: & vera concluſio quæſiti apparebit. Galenus itaque eo loco, & cap. 13. fuſius & apertius: & lib. etiam 8. eiuſdem Meth. ca. 4. obſtructionem factam ecphraxi curandam eſſe: ait futuram euacuatione, attenuatione, deterſione: quomodo fiat ecphraxis, docet

locis

locis citatis: & 5. de Simpl. Med. cap. 15. Hæc autem nihil aliud eſt, quàm deterſio, quæ humores impactos, & obſtruentes ſe mouet: ſunt itaque humores impacti de morbi, & obſtructionis eſſentia: qui verò in fluxu ſunt, cauſa ſunt. Quare Fuchſii ſententia vera eſt, aduerſariorum falſa: nec eorum argumenta, quæ adduximus lib. 2. ca. 35. vllius ſunt nocumenti: cùm enim arguunt. Humores impacti obſtructionem faciunt, ergo non ſunt obſtructio: etiam ſi conceſſero humores iſtos non eſſe obſtructionem ipſam, cùm alia etiam concurrant ad eam conſtituendam: aſſerã tamen, eos eſſe partem obſtructionis, & de eſſentia obſtructionis. Nec fieri hic puto vllam metamorphoſin naturæ repugnantem, vt arguit Eraſtus; mirum enim non eſt, ſi multitudo humorum craſſorum & lentorum, quæ dum fluit, cauſa eſt materialis obſtructionis, vbi iam fluxit, fiat de obſtructionis eſſentia; ſicuti etiam lapides, & cemẽta præparata pro ſtruendo pariete ſunt cauſa materialis; extructo verò pariete de eſſentia parietis. Sed inſtabit iterum, humores iſtos influentes cauſam antecedentem uocari à Gale. cauſa autem antecedens efficiens eſt, erit igitur metamorphoſis abſurda, ſi efficiens fiat effectum. Reſpondeo, ut demonſtratum eſt in deſperatione de humoribus tumorum, humores hoſce naturam obtinere cauſæ materialis, non efficientis: non enim ex ſe mouentur ad conſtruendam obſtructionem, cauſa uerò efficiens multiplex eſt: nam omnia, quæ gignũt, quæque augent multitudinem, quæ incraſſant humores, & lentos reddunt: quæ propellunt eos ad locum obſtruendum: quæ attrahunt, aut retinent, cauſæ ſunt efficientes obſtructionis, aliȩ propinquiores, remotiores aliæ. Quamuis igitur humores influentes cauſa antecedens ſint, materialis tamen cauſa ſunt. Sed obiiciat quiſpiam, ſi humores hi eſſent de morbi eſſentia, morbus eſſet ſubſtãtia. Reſpondeo, idem incommodum vrgere eos, qui humores hos cauſam eſſe uolunt, cùm ipſa etiam uere qualitas ſit, ut uiſum eſt primo libro. Fuchſius hæc non haberet pro abſurdis, ſed cùm eius opinio eo in libro reiecta ſit, dicendum eſt ad obiectionem hãc, non humores ipſos eſſe, aut morbum, aut cauſam morbi, ſed malam eorum diſpoſitionem: mala autem hæc diſpoſitio eſt eorum multitudo, craſſities, & lentor, ut plane indicat Galenus illo 11. Meth. ca. 13. iam citato & diſcuſſo. Hoc uerum eſſe inde patet, deme his multitudinem, deme craſſitiem, deme lentorem,

ſtatim ceſſabit morbus, ſi erunt de eſſentia morbi: ſtatim itidem ceſſabit cauſa, ſi erunt cauſa. Verùm hæc diluimus etiam, quando egimus de humoribus tumorum, & in explicanda definitione morbi:attingemus etiã aliquid in morbis numeri, & latius in tractatione cauſarum,vbi omnia erunt colligenda,quę in his morbis ſcrupulos iniiciunt. Argenterius in lib.de Morb. gen. cap.8. in his meatuum morbis commendat Galenum, nec ab eo recedit: vocat tamen morbos iſtos in cauitate & ſoliditate: quia non minus laborant partes cauæ,ſi cauitas noxam ſubeat,quàm ſolidæ,ſi excauentur: atque hoc etiam Galeno aſcribit: vnde & Fuchſius 3.Inſtit.ſect. 1.c.5. cùm de conformatione loqueretur. Tria, inquit, hac voce ſignificantur, figura, cauitas & ſoliditas, aſperitas & læuitas. Ego ſanè nuſquam inuenio hanc ſoliditatem à Gale. apponi: & fruſtra,atque inutiliter apponi cenſeo: cùm ſub cauitatis vitio omnia comprehendantur: nam ſi conſideratur exceſſus,& defectus meatuum in magnitudine,& multitudine,quando parti ſolidæ cauitas præter naturam eueniet, nonne dicemus auctum eſſe numerum cauitatum: & morbum illum eſſe in exceſſu multitudinis? Præterea ſi partes ſolidæ excauētur, erit id ex alio genere morborum:aut enim ſoluta vnio:aut ſoluta vnio,& imminuta quantitas, veluti in vlcere cauo: reiicienda eſt igitur ſoliditas. Poſt regulas iſtas tranſit Gale.ad morbos leuitatis, & aſperitatis: quibus expoſitis iterum regulam tradit pertinentem ad morbos figuræ, & cauitatum:quare & hanc videamus in præſentia. Regula eſt hæc. Figuram vitiatam alicuius partis interdum ſecum vitiare partis eius meatum, ueluti ſi naſus ictu aliquo intro pellatur,ut ſimus fiat, & meatus ita anguſtus reddatur,ut aut nulla per nares fieri poſſit reſpiratio,aut exigua,& difficilis: morbus tunc erit meatus anguſtia, quia lædit actionem reſpirandi: cauſa verò antecedens huius morbi erit naſi ſimitas: atq; hic eſt locus ille, quem citat in Art.Med.ca.95. cùm inter cæteras morborum in meatibus cauſas uitiatas figuras ait ſe retuliſſe in lib. de Diff.Morb. Et eſt locus diligentiſſime annotandus ab authoribus cauſæ continentis: nam ſi qua uſpiam eſt cauſa continens,ſimitas hæc ea eſt: nam cùm ea ponitur, & demitur obſtructio cauſam tamen antecedentem Galen. uocat, non continentem: & fortaſſe qui de hac cauſa diſputant, quid apud Galen. ſit, nondum nouerunt: nam Galen. 2.de Nat.Hum.comment. 1.cauſam continen-

tem ſtatuit eſſe, quæ primò lædit actionem: cùm enim neget repletionem eſſe cauſam morborum continentem, quia non lædat primò actiones: innuit apertiſſime ad cauſam continentem pertinere primò actiones lædere. Poteſt hoc confirmari ex ijs quæ cauſam continentem habent citra vllam controuerſiam, veluti pulſus: nam facultas, vſus, & inſtrumentum ſunt tres cauſæ cõtinentes pulſuum, quia primo edunt actionem eam pulſus, alterant, immutant, deprauant, & in ſtatum ſuum naturalem redigũt. Sed ſi cauſas iſtas continentes pulſuum recte conſideres, in ſtatu naturali ſanitas ſunt, in præternaturali morbus: quare morbi ipſi cauſæ ſunt continentes læſarum actionum, quia primo eas lædunt, ipſi vero cauſas non habent continentes, cùm ſint res factæ, quæ à cauſis ſuis ſeparari poſſunt: & certe verba loci citati excludunt cauſas continentes, cùm cauſa nulla primo lædat actiones, ſed morbi interuentu: atque id ſemper obſeruandum, læſionem actionum primo ſemper à morbo prouenire, vnde cùm dubium exoritur de aliquo affectu præter naturam morbus ne ſit, an cauſa, ea nota, quæ à læſa actione ſumitur, id indicabit, vt hoc in loco. Sed pertinent hæc ad tractatum de cauſis: cogit tamen nos hic locus, & alij in morbis magnitudinis, & numeri, has difficultates attingere.

De morbis leuitatis, & aſperitatis. Cap. VII.

QVANDO partes, quas leues eſſe oportebat, exaſperantur: & quæ aſperæ ſuapte natura ſunt, leuigantur, ita vt actiones noxam ſubeant, duplex morborum genus exoritur, quorum alterum leuitas, alterum aſperitas dicitur, cognitu utrunque facile, cùm ſuperficiem partium occupet, vnde & Auicennas morbos hoſce ſuperficiei morbos appellauit. Hi cuiuſmodi ſint morbi, facile intelligetur, ſi quid leue & aſperum ſit, nutum erit. Id declarat Ariſtot. in prædicamento qualitatis, cùm aſperum dicat, in quo partes ſitum occupant inæqualem, vt aliæ emineant, aliæ depreſſæ ſint, qualis eorum eſt cutis, qui horrore corripiuntur, aut vrticis punguntur: lene, in quo partes æquabiles, inter ſe ſunt, & nulla eminet, nulla ſubſidet. Ac neceſſario partes à natura aliæ leues, aliæ aſperæ conditæ ſunt propter earum actiones. Quod ſi

earum ſtatus immutetur, actiones etiam vitiabuntur. Non longe abieris: ſuperficies aſperæ arteriæ lenis eſt, ſi exaſperetur, ſtatim vox rauca redditur. Oculi pupilla lenis eſt, polita, & terſa, ſi exaſperetur, viſio lædetur, dolor excitabitur, & alia incommoda multa ſubſequentur. Contra, ventriculus atque inteſtina aſperitatem aliquam obtinent, qua commodius alimentum retinent: hæc ſi complanentur, continere non poterunt, & lienteriam incurrent à morbo nomen ſortitam. Vteri quoque ſuperficies aſperitate donata eſt, vt genituram queat continere, quòd ſi leuigetur, aut ſtatim genitura effluet, vnde ſterilis mulier erit: aut ſi aliquãdiu contineat, non id tamen ad conſtitutum vſque terminum efficiet, ſed fœtum deijciet. In oſſibus potimùm ſolent hi morbi excitari, ſicuti in eorum ſphacelo patet, ac in ſquammarum abiectione. Ac quàm neceſſaria ſit aſperitas, demonſtrat Gale. 11. de Vſu part. c. 8. ex dentium maxillarum vſu: habito enim ſermone
» de inciſoriis, & caninis. Hos, inquit, maxillares ſequuntur
» aſperi, lati, duri, ac magni, qui inciſa ab inciſoriis, aut fracta à
» caninis leuigare planè, ac terere queant, quorum ſi vnum quoduis
» mente immutaris, vtilitatem repente cernes labefactatam. Quan-
» doquidem ſi leues omnino fuiſſent, haud quaquam munus ſuum
» obire commode poſſent: nam omnia ab inæqualibus, & aſperis
» comminuuntur commodius. Ob ipſum certe, & molas, in qui-
» bus triticum molunt, cùm tandem contritæ ac leuigatæ fuerint,
rurſus excindunt, atque exaſperant. Ex his patere poteſt, morbos iſtos non eſſe contemnendos, cum præſertim Hipp. 6. Epide.
» ſec. 2. Aph. 4. ſcopos curandi deſcribens ſic præcipiat. Leuigare,
» exaſperare. In cuius loci expoſitione Gal. profert exempla multa horum morborum in cuti ipſa vt ſub cõſpectum veniant: vnde ſcabiem, lepram, & exanthemata omnia cutis aſperitates, alopeciam, ophiaſim, & tandem quodcunque pilorum defluuium eiuſdem leuitates eſſe conſtituit. Hæc de his morbis.

Dubia. *Cap. VIII.*

VERVM & in his ingẽs ſeſe oggerit difficultas: videtur namque, non eſſe eos collocandos inter morbos inſtrumentales, ſed inter ſimilares: cùm enim authore Ariſt. 2. de Gen. & Corr. ſecundę ſint qualitates, ex primis oriantur, neceſſe eſt: & ideo earum morbi ſub morbis ex

intempe-

intemperie ſunt reponendi, vt uidimus ante in explodendis morbis materiæ,qui cùm eſſent ſecundæ qualitates, oriebantur à primis neceſſario. Confirmatur hoc ex Gale. ſcribente in Ar.Med. cap.68.lenitatem arteriæ ſequi moderatam temperaturam: aſperitatem verò ſiccam:quippe cùm & 5. de Simpl.Med.ca.1.facultatem exaſperandi,& leuigandi à primis qualitatibus prodire dicat. Reſpondet doctiſſimus Leonicenus duas ex Gale. 1. de Facult.nat.c.5.facultates corpus noſtrum conſtruere, alteratricem, & conformatricem : ab illa temperaturam partibus exhiberi : ab hac conformationem : at cùm ſub conformatione contineatur aſperitas, & leuitas : non debent ad alterationem referri.

Confirmantur hęc ex Auicen.qui in ca.de Virtutibus loquens de hac facultate ait,eam præcepto ſui creatoris dare figurationem membris,concauitates,foramina,leuitatem,& aſperitatem.

Confirmatur hæc ſolutio ex verbis Gale.in horum morborum deſcriptione,quibus ait. Neq; verò natura cùm partes formaret, eas fruſtra, uel leuigauit, uel exaſperauit: cùm enim ait [natura formauit] facultatem conformatricem, non alteratricem ſignificauit. Verùm hæc ſolutio difficultatem non ſummouet: nam ſi uera ſit, relinquet Ariſtotelem taxatione dignum, qui ſecundas has eſſe qualitates pronunciet, atq; ex primis oriri: & Galenum, qui in hoc Ariſtotelem ſectatus eſt, ut patet ex locis adductis:nec locus ille Galeni pro eo eſt, nam figuram quidem & cauitates à vi formatrice conſtitui ait, ſed de leuitate, atque aſperitate ne verbum quidem:immo uero in cap.6.ſtatim ſubſequente apertiſſime pronunciat aſperitatem ac leuitatem, non ſecus, ac duritiem, & mollitiem, reliquaſque tangibiles qualitates quatuor primarum temperaturam ſequi.Quare dicendum eſt,partes omnes ſimilares conſtitui, & generari à facultate alteratrice, vnde per hanc neruus fit neruus, ſic os, ſic cartilago, ſic membrana, & reliquæ,& in hac generatione prodite partes alias cum ſuperficie leni, alias cum aſpera, quo fit, vt hæ ſequantur temperaturam : vnde uidetur eſſe dicendum hos non eſſe morbos, ſed potius ſymptomata quædam, vt ſtatuimus de reliquis tactilibus qualitatibus contra Fernelium.Dicendum tamen eſt, cùm hæ qualitates primo actiones impediant, morbos eſſe inſtrumentales. Nec uerum eſt, eas ſemper prodire à temperie primarum qualitatum. Nam in compoſitione inſtrumentalium, quæ ex pluribus fit ſimilaribus ex di-

ũerſitate partium varijs modis collocatarum oritur interdum leuitas, interdum aſperitas, atque hę quidem emanant à formatrice facultate, ut ſenſit Leonicenus. Non longe abieris, aſperitas in interna facie uteri prouenit ex multis oſculis uenarum, quæ cotyledones vocantur: at hæ ita conſtitutæ fuere à formatrice facultate: neque in vna parte inſtrumentali id tantùm locum habet, ſed in ordine & ſitu multarum ſeſe conſequentium, veluti in ordine dentium, vt patet ex 11. de Vſu par. ante citato. Præterea excitantur in corpore aſperitates & leuitates non ab intemperie tantum, ſed ab alijs etiam cauſis, vnde medici authore Gale. in expoſitione loci Hippocr. ante citati non medicamentis tantum erodentibus aſperitates faciunt, & leuores, ſed ſcalpellis alijsque inſtrumentis, immo verò & vnguibus. Atque etiam ſi morbus hic ſit ex intemperie ortus, morbus tamen etiam inſtrumentalis dicitur: ſcabies enim, lepra, exanthemata ſunt morbi ex intemperie cum affluxu: quatenus verò ſcabram reddunt totam cutim, ſunt morbi ſuperficiei. Rectè igitur aſperitas, & leuitas ponitur inter inſtrumentario morbos. Aliam etiam cauſam afferemus in fine morbnrum inſtrumentalium. Quòd morbi hi ſint diſpoſitiones apertius eſt, quàm in reliquis, cùm in eis eluceat ordo partium poſitionem habentium: immo vero nihil aliud ſint, quàm partium poſitio.

De morbis numeri. Cap. IX.

CVM certus quidam numerus partium ſimilarium ad inſtrumenta fabricanda concurrat, ſi quis in hoc numero contingat error, inſtrumentum illud vitio non caret: nec ſimilarium tantum certus numerus in condendis inſtrumentis eſt neceſſarius, ſed minorum etiam inſtrumentorum in condendis maioribus inſtrumentis: ſic ex tribus internodijs conſtat digitus: ſic ex quinque digitis manus. Ac licet Galen. mentionem faciat ſimplicium tantum, non repugnat ſententiæ noſtræ, quia minus compoſitæ partes ſimplices videntur eſſe in comparatione magis compoſitarum. Hoc confirmat exemplum digitorum allatum à Gale. qui reuera ſimplices non ſunt, ſed cum manu collati, ad cuius ſtructuram concurrunt cum alijs partibus, pro ſimplicibus habentur.

habentur. Cum itaque error exoritur in numero partium componentium, ſiue vere ſimplices ſint, ſiue & ipſæ compoſitæ, morbus numeri tunc exoritur: qui cum multifariam excitetur, ideo pluribus tractatur à Gale. in cap. 8. de Morbor. Diff. Ac cùm hic morbus tam ex redundantia, quàm ex defectu partium oriatur: agemus primò vna cum Gale. de uitio in redundantia, deinde in defectu, tùm verò regulas quaſdam diſcutiemus, poſtremo difficultates enodabimus. Quod redundat, duplex eſt, alterum ex eorum genere, quæ ſunt ſecundum naturam: alterum toto genere præter naturam: ſecundùm naturam ſunt ſextus digitus, vnguis in oculo, germen carnis in naſo, vel aliud huiuſmodi aliquid in alio aliquo meatu: nam ſicuti in naſo euenit polypus, qui germen carnis eſt, ita etiam in aliis meatibus poteſt caro excreſcere, vel aliquid aliud huiuſmodi: quare quærendum eſſet, an aliquid aliud, quam caro poſſit excreſcere, quod ſecundùm naturam ſit, ſed tamen redundet: & quærendum etiam, an in alijs partibus, quàm in meatibus, id poſſit euenire. Certe in vulneribus, & vlceribus ſæpe ſolet caro excreſcere: & in vulneribus cerebri ſolet interdum adeo cerebri ſubſtantia increſcere, ut fungus eſſe uideatur authore Gale. 1. de Loc. Aff. cap. 1. callus etiam, qui in fracturis oſſium excitatur, de hoc genere poteſt eſſe, ſi iuſto ſit maior: vnde in alijs etiam partibus, quàm in meatibus poteſt redundantia hæc apparere: & propterea mihi magis probatur lectio codicis mei manuſcripti, quam impreſſi: vbi enim impreſſus habet ἄλλον τινὰ πόρον, manuſcriptus habet ἄλλό τι μόριον.

Toto genere præter naturam ſunt lumbrici, aſcarideſque, calculus in veſica, grando in oculo, ſuffuſio, pus, acrochordones, meliceride, atheromata, ſteotomata, alphi, lepræ, leucę etiam in impreſſo, non ſunt tamen in manuſcripto, & calli, & omnia, quæ reperiuntur in abſceſſibus. Quæ ſunt primi generis, ſecundũ naturã dicuntur, quia ſimilia ſunt rebus naturalibus: ſextus nanque digitus ſimilis eſt cæteris digitis, & quia ex vtili materia conſtant, in qua nullum eſt aliud vitium, quàm redundantia nimia: reliqua toto genere ſunt præter naturam, quia ex inutili conſtant materia nec ſimilitudinem cum rebus naturalibus habent callum poſuit Galen. inter ea quæ toto genere ſunt præter naturam: nos in ijs, quę ſecundum naturam: at ille intelligit de callis, genitis ex inutili materia, quales fieri ſolent in vrinæ meatibus: nos de ijs, quæ ex

vtili,

vtili, atque à natura elaborata : vnde cum oſſibus ſimilitudinem habent. Hæ res redundantes,ſiue ſint naturalibus ſimiles, ſiue à toto genere præter naturam,interdum ſunt morbi, interdum cauſæ morbi: morbi, quando actionem primo, & per ſe impediunt: cauſæ morbi, quando interuentu alterius diſpoſitionis: & ideo vnguis in primo genere, & ſuffuſio in ſecundo morbi ſunt, quia primo, & per ſe lędunt viſionem. Cauſa morborum ſunt germina, quæ meatus obſtruunt,cùm obſtructio ipſa ſit morbus, propterea,quia primò lædit actionem. In altero genere non appoſuit exemplum Galen.rerum redundantium,quæ ſint cauſa morbi,ſed facile poteſt inueniri: ſi enim carnis germen cauſa eſt morbi,quia obſtruit, & obſtructio actionem impedit: idem in rebus toto genere præter naturam eueniat, neceſſe eſt: vnde calculus vrinæ canali impactus cauſa morbi dici debebit, quia obſtructionem facit,& obſtructio vrinæ ſuppreſſionem. Hæc de numero redundante. At deficiens eſt, quando vel pars aliqua tota funditus perijt,aut aliqua ex parte diſſecta eſt, uel mutilata: non habet in his locum diſtinctio tradita in redundantia: nam, quæ redundant, aut ſunt ſecundùm naturam,aut toto genere præter naturam: quæ deficiunt ſecundùm naturam ſunt omnia: in his verò hanc tradit diſtinctionem,quod tam in utero cõtrahi poſſunt, quàm in lucem editis euenire: mancus mancum generat, inquit, Hippoc. & ideo mancus ab vtero ſæpe egreditur: alii naſcuntur cum quatuor tantum digitis,aliqui ſine altero oculo, atque hæc apparent quotidie: editis in lucem hæc euenire: tam notum eſt, vt nihil ſit notius: integra oſſa eximuntur ſæpe a digitis, cruribus, brachijs, hæc enim κῶλα intelligi puto à Gale. ſæpe etiam à capite, & à coſtis,aufertur interdum digitus integer, pes, manus,tibia, & cubitus, eximuntur venę varicoſæ, glandulæ induratę in ſtrumis,& dentes perforati, vel eroſi potius, nam quod in impreſſo legitur τρηθέντες, in manuſcripto habetur βρωθέντες: aufertur,& gurgulio,omentum,præputium,& ipſius pudẽdi pars, totumque interdum pudendum,& teſtes etiam. Huiuſmodi ſunt mutilationes labrorũ, naſi,& aurium, & quæcunque aliæ carnoſæ partes, vel vehementer auulſæ, vel putrefactæ prorſus excinduntur. Atque hæc quidem omnia ferè à medicis adminſtrantur in curationibus,vt omittamus calamitates huiuſmodi, quę in prælijs, duellis, & contentionibus ſolent euenire. In morbis

etiam peſtilentibus ſæpiſſime apparent, vt patet apud Hippoc.in conſtitutione peſtilenti deſcripta 3.Epid.ſec.3. & apud Thucididem in peſtilentia Attica,de qua Lucretius etiam ſic cecinit.

In neruos huic morbus,& artus "
Ibat,& in partes genitales corporis ipſas. "
Et grauiter partim mentes limina leti "
Viuebant ferro priuati parte virili, "
Et manibus ſine nonnulli,pedibusq; manebant.&c. "

In omnibus huiuſmodi calamitatibus apparet, defectum numeri in ſolis rebus naturalibus verſari: vnde videtur erraſſe Aui. tradens in defectu diſtinctionem traditam in redundantia, cùm ait. Numeri quoque ægritudines,aut ſunt ex genere augmenti, "
& hoc quidem augmentum, aut eſt naturale,ſicuti dens additus, "
aut digitus additus, aut eſt non naturale, ſicuti glandula, aut lapis: "
aut ex genere diminutionis, & diminutio hæc eſt natura- "
lis,ſicuti cùm alicui non creatur digitus,aut non naturalis, ſicuti "
cùm alicui abſcinditur digitus. Hæc Auic.qui in re non errauit, "
in verbis tantum errorem commiſit, qui facile deprehenditur ex exemplis: capit itaque naturale, & non naturale in numeri redundantia,vt capit Galen.pro eo,quod eſt ſecundùm naturam,& quod eſt toto genere præter naturam. Sed in defectu capit naturale pro eo,quod eſt à prima origine: non naturale pro eo, quod eſt poſt ortum: quare non errat,immo ſequitur & hic Galeni diſtinctionem. Diſtinctio hęc in defectu tradita locum habet etiam in redundantia, ſed non in omnibus. Sextus enim digitus, & tertius teſtis in prima tantummodo generatione producuntur: editis in lucem non item: vnguis verò in oculo tam nondum natis, quàm poſtea poteſt excitari. Ex ijs etiam, quæ pręter naturam ſunt, quædam poſſunt in vtero contrahi, ſed raro: & propterea protulit hanc regulam in defectu tantùm, quia hic ex æquo prouenire poteſt à primo ortu, & poſtea in toto vitæ curriculo.

Vnus,

Vnus, atque idem affectus morbus eſſe poteſt, & cauſa morbi: poteſt & duo rum moborum, duarumq; cauſarum rationem ſubire. Cap. X.

EXPLICAT deinde regulas quoſdam in morbis ex numeri defectu valde vtiles ad multas enodandas difficultates, quæ in hac morborum & cauſarum diſtinctione ſolent occurrere. Admonet itaque ſicuti in redundante numero admonuit, ſi defectus hic actionem quampiam ſui ratione (nam hic κατὰ τὸν ἑαυτȣ͂ λόγον ait, quod alibi πρώτως) vitiet, morbum eſſe: ſi uerò non ſui ratione actionem vitiet, ſed lęſa parte effectrice eius actionis, vel eam refrigerando vel nutrimentum parce nimis diſtribuendo, cauſa erit morbi. Præterea defectus alij ſunt, qui morbi ſimul, & cauſæ locum ſubeant. Exemplum vltimi affectus apponit Gale. & rationem etiam, ex quibus facile erit primorum quoque exempla promere. Exemplum autem vt percipiatur, ſciendum eſt, gurgulionem partem eſſe palati, & authorem vocis efformandæ vnà cum alijs: hic præterea vſum non exiguum pulmonibus præſtat, ne magna copia aeris repente, & confertim in eos irruat. Si amputetur itaque gurgulio, eius defectus uocem lædit, & ideo morbus eſt: permittit præterea aerem multum, & confertim in pulmones irrumpere, quo fit, vt plus nimio refrigerentur: atq; hinc exoritur ſpirandi difficultas: vnde frigida pulmonis intemperies morbus eſt a quo excitatur hæc difficultas: defectus gurgulionis morbi eius cauſa eſt. Oritur hoc ex regula paſſim tradita à Gale. & potiſſimum in cap. 6. & à nobis in principio morborum inſtrumentalium propoſita: atque hæc eſt. Vnumquodque inſtrumentum conſtat ex multis partibus, quarum vna ſola actionis eſt author: reliquæ vſum præſtant: hæ ſi lædantur, noxa partis præcipuæ, à qua prodit actio morbus eſt, quia ſtatim primo, & per ſe lędit actionem, & iam determinatum eſt ſæpiſſime, quod hoc pacto actionem lædit morbum eſſe: noxa verò partium uſum præbentium cauſa eſt morbi. Cùm itaque gurgulio ſit vna ex partibus præcipuis, quæ uocem efformant, defectus eius morbus eſt, quia ſtatim uocem lædit: cùm pręterea ſit vna ex partibus, quæ uſum præbent inſtrumentis reſpirandi: hac ratione

eius

eius noxa morbi eſt cauſa. Verùm huic regulæ deeſt conditio, quam cap. 6. appoſuit, & eſt hęc. Si noxa partis vſum præbentis lædendo partem actionis authorem actionem vitiet, ſemper eſt cauſa morbi, & Galeni exemplum optime quadrat: defectus enim gurgulionis læſo pulmone vitiat reſpirationem: & conditionem hanc etiam verbis illis expreſſit. Quæ partem aliquam actionis „ opificem, uel refrigerant, uel ei non ſatis alimenti tranſmittunt, „ morborum cauſæ dicendæ ſunt. Neceſſariam eſſe hanc conditio- „ nem, inde patet, quia ſi noxa partis vſum præbentis interciperet actionem partis pręcipuæ, nulla ei illata lęſione, non eſſet cauſa morbi, ſed morbus, quia primo actionem lęderet, quod in morbis ex numeri redundantia ſignificauit Gale. cùm dixit, vnguem & ſuffuſionem in oculo eſſe morbos: vnguis eſt affectus tunicę adnatę, ſuffuſio humoris albuginei: ea tunica, & hic humor ſunt partes vſum prębentes viſioni, nihilominus hi affectus non ſunt cauſę morbi, ſed morbi, quia lędunt primo viſionem nulla illata noxa humori chryſtallino viſionis opifici: nam ſi hunc humorem lęderent, cauſæ eſſent, non morbi. Regula itaque integra, & perfecta ſit hæc. Noxa partis vſum præbentis interdum eſt morbus interdum cauſa morbi: morbus eſt, cùm lædit actionem, nulla illata noxa parti actionis opifici: cauſa, cùm lædendo partem actionis opificem actionem vitiat: & manant hæ regulæ omnes ab illis principijs, quòd morbus primo lædat actiones: cauſæ uerò non primo, ſed ſecundario. Ex his regulis, & principii ſequitur, partes, quæ duarum actionum ſint opifices: aut geminum vſum præſtent: ex vna interdum noxa duplicem obtinere rationem, vel morbi, vel cauſæ: dixi obtinere duplicem rationem morbi, non duos eſſe morbos cum Gale. de induſtria: nam cùm vnus ſit duntaxat affectus, difficile eſt animo concipere, quomodo duo ſint morbi: atque id exemplo redditur planum. Dentes inciſorii uidentur duarum actionum eſſe authores: nam & edulia ſecant, & ad ſermonem formandum concurrunt: ſed ſi eximantur, unicus erit morbus in numeri defectu: obtinebit tamen duorum morborum rationem, quatenus duas lædit actiones: dixi hoc interdum euenire, non ſemper cum Gale. quia fieri poteſt, aliquam partem duas edere actiones, & eius noxam vnam ex illis tantum lædere. Hæc quidem regula non ad morbos tantum deficientis numeri, ſed ad reliquos omnes attinet.

Defectum

Defectum numeri eſſe morbum partium ſuperſtitum. Cap. XI.

AT præceptum, quod ſequitur, ad numerum deficientem tantummodo ſpectat: atque huiuſmodi eſt. Cùm morbus ſit partium corporis diſpoſitio, quæri poteſt, cuius nam partis morbus ſit numeri defectus eius ne, quæ deeſt: an ſuperſtitis? Reſpondet Galen. morbum eſſe non partis, quæ amplius non adeſt, ſed ſuperſtitis. Vnde ſi index medius abſcindatur, morbus eſt partis indicis, quæ ſupereſt, & totius manus: ſed ſi totus auferatur, non eſt morbus amplius indicis, ſed manus: ſic ſi medius gurgulio detruncetur, uel media lingua, morbo affecta eſſe dicentur lingua, & gurgulio: quod ſi radicitus abſcindãtur, morbus eſt palati. Si aliquis dens euellatur, non dicetur dens ille morbo laborare, quomodo enim laboret, cũ amplius non adſit? ſed os, cuius dens pars erat. Atque hoc pacto morbus deficientis numeri ſemper eſt partis, quæ remanſit, & conſeruata eſt, non eius, quæ perijt. Et quoniam uidebat Gale. hoc parere aliquam difficultatem, de qua uidebimus poſtea, ut tollat difficultates omnes, ſi quis hunc nolit morbum uocare, ſed paſſionem, non de re inquit, ſed de nomine erit controuerſia. Affert deinde alias regulas adeo difficiles, ut à nemine hactenus perceptæ fuerint. Et quoniam ſunt communes morbis deficientis numeri, & imminutæ magnitudinis, poſt explicatos magnitudinis morbos, eas in medium afferam: ſic enim facilius explicabuntur.

Obiectiones in morbis numeri redundantis. Cap. XII.

CVM morbos numeri redundantis primo, deinde deficientis, poſtremo regulas quaſdam explicauerimus: nunc ea, quæ obijci poſſunt, proponamus ordinem eundem ſeruantes. Et quoniam Argenterius lib. de Morb. Gener. cap. 9. quædam obijcit, & quędam etiam mihi occurrunt obijcienda, ſi ordo ſeruandus eſt, quem propoſui, commiſcendę ſunt obiectiones hę. Primam Argenterii obiectionem, quę multum in ſe difficultatis habet,

omittam

omittam in præſentia,cũ commode tractari haud poſſit ante ex-
plicationem morborum magnitudinis. Vltima eius obiectio eſt, quam primam ſtatuere debemus, vt ordinem Galeni ſeruemus, non rectè Galenum vnguem annumeraſſe ijs,quę ſunt ſecundùm naturam,veluti ſextus digitus: vnguis enim licèt quandam cum illis habeat ſimilitudinem, cùm illa tamen conſtet ex vtili materia,hic ex inutili,perperam in eorum cenſu collocatus eſt.

Præterea in morbis toto genere præter naturã magnam Gale. præ ſe ferre videtur inconſtantiam,cùm ex his alios interdũ morbos, interdum cauſam morbi eſſe pronunciet: alios nunc inter morbos numeri, nunc inter morbos magnitudinis, nunc inter morbos ex intemperie, & inter alios etiam collocet. Non longe abieris, abſceſſus hic reponit in morbis numeri: alibi in morbis ex intemperie,alibi auctæ magnitudinis: lepram hic inter morbos numeri redundantis collocat: cap.5. inter morbos ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ: 6. Epid.ſec.2.commen.4.morbum ex aſperitate eſſe ait. Hic præterea inter morbos numeri lapidem in veſica,& pus enumerat,ſicuti & in 14.Metho.c.18.in Arte tamen Med.cap.94. inter morbos cauitatum recenſet: vitiliginẽ quam leucam vocat, hic morbum numeri facit, quam in libro de Sympt.Diff.cap.4.ſymptoma in affectibus eſſe ſtatuit: ait enim. » Vitiatam nutricationem ſequuntur leuce, ophiaſis, alopecia, & » reliqua id genus ſymptomata: 14. tamen Methodi morbum eſſe » pronunciat. Præterea ex rationibus hic adductis deducitur neceſſario calculum eſſe morbi cauſam,non morbum;quia non primo lædit actionem, ſed obſtruendo meatum. Verùm, & in commemoratione Artis Medicæ Argenterius negat, quæ à toto genere præter naturam generantur in corpore eſſe morbos, veluti pus, & lapidem,hoc argumento: morbus in illis poni debet, in quibus ſanitas, authore ipſo Gale.in lib.de Diff.Morb.c.2.ſed in lapide & pure non ponitur ſanitas,ergo nec morbus: ſtatuit verò ipſe lapidem eſſe cauſam remotam morborum inſtrumentalium, pus cauſam morborum non inſtrumentalium, ſed ex intemperie.

Obiectio-

Obiectionum ſolutionis. Cap. XIII.

AD obiectionem Argenterij de vngue facilis eſt reſponſio. Si capimus vnguem, vt cœpit Aetius lib. 7. cap. 28. merito taxatur Gal. cùm ſcribat, vnguem pus eſſe ſub tunicis oculorum collectum: pus autem materia prorſus eſt inutilis. Sed ſi vnguis cum Paulo, & Celſo ſit membrana quędam neruoſa à magno angulo ducens initium, & inde pupillam verſus ſerpens, dicendũ eſt rectè Galenum ſenſiſſe: nam ſimilitudinem habet, & affinitatem cum tunica adnata, à qua procedit: vnde & ipſemet Galen. in lib. de Tum. præter naturam cap. pen. aſſerit, vnguem eſſe germen membranę adnatæ: & certe hoc Argenterium & Alexandrinum magnæ arguit imperitiæ qui neſciuerunt hæc duo pterygiorum genera interſtinguere: nam ſi hoc cognouiſſent, nec ille Galenum reprehendiſſet, neque hic in eo defendendo fruſtra laboraſſet. Antequam verò ad excuſandam Galeni varietatem, atque inconſtantiam veniam, annotandũ eſt, magnas tempeſtate Galeni fuiſſe de generibus morborum controuerſias ob ſectas medicorum, quæ tunc florebant. Et, ſi quo morbo oriebantur altercationes, in morbis potiſſimum numeri redundantis toto genere præter naturam oriebantur, ac in primis erat magna altercatio ab Arhigene propoſita, ut ſcribit Galen. 1. de Locis aff. cap. 1. nunquid locus, in quo materiæ hę toto genere præter naturam continentur, morbo affectus eſſe diceretur, an potius cauſa morbi in eo loco contineretur: quas altercationes Gale. repudiat tanquam logicas, nihilque ad artis opera pertinentes. Ad artem autem ſpectat, cùm uidet medicus actionem aliquam, aut læſam, aut impeditam, noſſe à quo loco celebratur illa actio, & inuenire, à qua nam cauſa lædatur, veluti in ſuppreſſione vrinæ, cũ hæc effluat per ceruicem veſicæ, ſi inueniat medicus hanc ceruicẽ eſſe occluſam callo, aut calculo, aut grumo ſanguinis, ſatis erit pro curatione: orietur enim indicatio, inde remouendum eſſe calculum, ſiue dicatur locus eſſe affectus, ſiue cauſa morbi eſſe eo in loco. Idem dixeris de morbis iſtis calculo affinibus: cùm ſint toto genere præter naturam, ſuique propterea ablationem indicent, medicus curaturus conabitur eos auferre: nec conſiderabit, nunquid ſint morbi in numero, nunquid in cauitatibus: nec

ſint

ſint ne cauſæ, an morbi: nam quidquid ſint, vna ſemper atque eadem oritur curandi indicatio, ad quam reſpiciendum eſſe Galen. præcipit: vnde in lib. de Diff. Morb. ca. vlt. cùm propoſuiſſet oculum, in quo eſſet pterygion, ophtalmia, eroſio corneæ, vueæ prolapſus, & ſuffuſionis initium, dixiſſetque alios putare tunc oculum morbo compoſito laborare, alios non vno morbo compoſito, ſed multis varias oculi partes vexantibus, nihil referre ait ad artem curandi, cuius cauſa libros eos ſcribebat, ſiue dicas morbum eſſe vnum compoſitum, ſiue plures indigentes pugnantibus curationibus: quidquid igitur ſcribit Gale. ſcribit propter Methodū therapeuticam, vt etiam in procœmio annotauimus: & modo ſcribat, quæ arti curandi non repugnent, pro nihilo habet, ſi repugnantes ſententias ſcribere videatur, vt quandoque aliis etiam ſectis ſatisfaciat: qua de cauſa in lib. de Diff. Morb. docet etiam inuenire eorum naturam, atque differentias de Methodicorum ſententia, nec eam oppugnat. Et propterea non eſt mirum, ſi uarius in his morbis videatur, cùm ſcopum illum curandi ſolùm ſibi proponat ante oculos, eſſe morbos iſtos, ſiue cauſas toto genere præter naturam, & ideo ſummouendos. Illud pręterea eſt annotandum, vnum atque eundem morbum variis rationibus conſideratum in multis eſſe poſſe generibus morborum, veluti exanthemata, quæ quatenus cutim reddunt inæqualem, ſunt morbi aſperitatis, quatenus ſubter cutim continent materiam toto genere præter naturam, ſunt morbi in numero: quatenus ſunt tumores quidam, ſunt intemperies cum affluxu ſubſtantiæ. His rectè conſideratis, etiam ſi nihil aliud afferamus, vindicatus erit Galenus ab inconſtantiæ calumnia. Cùm enim obijcitur, lepram ab eo nunc morbum numeri, nunc ſuperficiei, nunc intemperiei dici, vtraque reſponſione vti poſſum. In quocunque morbo reponatur, eandem eſſe indicationem curandi: ſiue enim dicas eſſe morbum numeri redundantis toto genere præter naturam, ſummouenda eſt, ſiue eſſe cutis aſperitatem, nunquam cutim leuigabis, niſi eam ſummoueris, ſiue dicas eſſe intemperiem cum materia, materia euacuanda eſt. At dices, hoc pacto deſiderari aliam curationem, ideſt alterandam eſſe intemperiem: poſſum reſpondere, hanc indicationem poſſe coninngi etiam cum cæteris, nam quidquid ſit, medicus conſiderare poteſt ab ea materia cutim fuiſſe inalteratam: ſed altero etiam modo poſſumus reſpondere, lepram varijs mo-

dis conſideratam trium morborum ſubire rationem, ut demonſtrauimus de exanthematis. Dices, morbus primo lædit actionē, quam igitur lædunt hi morbi actionem? reſpondeo, lædere actionem nutritoriam cutis, nam quomodocunque morbum lepram eſſe dixeris, impedit cutim, quo minus probe alatur. Dices, cutim nullam exhibere actionem, ſed uſum tantum, ad hoc reſpōdebo in obiectione effluuij pilorum. Ad obiectionem de calculo, & pure eiſdem utemur reſponſionibus: nam ſi hæc conſideres tanquam materiam toto genere præter naturam in alieno loco contentam, peccant in numero, & ſui indicant amotionem: ſi uerò conſideres tanquam materiam cauitates occupantem, atq; obſtruentem, morbus eſt, aut cauſa morbi in cauitate, & ſui nihilo ſecius amotionem indicat. Si quæras, quas actiones hi morbi lædant, calculus vrinæ excretionem, utrouis modo conſideretur, & pus anhelitum, ſi de pure in thorace contento intelligamus.

Ad vitiliginis obiectionem ab Argenterio allatam, poſſum reſpondere, in meo codice manuſcripto, nullam fieri vitiliginis, quam leucem uocant, mentionem: vnde licèt in impreſſis ſit aſcripta, perperam uidetur eſſe aſcripta. Sed ponamus recte eſſe appoſitam, dico Argenterium hic conſuetam ſuam imperitiam oſtendere, nec ſcire morbum à ſymptomate diſtinguere: nam in utiligine propoſita color albus apparens ſymptoma quidem eſt, humor candicans ortus ex uitiata nutricatione morbus in numero: poteſt itaque leuce eſſe morbus in numero, & ſymptoma in affectibus diuerſis rationibus. Hic uerò neſcio, cur Alexandrinus fateatur uitiliginem eſſe ſymptoma, & morbum eſſe neget, & tamē ſe Galenum defendere putet: cùm enim Gal. in lib. de Dif. Morb. collocet eam inter morbos numeri, oſtendere debebat eam eſſe morbum & ſymptoma, diuerſis tamen rationibus, ut ego demonſtraui: nam licèt in codice manuſcripto leuce non ſit, in omnibus tamen codicibus ſunt alphi, de quibus eadem ratio eſt, quæ leuces, & eadem obiectio afferri poteſt, eademq́ue ſolutio.

At cùm obijcitur, eum calculum alibi inter morbos reponere, repugnare tamen hoc modo regulæ, quam hic tradit: per eam enim conſtat calculum eſſe morbi cauſam, non morbum: poſſum reſpondere, nihil hoc intereſſe ad curandi rationem: nam ſiue cauſa ſit, ſiue morbus, ſui ſemper indicat ablationem, & cùm vulgata eſſet controuerſia, ut ante dixi, eſſent ne loci huiuſmodi

di morbo affecti, an cauſa tantummodo in locis illis contineretur, quæ logica erat, & parum ad artis opera pertinens, Galenus, vt oſtenderet uanitatem eius controuerſiæ, alibi hoc modo, alibi alio pronunciauit: attulit tamen regulam hic, ex qua dignoſci poteſt, non de calculo tantum, ſed de multis alijs, nunquid ſint morbi, uel cauſæ morbi: ſed hæc plene diſcutiemus iterum in libris de cauſis: nunc ſatis hæc fuerint ad Galenum à calumnijs uindicandum. Ad illud argumentum Argenterii, in pure, & calculo non eſt ſanitas, ergo nec morbus: dico argumentum eſſe ualde ſophiſticum, nam licèt in pure, & calculo ſanitas eſt: quando nec lapidem, nec pus, nec aliquid aliud præter nitas non ſit, in parte tamen, quæ continet pus & tapidem, naturam continet cùm rurſus pus, calculũ, & aliquid aliud præter naturam continet, in ea eſt morbus: quod indicat læſa eius actio. Quod ſi argumentum id valeret, ualeret & in reliquis morbis: diceremus enim plhegmonem, eriſypelas, ędema non eſſe morbos, quia in his ſanitas non eſt: reſpondeat ipſe, hos eſſe morbos, uel intemperiei, nel magnitudinis, at in intemperie & magnitudine eſt ſanitas, & ſic morbus, & ſanitas in eodem genere ſunt. Reſpondeo, ita ſe habere etiam in morbis propoſitis: ſunt enim in numero, & in numero etiam ſanitas eſt: quare ſanitas, & morbus hic etiam ſunt eodem in genere. Sed probabilius, quàm fecerit Argenterius argui poteſt calculum & reliqua, quę toto genere pręter naturam ſunt, ueluti pus, lumbricos non eſſe morbos: nam ſi naturam morbi, qui eſt diſpoſitio præter naturam partium corporis, aut ſimilarium, aut organicarum, reſpicimus, morbi eſſe non poſſunt, quia partes corporis non ſunt: ſtatuit tamen paſſim Galen. & ueteres omnes unà cũ eo, morbos eſſe: quare Turiſanus in 3. lib. comment. 76. reſpondet ad argumentum, licèt hæ partes non ſint, uideri tamẽ partes, non quidem intra membri organici ſubſtantiam collocatas, ſed ab eius ſpacio comprehenſas. Hoc licèt recte ſit dictum, non diluit tamen plene obiectionem: quare addendum, licèt hæ partes non ſint, cùm tamen lædant actiones, partium ipſarum morbos eſſe omnino: vnde & Galenus primo de Locis affec. cap. 2. cùm humor craſſus in pupilla cogitur, & viſionem impedit, humorem illum morbum eſſe ait, nam licèt ſubſtantia non lædatur oculi, in eo tamen ſymptomatis cauſa continetur, ſymptoma eſt viſio impedita, cauſa ſymptomatis eſt

humor craſſus coactus, cùm verò ſymptomatum cauſa morbus ſit, ſequitur humorem illum eſſe morbum.

Obiectiones in numero deficiente. Cap. XIIII.

NEC in defectu numeri Galen. caret inconſtantia: nam 14. Methodi inter hos morbos reponit alopeciam, ophiaſim, & quodcunq; pilorum defluuiũ: quæ in epidemijs morbos leuitatis eſſe ſtatuit: atqui Argenterius morbos eſſe negat, ſed ſymptomata eſſe conſtituit, quæ ab intemperie emanant, quod à curatione probat, nam corrigimus intemperiem, & prauos euacuamus humores ad tollenda ea ſymptomata. Præterea inquit, ſi defluuium pilorum morbum eſſe conſtituamus in numeri defectu, ſequetur, pilos partem eſſe corporis uel ſimilarem, uel organicam, & ſequetur, quòd aliquid agant, quod etiam nutriantur, ut reliquæ partes, quod negat Galenus ſecundo de Temperament. cap. quinto, & in Arte Medica cap. nono. Ad obiectionem hanc dico hos uariis rationibus eſſe morbos numeri, & ſuperficiei: ſunt morbi numeri deficientis, quia deſunt capilli, aut pili locis illis, quibus adeſſe oportuit. Quod ſi quæras, quid tunc morbo laboret, nunquid capilli, qui defluxerunt, an qui adhuc ſunt ſuperſtites? per regulam Gale. in in ijs, qui iam perierunt, morbus eſſe non poteſt, ergo in ſuperſtitibus: at certe durum uidetur, capillos morbo affici. Attamen cùm in ea parte interrumpatur vſus, & officium capillorum: de quo paulo infra agemus: dicere poſsumus ad capillos ſuperſtites morbum eſse referendum. Vel dicendum eſt, eum morbum eſse partium illarum, quæ capillis contectæ ſolebant eſse, ut paulopoſt contra Argenterium demonſtrabimus: ſunt morbi ſuperficiei, quia cutis, quæ aſpera præſentia capillorum ſolebat eſse, glabra redditur & leuis nimis, vnde morbis redditur procliuior. Sic Galenum ſibi ipſi conſentientem reddidimus. Nunc ad Argenterij argumenta ueniamus. Cùm itaque aſſerit alopeciam, & ophiaſim eſſe ſymptomata, non recedit à Galen. qui hoc idem aſſerit lib. de Differ. Sympt. cap. 4. ſibi vitiliginẽ, alopeciam, & ophiaſim ſymptomata eſſe ait uitiatæ nutricationis, cui ſuccedit ſymptoma in affectu, uel mutata qualitate, & eſt fędus color: fędus autem color exoritur

ritur vel ab humoribus affluentibus, uel à vitiata facultate alte-
trice partis male affectæ: atq; hæc intemperies eſt. His de cau-
ſis alopecia,& ophiaſis ſymptomata eſſe dicuntur à Gale.& recte.
At Argenterius neutram ex his reſpexit, ſed defectum ipſorum
pilorum ſymptoma eſſe vult. At non inuenio ego, ſub quo ge-
nere ſymptomatum pilorum defluuium collocem. Actionem le-
ſam ne ipſe quidem Argenterius dixerit: mutatam qualitatem
minus: relinquitur, vt ſint ſymptomata de genere excretorum &
retentorum: at hoc pacto pili eſſent inter excrementa reponendi,
quod abſonum eſt: caſus itaque capillorum per ſe ſymptoma non
eſt: atqui oſtendit curatio, defluuium capillorum eſſe ſymptoma,
non morbum numeri: quia illi curationem non adhibemus, ſed
ſubiectæ intemperaturæ, corruptionique humorum: quare mor-
bus in his eſt intemperies, non numerus deficiens: poſſumus ad
hoc reſpondere, morbos morbos parere, & ideo non eſſe abſur-
dum hic adeſſe morbum ex intemperie, qui pariat morbum nu-
meri deficientis, & curationem intemperiei adhibemus non per
ſe, ſed vt iterum capilli gignantur. Cùm præterea arguit, ſi pili
morbo laborarent, pars corporis eſſent, dico ſummatim, eos eſſe
partem corporis, ſic ſtatuente Galeno 2. de Temp. c. 3. Eorum, „
inquit, quæ ex cute extant, ſicciſſimus eſt pilus, deinde cornu, „
mox vngues, & ungulæ, & calcaria, & roſtra, quæ his in ſingulis „
animalium ratione carentium ſimiles ſunt partes. Lib. etiam 1. „
c.9, cùm pilum ſicciſſimum, & frigidiſſimũ omniũ eſſe ait, ipſum
inter partes corporis recenſet, ſi præcedentia uerba conſid res.

Cùm præterea idem aſſerat 1. de Vſu part. cap. 1. illas eſſe cor-
poris partes, quæ propriam habeant circumſcriptionem, toti ad-
iunctæ ſint, eidemque utiles, non poſſumus negare, pilos eſse
corporis partem: duæ namque primæ conditiones in illis palam
ſunt: tertia etiam eſt conſpicua ex ſe, ac ex Galeni declaratione
11. de uſu part. ca. 14. ſunt enim ad ornatum, ad tegumentum, &
defenſionem, & ad expurgandum corpus à fuliginoſis excremen
tis utiles. Atqui, inquit, nullam habent actionem, ne naturalem
quidem, cùm eos nutriri neget Gal. & regimen habere. Reſpon-
deo, & aliquam eos habere actionem, nam generationem habere
teſtatur Galen. cap. 9. Artis Med. quæ ſiue vera ſit generatio, ſiue
non, actio tamen & ipſa quædam eſt, conſtans ex alteratione & cõ
formatione. Verùm etiam ſi nullam haberent actionem, eſsent

ne ideo de partium albo excludendi? collocantur in eodem ordine cum vnguibus: fingamus vngues nullam habere actionem, aſſeremus propterea eos non eſſe partem digitorum? cùm adeo ſint vtiles, adeo neceſſarij, vt præcipua manus actio, quæ apprehenſio eſt, ſine ipſis manca & debilis futura fuerit? Sed quid contra Argenterium inſtamus, cùm ſui immemor ſe ipſum redarguat egregie in expoſitione loci illius adducti ex Ar. Medica? Verùm etiam ſi concedamus pilos nullam habere actionem, cùm tamen vſum non vulgarem corpori afferant, quod vſum eum intercipit, morbus eſſe poteſt, aut cauſa morbi ſaltem, quod diiudicandum erit ex lęſa actione partis, cui vſus ille intercipitur. Hic itaque defectus pilorum cùm ſit deficiens numerus, ſiue morbum dicas, ſiue cauſam morbi, non repugnabis Galeno. Poſſent eædem difficultates excitari in cutis morbis: cùm enim Galen. in lib. de Morb. cauſ. ca. 6. neget eam habere propriam aliquam actionem, videtur eam morbo laborare non poſſe. Sed reſpondetur, licèt propriam non habeat actionem, communes tamen habere & naturales, & animales etiam, & maximum vſum corpori præbere, vnde poteſt ſæpe in morbos incidere, immo verò multi ex commemoratis morbis ſunt cutis morbi.

Dubitationes à regulis orientes, & ſolutiones: & primò an noxa partium vſum præbentium ſit morbus: & quomodo. Cap. XV.

DICTVM eſt in regulis à Galeno traditis, noxam partium vſum præbentium cauſam eſſe morbi, in quo ſibi haud conſtare videtur: nam cap. 6. aſſeruit, non ſolum eſſe morbi cauſam, ſed etiam morbum: poſſumus reſpondere, Galenum non explicaſſe in cap. 8. totam regulam, ſed partem alteram tantummodo, cùm vnusquiſque ex cap. 6. poſſit eam ſupplere, & perficere, ſicuti & nos fecimus: poſſumus etiam dicere, Galenum cap. 6. locutum eſſe de vnico inſtrumento, quod ex multis partibus compoſitum ſit, quarum vna tantum ſemper eſt actionis opifex: reliquæ verò vſus cauſa adiunctæ. In his itaque noxa partis vſum præbentis poteſt eſſe, & cauſa morbi, & morbus, diuerſis rationibus, vt viſum

eſt:

eſt: cap. verò 8. loquitur non de vnico inſtrumento, ſed de pluribus, quorum alterum alteri ſit uſui: nam gurgulio eſt inſtrumentum per ſe, pulmones etiam inſtrumentum per ſe, ſed cùm gurgulio vſum afferat pulmonibus, eius abſciſſio cauſa eſt morbi in pulmonibus, morbus verò eſſe non poteſt. Sed inſtabis, ſi muſculi intercoſtales vulnerentur grauiter, actio pulmonis læditur: vulnus tamen muſculorum eſt morbus, & pulmo nullo laborat morbo, ergo, & noxa inſtrumenti ſeruientis morbus eſſe poteſt.

Ad hoc dicendum eſt, aut vulnus illud non perforat totum thoracem, aut totum perforat, ita vt per illud aer ad pulmones penetret: ſi primo modo, vulnus muſculorum per ſe morbus eſt, quia eorum læditur actio, quæ etiam ipſa concurrit ad reſpirationem celebrandam: ſi verò per vulnus penetrat aer ad pulmones, vulnus hoc eſt morbus, quatenus muſculorum lædit actionem: & cauſa morbi, quatenus per ipſum pulmones refrigerantur: nec differt hoc vulnus à gurgulionis abſciſſione: nam & hæc licèt in comparatione pulmonis morbus non ſit, ſed cauſa, in ſe tamen morbus eſt, vt ſuperius viſum eſt. Hinc aliud exoritur dubium: dictum eſt vnumquodque inſtrumentum vnam habere actionem, & vnam tantum particulam ſimilarem inſtrumenti eſſe eius actionis opificem: reliquas vſum tantum præbere: at in inſtrumentis nunc relatis ſecus habet: nam videtur multa inſtrumenta concurrere ad vnam actionem: muſculi enim thoracis intercoſtales, diaphragma, pulmones, aſpera arteria, gurgulio ſunt inſtrumenta à ſe inuicem diſtincta, omnia tamen concurrunt ad vocem efformandam: idem dixeris de locutione, nam lingua, dentes, palatũ, ad ſermonem dearticulandum concurrunt. Dicerem, etiam ſi non habeatur hic vnicum inſtrumentum ex ſuis partibus ſimul annexis compoſitum, veluti eſt oculus, plura tamen illa inſtrumenta, quæ vni ſeruiunt actioni, pro vno haberi inſtrumento, & ex illis quædam eſſe, quæ maiorem uim habeant in illa actione celebranda, quædam minorem: neq; in his error contingere poteſt in diſtinguendis morbis à cauſis: perpetuum namque eſt, quod actionem primo lædit morbum eſſe. Exercitatum itaque eſſe oportet in libris anatomicis, ut cognoſcantur partes omnes, earum uſus, & actiones: ſic enim facile diſtinguentur morbi à cauſis, & à ſymptomatibus: & his probe cognitis deprehendetur affectus, & pars affecta, vt docet Gale. 4. de Loc. aff. cap. 4.

An morbus ſit partis ſuperſtitis, non autem abolitæ. *Cap. XVI.*

NEc difficultate caret præceptum alterum Galeni in numeri defectu, morbum eſſe non partis abolitæ, ſed ſuperſtitis: & ſi, tota pars pereat, morbum eſſe non partis illius, ſed partis eius, cui inhærebat: vnde ſi pars gurgulionis amputetur, oritur morbus in numeri defectu partis ſuperſtitis: ſi totus gurgulio abſcindatur, oritur morbus in numeri defectu, non gurgulionis, quia iam abolitus: ſed palati, culus pars erat. Quæro igitur, ſi tota manus detruncetur, an ſit morbus, & certum eſt morbam eſſe, quia ſublata eſt actio apprehendendi: at apprehenſio erat manus actio, ergo morbus nō eſt manus: atqui manus periit, & rei, quæ perijt, morbus non eſt: ergo manus ille morbus non eſt: cuius nā igitur eſt morbus? per regulam Galeni brachij, morbus eſt, ſed morbus eſſe non poteſt, qui non lædat, aut deſtruat actionem, quam nam igitur læſit, aut ſuſtulit actionem hic brachij morbus? non aliam reſpondere potes, quàm apprehenſionem: atqui apprehenſio actio manus erat, non brachij quare nulla brachij læſa eſt actio, & ideo nec brachii morbus: quid igitur reſpondendum eſt? Diximus ab initio horum morborum in explicanda natura inſtrumenti, eſſe ſententiam Hippocratis in lib. de Alimento, & Galeni 1. de Vſu part. ca. 8. actiones particulares omnium inſtrumentorum conſpirare in vnius actionis famulatum: vnde actio inſtrumenti primi ordinis inſeruit actioni inſtrumentorum ſecundi ordinis: horum actio inſeruit actionibus inſtrumentorum tertii ordinis, ſicuti & hæc famulantur inſtrumentis ordinis quarti: & tandem omnes hæ in famulatum conſentiunt vnius actionis, quæ totius eſt propria. Cùm hæc ita ſe habeant, dico apprehenſionem, licèt propria ſit manus actio, ea tamen ſublata lædi etiam brachii actiones. Fingamus brachii actionem eſſe luctare, geſtare arma, tractare omnia inſtrumenta, quibus artes exerceantur, vt hæc commode exerceat, neceſſe eſt, vt aduerſarium in lucta arripiat, vt arma apprehendat, & reliqua artium inſtrumenta. En igitur apprehenſionem concurrere ad celebrandam actionem brachii: vnde cùm tollitur apprehenſio, vitiatur actio brachii totius: quare recte aſſeritur, eſſe hunc morbum brachii, quia eius

actio

actio valde eſt læſa ex manus defectu: abſciſſio itaq; manus morbus eſt brachij ex numero deficiente: & brachij abſciſſio morbus eſt corporis totius. Alio modo demit hunc ſcrupulum Galen. eo in loco aſſerens, ſi quis nolit hunc vocare morbum, vocet pathos, aut pathema: nam cùm abſciſſa eſt manus, etiam ſi neges brachium, quod relictum eſt, morbo laborare, non negabis tamen ipſum perpeſſum eſſe aliquid. Vidit hanc difficultatem Thadęus in Ioannitium capit. 36. & multis aliis modis eam diſſoluere eſt conatus, quos apud eum cuilibet legere in promptu eſt.

De morbis magnitudinis. *Cap. XVII.*

GALENVS in extrema parte capit. 8. agit de quibuſdam morbis communibus numero, & magnitudini, quos diſtulimus, quia facilius dignoſci mobos iſtos iudicauimus ijs, qui prius morbos numeri proprios, & magnitudinis proprios norint: at cùm Galen. capit. 9. de morbis magnitudinis ſolius agat, hos etiam explicabo: deinde ad communes illos reuertar multis plenos difficultatibus: ac in explicandis morbis magnitudinis ſequar quidem Galeni ſententiam ad vnguem, alio tamen ordine progrediar. Eſt itaque primo morbus magnitudinis ſicuti morbus numeri duplex, alter in exceſſu magnitudinis, quæ actiones lædat: alter in defectu. Horum vterque poteſt tum vniuerſo corpori, tum cuilibet eius parti obuenire. Vniuerſum itaque corpus adeo interdum augetur, vt ſegne, & imbecillum ad omnes actiones euadat, id quod Nicomacho Smyrnæo eueniſſe Galen. tradit, quem Aeſculapius ſanitati reſtituit. Quæ actiones potiſſimum lædantur in huiuſmodi corporibus obæſis, & corpulentis, declarat Gale. 14. Metho. cap. 15. Nec, inquit, incedere poſſunt „
ſine moleſtia, nec ſedem propter ventris molem contingere, ſed „
nec libere reſpirare. Pars etiam quæque augeri poteſt ad tantam „
molem, vt actiones ſuas obire non queat, veluti ſi cui adeo increſcat lingua, vt nec inflecti, nec extendi, nec per os ſe conuertere valeat. Exceſſus hic incrementi in quibuſdam partibus nomine proprio donatum eſt: in quibuſdam communi nomine incremẽti vocatur. Penis incrementum priapiſmus, glandularum ſtruma, maioris oculorum anguli encanthis dicitur: capitis, crurium,

linguæ,

linguæ,mammarum,teſtium, aliarumque partium communiter incrementi uocatur exceſſus. In defectu etiam magnitudinis idem eſt dicendum,poſſe hoc & vniuerſo corpori,& cuilibet parti euenire: nam adeo & illud uniuerſum, & harum unaquæque interdum tabeſiunt, vt nihil poſſint agere: multis & communibus modis vocatur hic morbus,tam in vniuerſo,quàm in partibus ſingulis: ab alijs enim ἀτροφία vocatur,ac ſi, aut totum corpus, aut pars quęlibet hoc morbo laborans non alatur,ab alijs φθίσις, quæ imminutio,vel decrementum,vel tabes dicitur: gracilitas quoq; nimia, vel extenuatio poſſet appellari: In maiori angulo oculi rhœas vocatur id vitij. Hi ſunt morbi, qui traduntur à Galeno, proprij magnitudinis. Sed quoniam tanta videtur eſſe ſimilitudo,& affinitas inter morbos magnitudinis,& numeri,vt alter pro altero capi poſſit,docet ſic exponentibus Valeriola, & Fuchſio, quomodo poſſimus eos internoſſe: nam in morbis magnitudinis ſeruatur naturalis figura totius,vel partium, & ſola immutatur magnitudo,vel ad exceſſum,vel ad defectum, quod in morbis numeri non euenit: nam ſi ſextus digitus manui addatur; vel quintus detrahatur, figuram ſuã omnino manus immutat: at ſi in amplam molam increſcat,aut extabeſcat,ſuam ſemper figuram retinet. Locum habet ſignum hoc in morbis proprijs magnitudinis, & numeri, in communibus non habet, vt videbimus.

Obiectio contra id,quod ſtatutum eſt:in morbis quantitatis auctæ, aut imminutæ ſeruari figuram naturalem. Cap. XVIII.

DICTVM eſt morbos magnitudinis diſcriminari à morbis numeri,quod in vitioſa magnitudnine naturalis figura ſeruetur, in numero autem uitiato corrumpatur. Sed contra hoc ex diametro eſt, quod ſcribit Galen.in lib.de Cauſ. Mor.c.7. nam inter cauſas,quæ naturalem figuram uitiant,recenſet morbos tam auctæ,quàm imminutæ magnitudinis: in nimium enim obæſis, & extenuatis,ſiue id in toto eueniat,ſiue in parte aliqua, figuram uitiari aſſeuerat: id autem comprobat ex morbo auctæ magnitunis,qui elephas dicitur, & ex morbo imminutæ, qui tabes appellatur:

pellatur: vnde ſic ait. Quippe morbus,qui elephas nominatur, »
planè formam immutat: itidem & tabes: etenim naſus ſimus, la »
bra craſſa, aures acuminatæ in elephantiaſi uidentur, atque in »
totum,qui ſic laborant,ſatyris ſimiles ſunt: at nares acutæ,colla- »
pſa tempora,oculi concaui in phthiſicis deprehenduntur, quibus »
ſcapulæ quoque, & brachia in alarum modum porrigi videntur. »
Et cùm figura primo, & per ſe vitiari poſſit, & ſecundario ac per accidens, concludit in huiuſcemodi affectibus figuram primaria ratione deprauari. Hæc quidem admodum ardua eſt difficultas: nam ſi dixeris exemplum elephantis non eſſe ad propoſitum,quia non ſit de illis morbis magnitudinis,de quibus ibi agit Galen. vt infra apparebit: reſpondebitur,exemplum tabis eſſe morbum vere imminutæ magnitudinis,& ideo obiectionem procedere.

Præterea, cùm membrum aliquod vlcere cauo affectum eſt, nonne imminuta eſt magnitudo,& deprauata etiam figura? contra in valde ſuperexcreſcente carne quantitas augetur, & figura vitiatur. Dici poſſet in quibuſdam hoc locum habere, in quibuſdam non: ſed reſponſio nulla eſt, quia ex modo loquendi Galeni eſt hoc diſcrimen ab eo traditum ad internoſcendum morbos magnitudinis à morbis numeri: quare vniuerſale eſſe debet, immo verò in omnibus morbis magnitudinis figura naturalis ſeruari debet, & in omnibus morbis numeri corrumpi, vt regula optima ſit: & voluiſſe Galenum ponere hoc diſcrimen inter morbos numeri,& magnitudinis, inde patet, quod cùm in calce c.8. dixiſſet,morbum magnitudinis non eſſe eundem cum morbo numeri,cum iidem non ſint,reddit hanccauſam ſtatim ab initio c.9. quia permanente figura naturali partis,& corrupta magnitudine, is affectus eſt partis morbus. Quod ſi dicas Galenum intelligere non de morbis totius,ſed partis alicuius, vt indicat loquendi modus,repugnat exemplum caui vlceris in parte reliqua. Et ſanè nihil aliud reſtat, niſi ut dicamus,vt innuunt expoſitores,quòd in morbis magnitudinis ſeruari poteſt figura naturalis, non tamen inde ſequi, quod in omnibus ſeruetur. Inſtabis non eſſe hoc pacto hanc vniuerſalem differentiam, quæ diſtinguat morbos magnitudinis à morbis numeri. Reſpondeo,eam fieri poſſe, & eſſe vniuerſalem: nam ſi ita ipſam proferamus,in morbis magnitudinis figura naturalis ſeruari poteſt, in morbis numeri ſeruari non poteſt, vniuerſalis erit differentia. Locus eſt difficillimus, & à

nemine

nemine obſeruatus, a me autem propoſitus potius ad excitanda ingenia, quàm vt mihi hæc reſponſio ſatisfaciat. Niſi id etiam dicamus, non protuliſſe ea verba Galenum, vt traderet diſtinctionē inter morbos numeri & magnitudinis, ſed ut morbos magnitudinis ſolius deſcriberet : nam cùm magnitudini vitiatæ coniungi poſſit vitiata figura, rectius cognoſcetur vitium magnitudinis ſolius per ſe, quàm adiunctam cum figuræ vitio : vnde & in ca.7. vitioſam figuram morbum in meatibus parere aſſerebat: cùm itaq; in morbis nunc adductis adſit vitium figuræ, & magnitudinis, magnitudinem ſolam, & per ſe vult conſiderari Galenus, quia ſpecies hæ ſingulæ per ſe ſeorſum ſunt explicandę, & ſeparauit vitiū figuræ à magnitudine nunc, quia cùm frequentiſsime coniungantur, decipere poſſunt : ſed cùm medico notum erit, qui nam ſint morbi figuræ per ſe, qui ue magnitudinis, quando eos morbos ſimul adiunctos inueniet, facile eos agnoſcet : ſi ſic exponas, omnes difficultates ſummouentur.

An magnitudinis vitiatæ quædam ſit ſecundum naturam : quædam toto genere præter naturam. Cap. XIX.

DVBITATIO etiam illa eſt diluenda, quæ pertinet ad morbos iſtos: cùm enim in morbis numeri redundantis diſtinctio illa adhibeatur, quod quidam ſint ex genere ſecundum naturam, quidam toto genere præter naturam : quæritur, an hęc diſtinctio in morbis magnitudinis excedentis locum habeat.

Fuchſius in loci huius expoſitione diſtinctionem hanc etiam in morbis magnitudinis locū habere conſtanter aſſerit : ſic enim ait. Animaduertendum autem hoc loco erit, magnitudinē proprie eſſe, quæ propter alimenti ad particulam delati immodicam copiam fit: quæ enim propter congeſtum aliquem excrementitiū humorem, ac fluxionem aliunde manentem fiunt in corpore magnitudines proprie tumores prȩter naturam uocantur: Galenum autem hoc loco de vtroque augmenti genere fuiſſe locutum, ſua ipſius exempla Nicomachi nimirum, mammarum, teſtium, & ſtrumarum, abunde oſtendunt. Ex his exemplis profectò ſtrumæ

ſolæ

ſolæ videntur aſtruere, complecti hic Galenum tumores præter naturam: vnde in fine commenti Fuchſius. Cum ſtruma, inquit, » ſit è genere tumorum prçter naturam, euidentiſſimum fit, Galenũ » magnitudinis indecentis nomine complecti etiam tumores præ- » ter naturam: quod paulo ante à nobis quoque dictum eſt. Locũ » igitur habebit diſtinctio, quia quidam morbi magnitudinis erunt de genere ſecundum naturam, quidam toto genere præter naturam: atq; hi ſunt tumores præter naturam, phlegmone, eryſipelas, herpes, œdema, ſcirrhus, & conſimiles. Huc accedit validiſſima, & demonſtratiua ratio: nos enim in tractatu de Morbis ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ demonſtrauimus, tumores præter naturam eſſe morbos proprie partium ſimilarium, cùm conſtent ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ, fieri tamen organicos, ſi adeo increſcat eorum tumor, vt magnitudine ſua lędat actiones: ſi organici ſunt, & magnitudine lædunt morbi magnitudinis excedentis toto genere præter naturam ſint, neceſſe eſt: quare neceſſario in his morbis hæc quoque diſtinctio adhibenda venit: & eam adhibuit Valeriola immo verò Valeriolam ſecutus eſt Fuchſius: in eo verò differunt, quod Fuchſius ſtrumas tantum in ſecundo genere collocat: Valeriola immodicam teſtium, mammarumque magnitudinem addit. Argenter. lib. de Morb. Gen. cap. 10. eadem utitur diſtinctione: in Ar. tamen Med. cap. 97. cũ Gale. eo in loco ſentit magnitudinis incrementum ſemper fieri ex utili, & ſecundum naturam ſubſtantia, vt qui alios notet incon ſtantiæ, paſſim inconſtantiſſimus appareat. Quamuis adductæ rationes tantam habeant vim vt demonſtrare videantur: multa tamen hoc in loco, & alibi ſcribuntur à Gal. quæ omnino ſenten tiam hanc reijcere videntur. Nam quod primum in morbis magnitudinis ſeruari naturalem figuram aſſerit, in tumoribus prçter naturam locum habere non poteſt: cùm ad tantam interdum veniant magnitudinem, vt totam naturalem figuram corrumpant, quod illis non immeritò aſcripſit etiam Auicennas. Præterea aſſerit Galen. morbum excedentis magnitudinis in prima conformatione euenire: adultos verò non admodum crebro vexare, quod dicere non potuiſſet, ſi tumores præter naturam complecti voluiſſet, qui frequentiſſime incidunt. Præterea Gale. ut oſtenderet linguam auctam, quam propoſuit vere magnitudinis morbo laboraſſe, probat ex natura omnium tumorum eam non fuiſse

aliquo

aliquo tumore affectam, vt ex eo loco ſolo concludere debeamus tumores præter naturam à morbis magnitudinis à Gal. excludi.

Præterea Galen.in lib.de Cau. Morb.cap.9. cauſam affert magnitudinis auctæ à materia vtili & naturali tantum,& ideo ſecludit tumores præter naturam. Præterea 14. Metho.c.15, & duobus ſequentibus tradit curationem morborum magnitudinis, & numeri, cùm eovſque tradidiſſet curationem tumorum præter naturam, vt videretur eos morbos ſeiungere. Poſtremo in Arte Med.cap.97.ait morbos numeri communicare cum morbis magnitudinis in exceſſu, & defectu rei naturalis, ſed in exceſſu rei præter naturam ſeiunctos eſſe, quem locum ſolus Argenterius recte exponit: nam in eodem lib.c.87.tradens curationem morborum magnitudinis auctæ, & imminutæ, indicat eorum incrementum ex vtili ſemper, & ſecundùm naturam materia conflari.

Res hæc certe adeo eſt difficilis, vt nulla mihi adhuc difficilior occurrerit. Rationibus nunc adductis, ſi eas elicere potuit ex Galeni ſcriptis, permotus Fernelius egregium excogitauit effugium, vt fecit in morbi definitione, & alibi ſæpiſſime: nam cum explicaſſet morbos magnitudinis, vt excluderet tumores ab eo morborum genere, & declinaret momenta rationum validarum, ſubiunxit. Quæ verò ex humorum influxu proceſſerunt, nõ huc, ſed ad tumores præter naturam referri debent, quos ſtatim dicemus morbos eſſe cõpoſitos. Et quomodo ſint compoſiti, in c.10. ſic exponit. Manifeſte compoſiti morbi ſunt phlegmone, œdema, ſchirrus, alijque tumores præter naturam: in his enim & intemperies eſt,& vitiata partis figura,plerunque & continui ſolutio. Hic vt impetum argumentorum declinaret, deſciuit à Gale. & ad Auic.transfugit: nec tamen leuis transfuga partes Auicen. fideliter tutatus eſt. Cùm itaque dicat tumores eſſe morbos compoſitos ex intemperie, & vitiata figura, & quandoque ex ſoluta vnione, excludit magnitudinem: & adeo veritus eſt addere magnitudinem tumoribus, quod non ſolum Galenum deſeruerit, Auicennam etiam ad quem transfugit, qui 2.1.c.5. Nullum, inquit,fit apoſtema,quin cum eo proueniat læſio in figura, & in dimenſione. Additur magnitudo neceſſariò tumoribus his, vt vidimus in eorum tractatione:quid enim aliud eſt tumor,quã magnitudinis incrementum? at tumor hic interdum eſt ſymptoma, cùm ex ſe nullam lædit actionem,interdum eſt morbus,cùm ma-

gnitudine

gnitudine ſua lædit actionem, vt docet Gale. lib. de Diff. Morbor. capit. 12. Quod ſi tumor magnitudine lædit, quid dicas eum eſſe aliud, quàm morbum in magnitudine? & ideo, vt euitaret incommodum, maius Fernelius incurrit incommodum, & mendacium mendacio texit. Quod ſi non alios, locum ſaltem eum ex 13. Methodi cap. 1. præ oculis habere debuit, vbi ait: in tumoribus partes à naturali habitu in quantitate recedere. Verùm homine hoc omiſſo, videamus, quid dicendum. Mihi certe in præſentia nihil occurrit, quod plene arrideat: dicam tamen, quod excogitaui. Magnitudinis incrementum duobus fit modis: altero, cùm res aucta per dimenſiones omnes augetur, quod à ſola natura fieri poſſe teſtatur Galen. 1. de Facul. Nat. c. 7. fit autem augmentum hoc ab alimento, quod in aliti ſubſtantiam conuertitur: alterum per aliquot fit dimenſiones, non per omnes, immo verò in hoc ſi vna augetur dimenſio, alia diminuitur, vt patet ex veſica à pueris inflata, licèt enim in latitudinem plurimum extendatur, eius tamen craſſities attenuatur: huiuſmodi eſt incrementum tumorum præter naturam: licèt enim partes corporis à materia contenta plurimum attollantur, & extendantur, non per ſe totas tamẽ, nec per omnes dimenſiones augentur, immo verò in hac extenſione extenuantur. In vtraque magnitudine morbos euenire contingit: de illis egit Gale. in lib. de Diff. Morb. cap. 9. de his verò non egit: at quare non egit, cùm in morbis numeri ante explicatis tã de numero excedente ex genere ſecũdùm naturam, quàm de excedente toto genere præter naturam egerit? quæ nam eſſe potuit diuerſitatis ratio? ſanè nihil aliud dici poteſt, quàm tumores pręter naturam eſſe vere intemperies cum affluxu ſubſtantiæ, cùm uerò adeo increſcunt, ut tumor ille actiones uitiet, tunc ſunt morbi etiam magnitudinis. Cum itaq; horum morborum naturam Galen. explicauerit in morbis ex intemperie cum affluxu, & cùm præterea non ſemper hi tumores ſint morbi magnitudinis, hinc factum eſt, ut cap. 9. de Diff. Morbor. non eos ſit complexus, & in libris therapeuticis eorum curationem à curatione humorum magnitudinis ſeparauerit. Poſſent hæc admitti, niſi obſtarent exempla tumoris mammarum, & teſtium, ac ſtrumę: ſed & in hoc quantum ad mammarum, & teſtium iucremẽta, poſſumus dicere Galenum intellexiſſe de uero incremẽto facto ex utili, ſed nimis redundante alimento; quod modus loquendi indicat. Strumæ

ſolæ

ſolæ negocium faceſſunt, quæ vere tumores ſunt præter naturam: vnde, & Gale. earum curationem tradit in curatione reliquorum tumorum 14. Meth. c. 11. Poſſemus dicere augeri in his corpora glanduloſa, quæ ſunt partes corporis, & ideo videri uerum incrementum, vel potius dicendum eſt, horum exemplo indicare uoluiſſe, tumores omnes præter naturam, quando magnitudine ſua lædunt actiones, morbos eſſe magnitudinis, nam quod de ſtrumis ſtatutum fuerit, de aliis etiam ſtatuendum erit: modus autem loquendi id indicat: ait enim.: Ad hoc genus pertinet & ſtruma, quippe quæ immoderatiùs aucta non parum functioni incommodat. En quomodo ſua magnitudine eam lædere actiones teſtetur: vnde cùm cap. 5. enumerauerit omnes ferè tumores præter naturam inter morbos ex intemperie cum affluxu ſubſtantiæ, eryſipelata, phlegmonas, ędemata, phygethla, ſtrumas, elephantiaſim, pſoram, lepram, vitiligines, ſcirrhos, hic ſtrumæ tantum facit mentionem, vt per eam de reliquis tumoribus idem ſentiendũ eſſe ſignificet. Potuiſſem hæc prætermittere, cùm plenè difficultates haud diſſoluant, volui tamen apponere, ut ab alijs etiam conſiderentur.

Quomodo ſit capiendum, morbum ſolitas actiones vitiare. Cap. XX.

VIDIMVS in omnibus ferè morbis organicis Galenũ admonere, poſſe eos morbos in vtero matris cõtrahi, & poſt ortũ. Hoc quoties dicitur, toties refellitur opinio peruerſa Turiſani, & ſectatorum eius, qui negant cæcitatẽ ab ortu morbũ eſſe, ſeducti à Galen. authoritate in Arte Med. ca. 82. vbi videtur innuere morbum eſſe diſpoſitionem, quæ conſuetas impediat actiones: at in cæco ab ortu conſueta actio non impeditur, cùm haud vnquam viderit. Si conſideraſſent hi, Galenum in definitione morbi actiones abſolutè, non actiones ſolitas collocare: & præterea in omni ferè morborum genere commonefacere, eos inuadere poſſe, & a primo ortu, & poſtea, non abijſſent ad has ineptias: nec locus ille ex Art. Med. debuit eos in fraudem impellere, cùm apertè loquatur de hominibus ſanis in morbum labentibus: quos, ſi capitis grauitate, aut dolore vexen-

vexentur, nondum ægrotare dicendum eſt, ſi ab his non impediantur à ſolitis actionibus: in iis enim, qui iam ſoliti agere ſunt, poſſumus dicere impediri à morbo ſolitas actiones: at in iis, qui nondum egerunt aliquid, dicere non poſſumus: cùm ſæpe impeditas actiones ſecum ab vtero geſtent: & ideo Galen. in morbi definitione, quæ debebat complecti quodcunque actionum impedimentum ſiue à primo ortu, ſiue poſtea, protulit, morbum eſſe diſpoſitionem, quę actiones abſolute impediat.

Morbos numeri eſſe diſpoſitiones. Cap. XXI.

CVM egerimus de morbis numeri ſeorſum, & magnitudinis, ſeorſum, antequam ad locum difficillimum veniamus, vt nihil aliud nobis examinãdum reſtet, videndum eſt, quomodo morbi hi ſint diſpoſitiones. Nam certe diſpoſitio in numero cadere non poteſt, cùm numerus poſitionem non habeat. Diximus in primo libro numerum quidem numerantem carere poſitione: ſed numerum numeratum, ideſt res ipſas numeratas, poſitionem habere. Verùm hoc non caret obiectione, nam res numeratæ vtplurimum ſubſtantiæ ſunt, videbitur igitur eſſe concludendum, morbos numeri ſubſtantias eſſe, contra quam ſtatuimus aduerſus Fuchſium & Fernelium cùm demonſtrauimus morbum eſſe qualitatem primæ ſpeciei: ſed ſi numerum hic ſumamus pro numero numerato, hoc pacto morbus erit, quatenus ſubſtantia eſt: vnde ſextus digitus quatenus eſt ſubſtantia, morbus erit. Ad hoc dico, ſextum digitum eſſe morbum manus, ſicuti etiam defectus quinti digiti eiuſdem morbus eſt, & vterque eſt morbus, quia lædit apprehenſionem quæ manus actio eſt: ſicuti igitur defectus quinti digiti ſubſtantia non eſt, ſed uere præternaturalis manus diſpoſitio: ita etiam ſextus digitus, quatenus eſt ſubſtantia, morbus non eſt, ſed quatenus male per eum manus diſponitur: cũ hæc itaque manus diſpoſitio ſit, facile poſſumus oſtendere. quomodo ſit ordo partium poſitionem habentium: cùm enim manus naturaliter affecta conſtet quinque digitis, conſtat proculdubio ex partibus poſitionem habentibus: & bona illa diſpoſitio diffuſa eſt per totam manum. Si addatur aliquid huic numero, vitiatur diſpoſitio, ſi detrahatur, eodem pacto: vnde dicimus morbum eſſe

non ſubſtantiam, non numerum etiam, ſed diſpoſitionem in numero, ſicuti nec magnitudinem auctam, aut diminutam morbum eſſe dicimus, ſed malam magnitudinis diſpoſitionem. Sed de his iterum agemus, cùm morbi omnes inſtrumentarii erunt explicati: examinanda enim erit opinio Vegæ, & aliorum, qui morbos iſtos non morbos, ſed morbi cauſas eſſe uoluerunt.

Atrophiam ſymptoma, & morbum eſſe. Cap. XXII.

EST alius locus dubitatione dignus. Gale. namque morbum deficientis magnitudinis uocat atrophiam, & phthiſim, quas in lib. de Sympt. diff. ca. 4. inter ſymptomata collocauit, & recte, quia uere ſunt ſymptomata, & præſertim atrophia. Reſpondeo ex Gale. 2. Metho. cap. 2. nomina imponi morbis interdum à cauſis, interdum à ſymptomatis: cùm itaq; atrophia proprie ſymptoma ſit, quippe actio læſa nutricationis, & hoc ſymptoma ſit in cauſa, quamobrem, aut totum corpus, aut pars aliqua tabeſcat, & incurrat morbum magnitudinis imminutæ, hinc fit, vt morbus hic à ſymptomate illo, quod tamen ſymptoma morbi cauſa eſt, nomen ſortiatur. Dicendum eſt igitur duo hæc nomina poſſe ſignificare, & ſymptomata, & morbum, ſicuti alia multa, de quibus Gale. loco citato. At his omiſſis ad morbos numero & magnitudini communes accedamus.

Loci difficilis ex octauo cap. de Differen. Morbor. enarratio. Cap. XXIII.

GALENVS in 8. capitis regulis dixerat, ſi lingua media abſcindatur, pars ſuperſtes mutilata dicitur: ſic omentum, ſic pudendum, ſic reliquæ omnes partes eo modo abſciſſæ: & mutilationem hanc morbum eſſe: quod ſi quis non morbum, ſed paſſionem potius uocare uelit, contentionem fore non de re, ſed de nomine. His explicatis, ſtatim ſubdit hæc uerba ad iam dictas mutilationes pertinentia, Fuchſio interprete. Liquet autem quòd in lingua, omento, pudendo, & in vniuerſum omnibus huiuſmodi inſtrumentis mutilatis per omnes iam dictos morbos

erit

erit aliqua magnitudinis minutio. Non tamen ipſius animalis, „
diminutio neceſſariò adeo manifeſta erit, ut ob hoc mutilum ap- „
pareat, ſed partium quidam numerus auferetur. Valeriola lo- „
cum hunc per ſe patere ait, vnde ne verbum quidem affert in eius expoſitionem. Fuchſius ait hic morbos deſcribi potius ad numerum, quàm ad magnitudinem pertinentes: licèt enim aliqua in magnitudine imminutio facta ſit, tam magna tamen ac manifeſta non eſt, vt propterea animal mutilum uideatur. Poterat hic locus cum hac expoſitione præteriri, licèt abſurdiſſima: ſed habendæ ſunt gratiæ Argenterio, qui cùm eodem modo, quo Fuchſius locum expoſuiſſet, occaſionem arripuit acerrime taxandi Galenum: vnde cùm excitaueris nos ad Galen. defendendum, fuit in cauſa, ut uerum ſenſum horum verborum erueremus, quo abſurditas omnis tollitur, & Argenterij obiectiones concidunt. Hic itaque in lib. de Morb. Cen. cap. 9. quem locum antea etiam adduxi, ſed in hoc tempus diſtuli, in his mutilationibus magis magnitudinem, quàm numerum lædi ait, contra quam aſſerat Galen. nam ſi linguæ portio abſcindatur, reſtant adhuc in parte ſuperſtite eædem uenæ, arteriæ, nerui, aliæque partes, quæ prius, breuiores tamen, quàm ante: at breue & longum ſunt qua ntitatis continuæ dimenſiones: defectus, igitur partium potius eſt in quantitate continua, quàm diſcreta. Neque tenet Galeni ratio, quòd ea linguæ mutilatio conſpicua non ſit in toto animali: neq; enim primo dicitur ille morbus totius eſſe corporis, ſed partis linguæ ſuperſtitis: preterea morbus eſt, qui actionem impedit, ſed tunc locutio impeditur ob linguæ breuitatem, quia partes omnes palati non poteſt attingere: ergo hæc actio impeditur potius ab imminuta longitudine linguæ, quàm à numeri defectu.

Præterea inquit, ſi obtruncationes ex dimidio factas numeri morbis aſcribimus, cur etiam ſupercreſcentem vlceribus carnem in eodem genere non collocamus? eam tamen ad magnitudinem refert Gale. Sic ille aduerſus Galenum. Alexandrinus reſpondet, ſi linguæ mutilatio ad totum corpus referatur, non uitiare magnitudinem quicquam effatu dignum in tanta mole. Si uerò partem linguæ ſuperſtitem, & os reſpicias, uitium erit in magnitudine. Reinerus refellens hanc reſponſionem ait, mutilationem linguæ non eſſe totius morbum, ſed inſtrumenti, & ideo diſtinctionem non procedere. Quare Alexandrinus nititur iterum

demonſtrare, morbum partis eſſe etiam morbum totius, deinde uitium magnitudinis, veluti linguæ mutilatæ non vitiare magnitudinem totius, numerum verò uitiare: ſed propoſitum non aſſequitur, nam vt id aſſequeretur, demonſtrandum erat, morbum mutilatæ linguæ non lædere magnitudinem totius, nec actiones ab ea prodeuntes: ſed lædere numerum totius, & actiones ab eo emanantes: at ipſe primum quidem demonſtrat, alterum verò minime, ſed ſatis habuit abſolute pronunciare, rem ita eſſe ſine vlla demonſttatione, ſine vllo exemplo. Quare videtur alio modo reſpondendum eſſe Argenterio.

Vera eius loci expoſitio. Cap. XXIIII.

CVM haud ſciant hi, quid ſit animal mutilum, Galenum ſibi ipſi & rei naturæ repugnantem faciunt: at cùm fuerit notum, quid ſit mutilum animal, omnia erunt plana, conſonaque. Mutilum, quod curtum Linacer ſolet appellare, κολοβὸν Græci vocant: & mutilari κολοβεῖσθαι, & mutilationes κολοβώματα: verùm ut aliquid mutilum ſit, multa deſiderantur, quæ ſcribit Ariſt. 5. Metaphyſ. 32. & ſunt omnibus obuia: ego autem inde tantum ſumã, quantum facit ad huius loci explanationem. Mutilum igitur ait eſſe hominem, cui extremitates quædam demptæ fuerint, quæ regigni amplius haud queant, ueluti nares, & auriculæ, ut Alexander docet. Id clare expreſſit Galen. 14. Method. cap. 17. vbi cùm incidiſſet mentio, quomodo cuti deficiens in præputio ſit reſti-
„ tuenda, ſic ſcribit. Dicemus autem, & de huiuſmodi rationibus
„ in ſermonis prgrogreſſu æque profectò, vt de curtis id genus, quæ
„ colobomata Græci appellant: quippe ita uocant, quæ in labiis,
„ aut narum alis, aut aure deficiunt. Interpres hic ſecutus eſt Ceſſum, qui lib. 7. cap. 8. & 9. κολοβώματα, curta vocauit, & morbum ipſe quoque aurium, labrorum, & narium eſſe conſtituit. Cùm hæc extremitatum vitia reſtitui non poſſint, de ſententia etiam Ariſtotelis eo in loco, & magnam præ ſe ferant turpitudinem, in cap. 19 docet Gale. turpitudinem remouere, & decorem addere:
„ vnde etiam in Art. Med. 96. Quacunque, inquit, parte ſublata,
„ cùm neque eandem ſpecie ſubſtantiam, neque ſimilem efficere
„ poſſumus, tertia nobis intentio, quendam decorem inuenire,

quemadmo-

quemadmodum in mutilationibus. Sic igitur mutilum dicitur, totum aliquod, cui pars quædam extrema deeſt, vt poculum, cui anſa, κόλος βοῦς, ideſt bos mutilus dicitur, cui cornu deeſt, magnũ digitum manus in ſimia mutilum ait Galen. in 4. de Adminiſtratione anotomica cap. 1. quia deeſt illi vltimum internodium.

Eſt itaque hoc vitium partium extremarum proprium, ſicuti claudicatio crurium: ſed & paulo ante in eodem cap. 8. de Morb. Differen. harum mutilationum mentionem fecerat, cùm diceret. Huius generis ſunt, & quæ colobomata vocantur labiorum, naſi, & aurium. Dices, Gale. 2. Metho. ca. 2. ſtatuit coloboma inter eos morbos, qui affectum locum non repręſentant: non ergo eſt amputatio partis alicuius certæ. Reſpondeo Galenum ibi loqui de ratione nominum, vnde videlicet morbi ſint denominati. Sunt enim quidam, qui à loco affecto nomen ſumunt, veluti peripneumonia, pleuritis, nephritis, podagra, & alij quamplurimi, qui morbi ſtatim nomine ſuo locum affectum repræſentant: at de horum genere non eſt coloboma, neque enim nomen eſt à parte aliqua affecta deſumptum: nihil tamen repugnat, quo minus ſignificet morbum certarum quarundam partium, ſicuti claudicatio, cæcitas, ſurditas, & conſimiles: licet enim nomina hæc ab vlla parte deducta non ſint, crurium tamen, oculorum, auriumque affectum ſignificant: quare & Gale. eo in loco aſſerit, nonnullos ex morbis illis, licèt nomen non ſortiantur à particula aliqua deriuatum, ſubindicare tamen affectam particulam. Inſtabis iterum, ſi mutilari, & mutilationes, tam apud nos, quàm apud Græcos ſignificant amputationem cuiuslibet partis linguæ, omenti, & conſimilium: videtur mutilum etiam late patere: ſicuti & eius coniugata.

Nolim ego nunc ingredi rationem grammaticam de nominibus contendendo: ſatis ſit mihi mutilum appellari hominem duntaxat, cui execta ſint labia, naſi extremitas, & aurium, de ſententia Ariſtotelis, Celſi, Galeni, & optimi etiam grammatici Euſtathij: & quanquam hoc ſit vitium quarundam partium tantum, ab eo tamen vitio totum denominatur, quod in aliis multis fit: vnde homo etiam ſimus dicitur, glaucus, cæſius, gibbus, etiam ſi vnico in loco vitium ſit, vt vidimus ſuperius ex Galeno 2. de Off. Med. comment. 2. atque etiam ſi ab his vitiis totum denominetur, non ſunt tamen morbi totius, niſi per accidens: cur enim ſit magis morbus totius decurtata auricula, quàm lingua? His an-

notatis facillima eſt loci huius explicatio, & manifeſtum eſt in huiuſmodi mutilationibus imminui numerum ſimul, & magnitudinem. Ait igitur Galen. manifeſtum eſſe, cùm media mutilatur lingua, omentum pudendum, & reliqua omnia inſtrumenta, imminui magnitudinem inſtrumenti, & ex conſequenti morbum eſſe magnitudinis imminutæ: nam ſi imminuitur magnitudo, qui aliter dici poteſt, quàm morbum eſſe ex imminuta magnitudine? Et quoniam vſus erat voce mutilationis, ne quis putaret animal ex horum inſtrumentorum mutilatione vocari mutilum, ſubiungit, imminutionem hanc non eſſe adeo manifeſtam, & conſpicuam, vt animal mutilum appareat: nam ſi mutilum dici debet animal, oportet imminutionem eſſe in partibus non abditis, ſed conſpicuis, & non in omnibus, ſed in labijs tantum, naſi alis, & auuribus: non negat igitur Galen. in his morbis imminutam eſſe magnitudinem, quomodo enim neget, quod eodem tempore affirmat? verùm in 14. Metho. c.16. hos eſſe magnitudinis morbos
„ aſſerit his verbis. Conſtat verò hoc quoque vitium ex eo mor-
„ borum eſſe genere, quod naturalem magnitudinem eſt egreſſum,
„ aliàs putreſcente præputio incidens, aliàs ab ipſo ortu minore,
„ quàm par erat, cõgenito. Negat verò ex illa imminutione magnitudinis animal mutilum apparere. Subdit deinde in his morbis non ſolum imminui magnitudinem, ſed numerum etiam quendã particularum adimi, atque id ex eo probat, quod auferuntur arteriæ, venæ, nerui, cutis interdum, veluti in mutilatione linguæ, omenti, & pudendi pinguedo, membranæ, & caro. Hic eſt ſenſus planiſſimus eius loci, in quo aſſerit, in mutilationibus horum inſtrumentorum imminui & magnitudinem, & numerum, vnde morbi ſunt tam magnitudinis, quàm numeri deficientis.

Argenterij refutatio. *Cap.* XXV.

EX hac expoſitione corruunt Argenterii obiecta: nam fatetur & imminui magnitudinem & numerum, quare amplius mihi laborandum non eſſet: ſed quia hoc ita fatetur, vt magis magnitudinem imminui, quàm numerum aſſerat, immo verò argumenta eius eo tendant, vt ſolam magnitudinem imminui aſtruant: hæc quoque ſunt euertenda. Ac ſanè ipſe in hoc ſicuti

in cæteris ignorantiam ſuam rerum naturalium patefacit, cùm in ſemi amputata lingua ſeruari eũdem numerum aſſerat venarum, arteriarum, neruorum, & aliarum partium ſimplicium, ſed breuiores tantum eas eſſe redditas: ſcimus enim uenas, arterias, & neruos, cùm à ſuo principio recedunt, in multos ramos diuaricari, quorum alij in hoc, alii in illud inſtrumentum inſeruntur: in quo non ceſſat adhuc eorum diuaricatio, ſed in alios ramos minores ſcinduntur, & ex illis in alios minores, vt tandem in corpuſcula quædam capillaria deſinant, atque hoc ideo, vt per totam membri ſubſtantiam excurrant. In mutilata itaque lingua, atque aliis iuſtrumentis multi ex illis ramuſculis, ac propaginibus aboleantur, neceſſe eſt. Quod ſi neges, quia maiora vaſa fortaſſe adhuc aſſeruentur, breuiora tamen reddita, cogemur hoc pacto aſſerere: etiam ſi maiora hæc vaſa aboleantur, modo eorum caudices aſſeruentur, veluti vena caua, & arteria ahorti, quod nullus erit in numero defectus, ſed in ſola magnitudine, quia vaſa illa adhuc ſuperſint, ſed longe quàm antea breuiora, quod quàm ſit abſurdũ, planum eſt. Præterea ſolent in inſtrumentis multi eſſe muſculi, alii maiores, alii minores, vnde quando inſtrumenta ſemitruncantur, aliquos ex his aboleri neceſſe eſt, quæ omnia ſi negare audeas, nonne ſaltem fateberis, multas fibras, quæ veræ ſunt ſimilares, in huiuſmodi morbis perire? Præterea cùm arguit, non eſse hunc morbum totius animalis, vt innuit Galen. ſed portionis linguę, quæ ſuperſtes eſt: verum hoc eſt, & paulo ante Gale. in præceptis relictum: at hoc nihil ad Galenum, quia non aſserit hunc eſſe morbum totius animalis, ſed animal ex hoc morbo non apparere mutilum. Præterea cùm arguit, actionem linguæ perire ob breuitatem, quia non poteſt partes omnes attingere, dico non actionem loquendi tantum, ſed reliquas omnes tam naturales, quàm animales oblædi, & non ſolum ob breuitatem, ſed ob penuriam multarum partium ad eius actiones adiuuandas concurrentium. Cùm uerò arguit, ſi detruncatas partes morbo numeri laborare dicas, ſequetur, carnem etiam ſupercreſcentem eſse morbum numeri. Reſpondeo, quòd ipſe habet pro incommodo, & abſurdo, incommodum & abſurdum non eſse: fateor enim ego, & fatetur Galen. ſupercreſcentem carnem tam ad magnitudinem auctam, quàm ad redundantem numerum pertinere: ſi modo carnis germina, de quibus meminit in numero redundante, di-

uerſa non ſunt à carne excreſcente in vlceribus; de qua meminit in acta magnitudine. Hæc ad Argenterium.

Alia dubia ex eo loco: & quando ſit morbus numeri tantum, quando numeri & magnitudinis. Cap. XXVI.

SED inſtet quiſpiam, contra quam Argenterius, morbos iſtos magnitudinis eſſe non poſſe, quia in his figura naturalis vitiatur: at in magnitudine ſiue aucta, ſiue imminuta non vitiatur. Ad hoc iam reſponſum eſt, quia diximus hoc locum habere in morbis propriis magnitudini tantum, & non ſemper: in communibus verò morbis numero, & magnitudini locum non habere.

Hinc patere puto deſcribi hic à Galen. morbos communes numero, & magnitudini deficientibus: nam quod ad magnitudinem pertineant, verba ipſa indicant: indicat locus adductus ex 14. Method. cap. 17. affirmat idem & ipſe paulo poſt, vt videbimus, quia tota pars hæc explicanda eſt, cùm difficillima ſit. Cùm itaq; in mutilationibus iam dictis conſtituerit Galen. morbum eſſe cõmunem numero & magnitudini, ne crederet, quiſpiam, defectum quemlibet partis naturalis ſpectare poſſe tam ad magnitudinem, quàm ad numerum, docet, quando hi morbi ad numerum tantũ, & quando ad numerum, & magnitudinem pertineant: & licèt id obſcure doceat, ex antea tamen traditis in eodem capite poteſt colligi hoc diſcerniculum: cùm enim ab aliquo inſtrumento eximitur, atque euellitur pars aliqua ſimplex, veluti cùm varices in crure excinduntur, cùm oſſa ex digitis, manibus, cruribus, thorace, & capite eximuntur, cùm dentes extrahuntur, cùm columella amputatur: tunc ille eſt morbus numeri deficientis tantum: quia reuera numerus partium imminutus eſt, magnitudo verò non apparet imminuta: vel potius, quia inopia numeri non magnitudinis imminutio actionem lædit: docet id Gale. verbis ſtatim ſequentibus verba iam expoſita, cũ dicat. Atqui gurgulione, aut varicibus inciſis, numerus quidam partiũ ab ipſis inſtrumẽtis aufertur, atq; omnia hæc ad immutatum partium numerum ſunt referenda. Quibus in verbis nulla eſt alia difficultas, quàm gurgu-

lionis

lionis exemplum pars ne ſimplex ſit, an inſtrumentalis, & ſi ſim-
plex eſt, cuius inſtrumenti pars ſit: & certe hoc in loco pro ſim-
plici vſurpat; & oris partem eſſe, ex ipſo facile colligitur in hoc
eodem capite: poſſumus etiam ſumere pro parte organica, quæ ta
men ad os relata pro ſimplici habeatur: nam ſi digitus etiam in-
teger à manu abſcindatur, morbus eſt in numero tantum: digitus
tamen eſt pars inſtrumentalis, licèt toti manui collatus locum
ſimplicis ſubeat. Sed ſi aliqua pars totius inſtrumenti abſcin-
datur, ita vt in ea abſciſſione multæ partes ſimplices diſſecentur,
veluti cùm media mutilatur lingua, omentum, pudendum, & reli-
qua antea dicta, morbus tunc eſt in defectu vtriuſque: vnde eſt
morbus tam numeri, quàm magnitudinis quia in hac, mutilatio-
ne multæ partes ſimplices pereunt, & magnitudo etiam valde im
minuitur: ex uerbis ſubditis à Gale. hoc apertiſſime collligitur, &
repetitur etiam quod ante dictum eſt, cùm ab inſtrumento pars
ſimplex eximitur, eum eſſe morbum numeri deficientis tantum.
Et quoniam vis harum diſtinctionum pendet à diuerſitate etiam
verborum Galeni: adducenda ſunt eius verba, quæ ſic ha-
bent. *Ὅσων δὲ ὀργανων ἀφαιρεῖται μὲν, ȣ̓κ ἐξαιρεῖται δὲ τὰ μέρη,* »
ταῦτα ἐν ἀμφοτέροις οἷον τετάξεται τοῖς γένεσι, καὶ γὰρ ἀριθμὸς ἐνδεῖ »
τῷ ζώῳ μωρίων ἁπλῶν, καὶ μέγεθος ὀργάνȣ συνθέτȣ, κεκολόβωται »
γὰρ τὸ ὅλον. Dixi vim huius diſcriminis non parum pendere à »
verbis, quia per totum ferè id caput, cùm eximitur pars ſim-
plex ex inſtrumento, vtitur verbo *ἐξαιρεῖσθαι*. ait enim *ἐξαι-
ρεῖται ὀςὰ. ἐξαιρȣ͂νται φλέβες κιρσώδεις, καὶ ἀδένες σκιῤῥωθέντες
καὶ ὀδόντες. τρηθέντες.* cùm uerò præciditur inſtrumentum, vtitur
vtplurimum voce *ἀφαιρεῖται*. vnde ait *ἀφαιρεῖται δάκτυλος, πούς,
ἄκρα χεὶρ, κνήμη, πῆχυς, ἀφαιρεῖται ἐπίπλοον, ποσθὴ, τίτȣ αἰδοίου,
καὶ σύμπαν αἰδοίον*; Verba autem propoſita ſic conuertenda ſunt.
A quibuſcunque inſtrumentis auferuntur, non eximuntur par »
tes, hæc fermè in vtroque genere collocabuntur: nam animali & »
partium ſimplicium numerus, & compoſiti inſtrumenti magnitu »
do deeſt: totum enim mutilatum eſt. Cum itaque eximitur pars »
aliqua ſimplex de inſtrumento ad numerum ſolum pertinet cùm
verò multæ ſimul auferũtur, à morbus eſt magnitudini & numeri
quia non poſſunt auferri tot partes ſimul, niſi totum inſtrumentũ
mutiletur: totum enim ad inſtrumentum referri puto, non ad
corpus uniuerſum ex antea ſcriptis à Galeno. Puto ego hunc ve-
rum

tum eſſe ſecundum horum verborum. Fuchſius rē faciliorē reddidit: nā quando pars aliqua ab inſtrumento aufertur, tunc morbum numeri tantum eſſe aſſerit: quando verò uniuerſum inſtrumentum, veluti crus, aut oculus aufertur, tunc morbus ad magnitudinem, & numerum refertur: quæ ſententia veriſſima eſt, ſed non quadrat Galeni verbis, quanquam enim ipſe mutet prima verba, & legat ὅσον δὲ ὀργάνων, non aſſequitur propoſitum, & orationem reddit inconcinnam: quod ſi immutare liceat, rectius immutabis, ſi ſic legas ὅσον δὲ ὄργανον. &c. & tunc ſi erit vertendum
» à quibuſcunque verò corporibus inſtrumentum aufertur: non
» autem partes eximuntur. &c. Hoc pacto ſententia erit ueriſſima, nec orationem Galeni reddit inconcinnam, ſed neque ſic quadrabit Galeni ſenſui, qui de inſtrumentis mutilatis, non integre detruncatis, & ablatis loquitur. Bonus Valeriola, vt ſolet in locis obſcuris, hæc patere ait. Ego quæ mihi venerunt in mentem, in medium attuli. Quod ſi ſcopum non attigero, dedero tamen anſam felicioribus ingenijs eum aſſequendi. Sed his omiſſis ad morbos compoſitionis tranſeamus.

De morbis compoſitionis. Cap. XXVII.

VENIMVS ad vltimum genus morborum inſtrumentalium, quos Gale. lib. de Diff. Morb. cap. 10. morbos compoſitionis uocat, aliter ſumens hanc uocem, quā ſumpſerit Auic. qui per morbos compoſitionis morbos omnes inſtrumentales intelligit: at Galen. hoc in loco quartum & ultimum genus tantum huiuſcemodi morborum, quos Auic. vocat morbos in ſitu.

Diducuntur hi morbi in duas ſpecies, alteram in poſitu, alteram in conſenſu, vel vicinate: in loco illam, in ſocietate hanc vocat Arabum princeps. Morbus in poſitu eſt, cùm partes ſitum, & poſitionem ſuam non retinent, veluti in luxationibus articulorum euenit: cùm enim articuli utplurimum ſint connexiones duorum oſſium, quorum alterius caput in alterius cauum, quod acetabulum uocant, inſeritur: quando caput è cauo egreditur, luxatio eſt, ob quam os à ſuo ſitu excidit, ex quo motus eius membri intercipitur: vocatur ab Hipp. & Gale. ἐξάρθρησις, ἐξάρθρημα, & ἔκπτωσις. Eſt & alia imperfecta luxatio, in qua dimouetur quidem

dem caput articuli à cauo, ſed non prorſus egreditur παράρθρησιν Gale. vocat: commotio vocatur à quibuſdam eius interpretibus: ab aliis ſubluxatio, ab aliis contortio: ſolet hæc omnibus articulis accidere præterquam femoris, & humeri, vt memoriæ prodidit Hippoc. 4. de Artic. context. 1. cùm enim caput femoris, atque humeri rotunda ſint, & ſinus orbiculares, quando à ſua ſede capita illa dimouentur, non poſſunt in lateribus, nec in labris ſinus conſiſtere, quo fit, vt vel iterum loco ſuo recondantur, vel à toto ſinu excidant. Quamobrem mouerunt mihi riſum medici Patauini, & celeberrimi, qui iuriſconſulto cuidam noſtro viro inſigni ſubluxationem in coxendice ineſſe iudicarunt, quam Hippocra. Gale. & rei natura fieri poſſe negant. Deturbantur à ſede ſua aliæ etiam partes, quàm articulorum oſſa: nam in hernioſis inteſtina interdum, interdum omentum ad inguina, & ad ſcrotum deuoluuntur: per magna vulnera abdominis excidunt eadem inteſtina, atque omentum: per vulnera thoracis pulmonum fibræ, tunica etiam rhagoides à cornea procidit: Gale. 1. de Sympt. Cau. ca. 2. humorem chryſtalinum à ſua ſede transferri multis ait modis: cùm enim mediam ſedem in oculo collocatam habeat, interdum transfertur ad magnum angulum, interdum ad paruum, ſurſum etiam quandoque aſcendit, & quandoque deorſum deſcendit. Vitium in ſitu etiam eſt, quando ventriculus diaphragmati incumbit, vt docet Gale. in Ar. Med. c. 87. At morbus conſenſus, vel ſocietatis, vel colligantiæ prouenit, cùm partes, quas coniunctas eſſe oportuit, diiunguntur: aut quas ſeiunctas eſſe par erat, coniunguntur. Galen. 2. de Off. Med. 25. Sicuti, inquit, „ quæcunq; naturali habitu ſunt, vbi cum quibuſdam continuan- „ tur, vel quędam contingunt, amiſſa vnitate, & contactu ægrotare, „ & habere præter naturam dicimus: ita etiam quæ neque conti- „ nuabantur, neq; ſe contingebant, vnitas, & contactus morbo im- „ plicabit. Vnde primum vitium ſolet prouenire, cùm ligamenta, „ quæ duas, aut plures partes ſimul connectunt, nimis intenduntur, aut laxantur, aut etiam abrumpuntur: inde enim euenit, vt partes non amplius apte inter ſe cohæreât, vnde actiones earum partium noxam ſubeunt, quod in articulis euenire poteſt, etiam ſi luxati, aut ſubluxati non ſint, ſed & aliis etiam omnibus partibus, quæ inter ſe per ligamenta coeunt. Vnde interdum maſticatio, & locutio oblæduntur ob linguæ vincula nimis intêta, veluti

in ancylogloſſis,aut nimis laxa.in pene obliquus redditur meatus ob tenſionem ligamentorum : vnde ſic affecti ſobolem gignere haud valent: quia genituram confertim, cito procul, & in directum non iaciunt,vt ſcribit Gal. 15. de Vſu par. cap. 3. Alterum vitium conſenſus iam expoſito contrarium obuenit,quando partes,quas natura diſtare voluit,ſimul connectuntur : veluti cùm labra ſimul adglutinantur,palpebræ,cutis ambiens anum, & os pudendi in mulieribus: obuenit hoc in digitis quandoque, nam ita cohærent, vt à ſe inuicem haud poſſint abduci: atque hoc in vlceribus ſolet euenire: labia enim vlcerum ſimul coaleſcunt, atque ita partes ſuapte natura diiunctas ſimul connectunt. Dices,morbus hic ante quoque deſcriptus eſt, & coalitus vocatus ad cauitates pertinens. Reſpondeo, tunc fuiſſe morbum meatuum ipſorum : nunc eſſe morbum partium meatus ambientium,quem neceſſariò morbus etiam meatuum conſequatur. Hi ſunt morbi compoſitionis de Galeni ſententia, & ab vtero cum fœtu prodeuntes,& editum in lucem corripientes, ſicuti alij fere omnes.

Auic.in ſummis generibus cum Gale.conſentit,ſed longe plures ſpecies horum morborum affert: nam cùm duo prima genera cum Gale. conſtituat,alterum in ſitu vel loco, in ſocietate alterum: morborum ſitus quatuor tradit differentias. Prima eſt, quando membra à ſuis articulis,quos iuncturas uocat, egrediuntur,veluti in luxationibus: ſecunda,quando pars quæpiam ſedem quidem ſuam non deſerens alienam occupat: nam in ramice inteſtina, & omentum non deſerunt ſedem ſuam, quæ eſt intra peritonæum,ad teſtes tamen deſcendunt: tertia, quando membrum mouetur motu nec naturali, nec voluntario, veluti in tremore: quarta, quando partes ita affiguntur loco ſuo, vt dimoueri non poſſint, veluti articuli podagra indurati. Hæ diſtinctiones licèt ingenioſæ, non mihi tamen admodum quadrant. Secunda in primis differentia mihi videtur ſuperuacanea, cùm inter ipſam & primam diſcrimen notatu dignum non percipiam; nam licèt inteſtina tota ſedem ſuam non deſerant,ea tamen pars,quæ in ſcrotum deuoluitur, egreditur è peritonæo, ſicuti oſſium capita ab acetabulis egrediuntur in luxationibus, vel peritonæum etiam ſecum trahit extra propriam ſedem: nec bene vnquam habebit æger,niſi portio inteſtini deſcendentis in ſuum impellatur locum rectius feciſſet,ſi luxationes non integras pro ſecunda differentia

ſta-

ſtatuiſſet,easque non omiſiſſet. Tertia differentia per ſymptoma deſcripta eſt,non per morbi eſſentiam: vnde in tremore, etiam ſi membra modo ſedem ſuam deſerant,modo ad eam reuertantur, & ſit hęc deprauata actio, non morbus, quærentibus nobis morbum,vnde,prouenit,occurret potius morbus ex intemperie, vel obſtructione, quàm morbus in ſitu. Quarta differentia non ad ſitum,ſed ad ſocietatem potius pertinet: nam in huiuſmodi podagra ligamenta replentur craſſis humoribus, quibus ita intenduntur, vt motum impediant: quare ſi ligamentorum vitio id prouenit ad ſocietatem, & colligantiam pertinet: quod ſi neges id intenſione ligamentorum prouenire,ſed ob nodos podagricos, dicam nodos illos eſſe quaſi vincula quædam, quæ partes illas ſimul alligent,ita vt moueri non poſſint. Quidquid ſit, certum eſt, membra tũc aſſeruare ſitum ſuum,immo nimium aſſeruare, cùm inde dimoueri nequeant. Quare nullo pacto affectus hic ad ſitum pertinet. In morbis verò ſocietatis cùm lucem nullam afferat Galeni diſciplinæ,omittendus eſt: ac in uniuerſum in his, ſicuti in alijs morbis Galenum ſequi debemus,nec fruſtra in alijs legendis tempus conterere.

Morbos inſtrumentarios vere eſſe morbos, & qualitates contra Vegam, & Eraſtum. Cap. XXVIII.

EXPLICATIS morbis inſtrumentorum, reſtat, vt quidquid in illis dubij occurrit, enodemus: occurrit autem in primis, quod occurrebat in morbis etiã ſimilarium, morbos hoſce omnes enumeratos non eſſe morbos, ſed morbi cauſas. Primus ex recentioribus Argenterius lib.de Gen. Morb. cap. 2. ſemina iecit huius tam prauæ opinionis, vt oſtendimus in lib. 2. cuius argumento irretitus Vega 1. de Diff. Febr.cap. 1. & 4. in procœmio libri de Vrinis,ac demum lib. 3. de Ar. Med. cap. 1. & 2. eam tutari enixus eſt. Thomas Eraſtus tandem in epiſtolis de Cau.cont. pluribus hanc ſententiam eſt proſecutus: ſed cùm argumẽtum nullũ addiderit,& copia tantũ exemplorum lectorem obruat: eo, & reliquis omiſſis, cum Vega agamus. Ac licet in morbis ex intemperie

perie, & ubi quæſiuimus,nunquid morbus ſit qualitas, an ad aliquid, exploſa iam ſit eius ſententia, denuo tamen eius rationes repetamus,quæ omnia genera morborum à Galeno tradita, non morbos,ſed morborum cauſas eſſe aſtruũt, vt funditus peruerſiſſimum hoc dogma euertatur,quod vt confirmet Vega,nititur ex multis Galeni locis probare,ſanitatem eſſe ſymmetriam, & morbum ametriam: & quoniam hoc totum ei concedendum eſt tanquam ueriſſimum,omittã,quomodo id aſtruat. His poſitis,ſi ſanitas ſymmetria eſt,& morbus ametria,ſequitur,vnam ex qualitatibus non poſſe eſſe ſanitatem, ſed proportionem decentem inter quatuor omnes qualitates ſanitatem eſſe: & contra,ſi morbus eſt ametria, non poteſt exceſſus vnius qualitatis eſſe morbus,ſed improportio, quæ cadit inter omnes qualitates morbus erit: vnde ſequitur qualitatem excedentem non eſſe morbum, ſed cauſam morbi,cùm malæ proportionis ſit author. Idem dixeris de morbis inſtrumentalibus: nam ſi ſanitas inſtrumentorum eſt ſymmetria, & commoderatio partium ſimilarium componentium inſtrumenta,ametria,& immoderatio erit earundem morbus: iſta autem ametria eſt diſproportio,quæ cadit inter omnes partes componentes,unde aucta quantitas alicuius particulæ non poteſt eſſe morbus, ſed potius cauſa morbi, quia cauſa eſt immoderantiæ inter omnes particulas: idem dixeris de quantitate imminuta. Nec ſextus digitus eſt morbus in numero , quia ſextus digitus ametria non eſt, ſed ametriæ cauſa, ametria autem morbus eſt: atque idem tandem demonſtrat in reliquis omnibus morbis, vt apud eum videre eſt. Quòd ſi quis, inquit, neget ſanitatem eſſe ſymmetriam, & morbum ametriam: ac in vna qualitate ſanitatẽ & morbum collocet,ſequetur,morbum & ſanitatem idem eſſe,& differre tantummodo ſecundum magis & minus: pone enim caliditatem moderatam eſſe ſanitatem, atque hanc eandem, ſi plus nimio intendatur,morbum:nonne ſanitas,& morbus erunt eiuſdem ſpeciei,& different tanttm ſecundum magis,& minus?

Cæterùm,cùm uideret,Galenum qualitates ipſas morbos eſſe aſſeuerare,nulla facta mentione ametriæ: caliditatem enim excedentem,frigiditatem,humiditatem,& ſiccitatẽm, & ſolas, & ſimul coniunctas paſſim morbos eſſe dictitat. Non eſt, inquit, quod ipſas morbos eſſe exiſtimet, ſed eis appellationibus vtitur, ad ſignificandũ ſpeciem morbi,nẽpe ametriam,quæ per calorem,

& ame-

& ametriam, quę per frigiditatem: ſic quoque Hipp. & Gal. lapidem veſicæ morbum appellant, non quòd ipſe ametria ſit, ſed quoniam ad ipſum ſequitur mala veſicæ commenſuratio cauitatis, & numeri partium: neque aliter melius potuerunt eam incō menſurationis ſpeciem explicare, quàm lapidis nomine. Hæc ille.

Sciēdum eſt autem, Turiſanum etiam protuliſſe hanc opinionem, ſed confutaſſe lib. 3. comment. 59. cùm enim reuocaſſet in dubium, morbos inſtrumentarios morbos non eſſe, quia non ſunt in prima ſpecie qualitatis, morbus autē eſt prima qualitatis ſpecies: ſic ſoluit. Fortaſſe corrupta figura, corruptus numerus, ſitus, & quantitas non ſunt ægritudines, ſed quædam diſpoſitio accidens membro organico penes has corruptiones dicenda eſt ægritudo, & tunc corruptio figuræ, numeri, quantitatis, & ſitus non erit ægritudo, ſed cauſa: & accidet: ægritudinem nominari à cauſa ſua, ſicut ſæpe nominatur ab accidente. En quàm appoſite & plane opinionem eam deſcribat: ſed ſtatim eam reiicit his verbis. Sed hoc nihil eſt, nam figura permutata eſt immediate lædens operationes, ergo eſt ægritudo. Argumentum hoc Turiſani deſtruit prorſus hanc opinionē, quod cùm animaduerteret Vega, enixus eſt ſeſe ab eo explicare, ſed inuolute, confuſe, inordinate, atque obſcure: quare danda mihi eſt opera rei naturam ſecuto, quid voluerit, diuinare. Ait igitur in morbis temperaturæ intemperiem, quæ eſt qualiratum primarum ametria, primo & per ſe lædere actiones, non autem qualitatem vllam: ſed quia aliquis potuiſſet obiicere, qualitates ſunt, quæ agnnt, iſtæ verò ametriæ, & improportiones nullam vim habent agendi: ipſe reſpondet, ſicuti ſe habet in morbis inſtrumentariis, ita ſeſe habere debet in morbis temperaturæ: ſed in morbis inſtrumentorum non pars ablata, non quantitas diminuta lædunt primo actiones, ſed partium ametria, & immoderantia, ergo & in morbis temperaturæ ametria qualitatum, nō qualitates lędunt actiones. Præterea, inquit, luxatio quomodo vitiat motum partis luxatæ, cùm egreſſum os è cauitate ſua nullam vim habeat agendi, niſi ratione ametriæ ortæ inter membra, ex quibus articulus componitur? Et mirum non ſit, ametrias iſtas lædere actiones, etiam ſi vim agendi non habeant, nam morbi etiam ſi actiones vitient, nullam tamen habent agendi vim: actiones enim emanant à facultatibus: morbi verò facultatibus impedimenta afferunt,

runt,

rũnt, nec vlla indigent vi agendi,nam etiam quæ nullam vim habent agendi, impedimenta poſſunt afferre. Non longe abeas, aquæ quantitas, & denſitas impedit ligni deſcenſum, licèt quantitas, & denſitas nihil agant. Hæc reſponſio probat, ſed inepte, quomodo ametria poſſit actiones impedire, licèt vim agendi non habeat,non tamen diluit Turiſani argumentum, aſſerentis vitiatam figuram eſſe morbum, quia primo lædit actiones: demonſtrandum enim erat vitiatam figuram non lædere actionem, ſed ametriam in figura. Concludi itaquè poteſt Turiſani argumentum opinionem hanc euertere,& deſtruere:nam reuera morbi omnes tam partium ſimilarium, quàm inſtrumentalium hactenus à nobis deſcripti veri ſunt morbi:quippe cùm actiones primo & per ſe lædant. At, inquit, conceſſiſti iam ex Gale. ſanitatem eſſe ſymmetriam, & morbum ametriam: morbi vero enumerati non ſunt ametria, ſed ametriæ cauſa: non ergo ſunt morbi, ſed morbi cauſa: hoc autem patet ex ſe, nam excellens calor non eſt ametria, & mala proportio in temperatura quatuor qualitatum, ſed cauſa, cur inter illas mala ſit proportio: exceſſus quantitatis non eſt mala proportio inſtrumentorum, ſed cauſa, cur inter partes inſtrumentorum cadat mala proportio: nec ſextus digitus eſt mala manus proportio, ſed cauſa potius malę proportionis: ſic os femoris è ſuo cauo egreſſum non eſt mala proportio illius dearticulationis,ſed cauſa,cur inter partes eam conſtituentes indecens proportio ſit. Idem dixeris de reliquis omnibus. Ad hoc reſpondeo, verum eſſe, quod aſſerit Gale. ſanitatem eſſe ſymmetriam quandam, morbum ametriam: ſed quomodo id aſſerat, videndum. Statuit Gale.ſanitatem corporis eſſe mediocritatem, & æqualitatem quandam: morbum verò exceſſum, & defectum,ſicuti virtus etiam animi mediocritas quædam eſt,vitia exceſſus, & defectus: cumque hæc ſcripſerit ad Ariſtot. imitationem, quæ ille 2.Nicomachiorum cap.6.animo attribuit, Gale.ad corpus tranſtulit. Quare ſi difficultatis huius explicationem deſideramus, quæ ibi ſcribit Ariſtot. percurramus. Statuit itaque virtutem eſſe mediocritatem, & qualitatem quandam, cui nihil deſit, nihil ve ſuperſit: vitia verò eſſe exceſſus, & defectus. Ac cùm virtus ea ſit, quæ moderatur perturbationes, & actiones hominis, ſi in his moderandis medium aſſequatur, recte fungetur officio ſuo:medium autem aſſequetur, ſi omnes circun-

ſtantias,

ſtantias, quæ ibi deſcribuntur, adhibeat: in quarum aliqua ſi deficiat, aut redundet, non virtus erit, ſed vitium. Exemplum vnius proponamus, vti rem hanc perſpicuam reddamus. Liberalitas eſt mediocritas quædam in dandis, & accipiendis pecunijs, large ſumendo pecunias cum Ariſtotele. Qui igitur pecunias dat, quibus oportet, quando oportet, quantum oportet, quomodo oportet, id eſt libenter atque animo hilari, & iuſta de cauſa, liberalis eſt: & in hac actione mediocritatem ſeruat: atque hæc omnia, & ſiqua ſunt alia, concurrant ſimul neceſſe eſt ad conſtituendam virtutẽ hanc, à qua multis modis aberrare licet: ac primum in exceſſu, & in defectu, & in vtroque multis modis: nam qui excedat, aut deficiat in vna ex circunſtantijs, incidit in vitium: ſi in pluribus, maius eſt vitium: ſi in omnibus, maius adhuc pro exceſſus, aut defectus ratione. Sed nolo hæc adamuſſim reuocare, cùm mihi ſit ſatis exemplum circunſcribere, quod morbis corporis accommodem. Vitium, quod deficit in exhibendis pecuniis, auaritia dicitur: quod verò excedit, prodigalitas. Hic citra controuerſiã liberalitas eſt ſymmetria, mediocritas, & æquabilitas in erogandis pecuniis, ad quam conſtituendam multa concurrunt: auaritia eſt vitium, quod corrumpit hanc ſymmetriam deficiens in exhibendis pecuniis: prodigalitas etiam vitium eſt, quod mediocritatem hanc euertit, dum plus quàm oporteat, pecunias profundit. Si quis quærat, an auaritia, & prodigalitas ſint ametriæ, aut potius cauſa ametriarum: reſponſio ex ſe plana & perſpicua eſt, vtranque ex his eſſe ametriam: cum enim altera ſit exceſſus, altera defectus, quis non videat eas eſſe ametrias, vel immoderantias? Sed ſi hæc ita ſe habent, ita ſe habent etiam ſanitas & morbi corporis: ac ita ſe habere ſanitatem, & morbos ſimilarium partium, iam demonſtratum eſt lib. 2. ca. præſertim 6. & 12. quare & idem de ſanitate, & morbis inſtrumentalium partium eſt aſſerendum. Ac quæ nam ſymmetria harũ ſanitas ſit, ab huius libri initio eſt demonſtratum: concurrant enim decens conformatio partium componentium, quantitas, numerus, & ſitus oportet, ad earum ſanitatem conſtituendam: ſed quodcunque horum vitium contrahat lædens actiones, erit ametria & morbus: ſunt autem & hic morbi in exceſſu, & defectu in quibuſdam euidentius, in quibuſdam obſcurius. In numero id euidenter apparet: nam aut redundat, aut deficit, veluti in manu, quæ ſana eſt, & recte fungitur

actione ſua, quæ apprehenſio eſt, ſi conſtet ex digitis quinque naturaliter ſe habentibus: verùm ſi ſex habeat digitos, peccat in exceſſu: & exceſſus ille apprehenſionem debilitat: ſi uerò quintus digitus amputetur, peccat in defectu, qui itidem uitiat apprehenſionem. Quod ſi quæras hic, nunquid ſextus digitus, & quinti defectus ſint ametriæ, & immoderantiæ, an potius cauſæ ametriæ, quis non uideat eſſe ametrias ipſas, cùm exceſſus & defectus nomina ſtatim ſecum ametriam afferant? Reliquum eſt, vt demonſtremus Galenum eodem modo cœpiſſe ſymmetriam, & ametriã, quo Ariſtoteles, & res confecta erit. At hoc tam euidens eſt apud Galen. ut poſſint ſtudioſi huius artis admirari, & conqueri de authorum iſtorum ſtupiditate, qui in re plana, & perſpicua difficultates, quaſi nodos in ſcirpis quæritent. Audiamus itaque ipſum 4. Metho. ca. 2. ſic ſcribentem: Quidquid rectum eſt non in
„ animalibus modo, plantisue, uerùm etiam aliis quibuſque id
„ ſemmetrum eſt, mediumque, & omnis uitioſi exceſſus expers:
„ cui enim nec demere quicquam, nec adiicere non partem ali-
„ quam, non qualitatem poſſis, prorſus id recte ſe habet: contra
„ quod demi ſibi aliquid, adiici ue poſtulat, id iam ab optimo ſtatu
„ receſſit, ad quem utique redire aliter non eſt, niſi & quod ſuper-
„ uacuum eſt, tollatur: quod deficiens eſt, adiungatur. Cùm hic
„ Galen. aſſerat quædam in morbis eſſe demenda, proculdubio exceſſum, & nimiam redundantiam ſignificat: ſicuti cùm quædam adiicienda eſſe teſtetur, defectum dat intelligere: & propterea lib. 11. eiuſdem Metho. cap. 12. Laudat definitionem medicinæ traditam ab Hippoc. in lib. de Flatibus, qua aſſeritur medicinam eſſe adiectionem & ablationem: cùm quæ deſunt, addat: quæ ſuperſunt, ademat: His ita conſtitutis, patet ſanitatem eſſe ſymmetriam, & morbum ametriam etiam de ſententia Galeni, non ideo tamen ſequi, numerum deficientem, aut redundantem, quantitatem auctam aut imminutam, decentem aut indecentem conformationem, compoſitionem recte ſe habentem, aut ſecus eſſe cauſas morborum, quia ametriarum cauſæ ſint: neque enim ſunt ametriarum cauſæ, ſed ametriæ ipſæ. Quare recte colligebat Turiſanus hos ueros eſſe morbos, cùm actiones lædant huc accedit etiam indicationem curandi ab his ſumi: atque his ſublatis, aut adiectis, aut emendatis, ſanitatem reſtitui. Nec ſophiſmata illa, quibus ſe turpiſſime Vega implicat, ſententiam hanc infrin-

gendi

gendi uim habent ullam. Morbi eſt, ait, actiones lædere: quę lædunt, uim habent agendi: at quintus digitus amputatus, femur ex coxendicis acetabulo egreſſum nullam habent uim agendi, ergo actiones lædere non poſſunt, non ergo morbi ſunt. Quis ferat has argutiolas in uiro graui, & de arte tam neceſſaria quæ humanæ ſerio ſcribente? Quis non uideat ea etiam, quæ non agant poſſe lædere? immo uerò quia hęc agere non poſſunt, ideo morbi ſunt: ſic enim aut tollunt, aut imminuunt, aut deprauant inſtrumentorum actiones: defectus enim quinti digiti apprehenſionem infirmiorem reddit, & immobilitas femoris itionem intercipit. Quàm futile eſt tandem & argumentum id? ſi qualitas excedens eſſet morbus, ſequeretur, morbum & ſanitatem eſse eiuſdem ſpeciei, & differre tantum ſecundum magis & minus: hoc enim falſiſſimum eſt, quia ſunt ſpecies oppoſitę & contrariæ inter ſe, cum altera ex his qualitatibus naturalis ſit, altera præter naturam: naturale autem & præternaturale contraria ſunt, ut docet Gale. 11. Metho. cap. 12. Sed audio, quid dicat. Sextus digitus morbus non eſt, ſic enim morbus eſset ſubſtantia, femur egreſsum è cauo coxendicis morbus non eſt, quia morbus ſubſtantia eſset: caput acuminatum morbus non eſt, quia ſubſtantia eſset morbus: cùm itaque hæc morbi non ſint, cauſa morborum ſint, neceſse eſt. Reſpondeo, caput quidem acuminatum non eſse morbum, nec cauſam morbi, ſed acumen capitis morbum eſse, cuius cauſæ à Gale. explicantur: ſic femur egreſsum ab acetabulo nego eſse morbum, uel cauſam morbi, ſed egreſſionem femoris ab acetabulo aio eſse morbum ortum à cauſis, quæ ab Hipp. & Gale. traditæ ſunt: idem affirmandum de ſexto digito: neque enim digitus eſt morbus, quatenus digitus, ſed quatenus numerum manui conuenientem excedit. At hoc pacto, inquiet, eſt cauſa morbi cùm cauſa ſit cur numerus excedat. Reſpondeo, non eſſe cauſam numeri excedentis, ſed ipſummet numerum excedentem: numerus autem excedens eſt morbus, & ametria. At, inquiet, ſublato ſexto digito. morbus ſublatus eſt: ergo ſextus digitus erat morbus. Reſpondeo vt prius, morbum fuiſſe, quatenus excedebat numerum: ſublato itaque numero reſtituta eſt ſanitas. Rurſus inſtabit, ſextus digitus non eſt mala diſpoſitio, ſed malæ diſpoſitionis cauſa, ergo cauſa morbi: at quæram ego, quæ nam ſit mala hęc diſpoſitio, nec aliud reſpondebit, quàm numerum

excedentem, vel vitium in numero, quod concedimus & nos.

Arguit & argenterius lib. 1. de Gen. Morb. c. 2. ſi ſextus digitus eſſet morbus, ergo & quintus digitus deficiens eſſet morbus, at hoc negat Gale. qui partis abolitæ morbum eſſe non vult, ſed ſuperſtitis. Reſpondeo, vtrunque eſſe manus morbum, & malam diſpoſitionem, ſiue enim adſit ſextus digitus, manus male eſt diſpoſita, & morbo laborat in numeri exceſſu, ſiue quintus deſit manus adhuc male eſt diſpoſita, & morbo affecta in numeri defectu. Quomodo autem numerus excedens, & deficiens etiam ſint malæ diſpoſitiones, antea eſt declaratum. Mutationem verò ſitus malam eſse diſpoſitionem, nemo tam ſenſuum expers eſt, qui non intelligat. At vt ſemel tandem tam contra eos, qui morbos eſſe ſubſtantias, quantitatesq́; ſentiunt, quàm qui eos eſſe morborum cauſas, concludam, incipiendo à primis inſtrumentalium vſque ad vltimos dico, caput acuminatum, naſum ſimum, crura diſtorta, & alia conſimilia non eſſe morbos, ſed acumen capitis, ſimitatem naſi, & crurium diſtortionem eſſe morbos: atque hæ omnes ſunt diſpoſitiones. Nec figura abſolute morbus eſt, ſed figuræ vitium, atque inconcinnitas, ſicuti nec figura abſolute ſanitas eſt, ſed figura concinna, & ſuo quæque membro congrua.

Præterea non obſtructa vena, ſed obſtructio venæ morbus eſt: & ideo diſpoſitio: nec membrum aſperum aut leue morbus eſt, ſed aſperitas membri, & leuitas, nec aſperitas etiam & leuitas abſolute, ſed praua aſperitas & leuitas, vnde & hæc diſpoſitio. Nec ſextus digitus redundans, aut quintus deficiens morbi ſunt, ſed exceſſus numeri in illo: in hoc defectus ſunt morbi. Nec res toto genere præter naturam redundantes morbi ſunt, ſed redundantia ipſa, quæ ſi actionem impediat, morbus: ſi alium excitet affectum, qui actionem impediat, morbi cauſa. Nec lingua maior, quàm par ſit, eſt morbus, ſed magnitudo inconueniens morbus eſt, vel mala diſpoſitio magnitudinis, nec tandem femur luxatum eſt morbus, ſed femoris luxatio: vnde ſi recte perpendas, omnes hi morbi ſunt diſpoſitiones, cùm vitia ſint. Quod ſi ratione hac nondum percipis, morbos omnes qualitates eſſe, quia diſpoſitiones ſunt omnes, hanc altam addam. Morbus omnis eſt vitium, ergo qualitas: percurre iterum morbos: acumen capitis eſt morbus, non quia figura, ſed quia figuræ vitium, vitium autem figuræ eſt prima qualitatis ſpecies. Quare etiam ſi morbus in figura ſit,

non ideo dixeris morbum eſſe in quarta qualitatis ſpecie: obſtructio eſt morbus in cauitate, quia cauitatis vitium: aſperitas eſt morbus in ſuperficie, quia vitiū eſt ſuperficiei, vel quia ipſiusmet aſperitatis vitium eſt, nam ſi vitioſa non eſſet aſperitas, morbus non eſſet: numerus excedens & deficiens morbi ſunt, quia vitia in numero: magnitudo aucta & diminuta morbi non ratione magnitudinis, ſed vitij in magnitudine: luxatio eſt morbus, quia vitium eſt in ſitu. Quarum autem rerum morbi ſunt vitia, earundem virtutes ſunt ſanitates: cùm itaque ſanitas, & morbus ſint virtus, & vitium corporis, quis non videat iam ſanitatem omnem, omnemque morbum eſſe in prima qualitates ſpecie, vt recte traditum eſt ab Ariſtotele? Quod ſi quis inſtet, hoc pacto non fore vllum inter morbos diſcrimen, cùm omnes ex æquo vitia ſint, dico, hoc eſſe falſum: nam à ſubiecto, cuius ſunt vitia, diſcrimen capiunt, vitium enim figuræ dicimus vitium aſperitatis, vitium lenitatis, vitium cauitatum, vitium numeri, vitium magnitudinis, vitium ſitus, & vitiū hoc mala eſt diſpoſitio: & vitia hæc pleraque ſuis etiam propriis vocantur nominibus, vt ex iam traditis poteſt obſeruari: quare morbi hoc pacto & re, & nomine ſunt diſtincti. Sed tempus eſt, vt rem hanc tandem ad exitum perducamus.

An alia ſint genera morborum inſtrumentalium præter quatuor commemorata. Cap. XXIX.

VBI primum explicauimus morbos ex intemperie de Galeni ſententia, quæſiuimus, an partes ſimilares alijs morbis, quàm ex intemperie vexarentur: inuenimusque Fernelium alia duorum morborum genera addere, alterum materiæ, formæ alterum, quem confutauimus, vnde Galeni decretum ſtabiliuimus, partes ſimilares non habere alios morbos proprios, quàm intemperiem. Quare in præſentia, cùm quatuor genera morborum partibus inſtrumentalibus propria abſoluerimus, videndum eſt, an alii præter hos eſſe poſſint morbi. Et ſanè de ſententia ipſiuſmet Galeni colligi poteſt, alios etiam eſſe inſtrumentorum morbos, quos ex eius methodo inueſtigabimus. Scribit ipſe in Ar. Med. cap. 8. eſſe in corpore tot uitiorum genera, quot ſunt virtutū: at cum in partibus inſtrumētalibus plures ſint virtu-

tes,& perfectiones,à quibus eorum pendet ſanitas, quam decens conformatio,numerus,quantitas,& poſitio, ſequitur plura etiam eſſe debere vitiorum genera : patet id ex lib.de Conſtit.Artis c.3. vbi præter conformationem, numerum, magnitudinem, & poſitionem,eſſentiam etiam partium probe noſcendam eſſe præcipit: cap.5.eiuſdem libri addit ſyntaxim,quæ ordinem ſignificat,nam quod ordo partium in inſtrumentis condendis poſtuletur, ſi non aliunde ex oculo ſanè patet apertiſſime 4. etiam de Vſu partium πλοκὴν addit, & σύμφυσιν, & mutuam partium communionem: ſi hæc probe ſe habentia reddunt corpus ſanum,ſequitur ex Gale. regula,vt vitiata reddant corpus ægrum. At facile hæc diluuntur: cùm enim ait cognoſcendam eſſe partis vniuſcuiuſque eſſentiam, temperamentum intelligit,vt ſe ipſum exponit 1.de Vſu partium cap.9.at ab hoc pendet ſanitas,& morbus ſimilarium tantum, & propterea ad inſtrumentales non pertinet. Cùm verò ſyntaxim addit,intelligit proculdubio poſitionem, & connexum, cùm eorum loco eam vſurpauerit : ſicuti etiam cùm addit complexum, coalitum, & mutuam communionem, omnia referri poſſunt ad conſenſum, atque ideo non opus fuit ex his morborum numerum augeri. Sed quoniam ſyntaxis præter poſitum videtur ordinem innuere: & fuere medici, qui morbos etiam in ordine oriri poſſe affirmarent,vt ſcribit Auer.2.Col.c.5.vbi etiam negat ordinem ſub poſitu comprehendi poſſe, niſi æquiuoce,quia videlicet ſint diuerſorum prædicamentorum, ſequitur,vt extent morbi etiam proprii ex ordine. Ad dubium propoſitum reſpondet ipſe 3. Coll. c. 13. in ordine morbum non eſſe, quia vnicuiq; generi ſanitatis non reſpondet morbus: vnde ſic ait. Aegritudo non ſuperuenit omni generi ſanitatis, ſicuti uidemus in ordine tunicarum oculi,& in maiori parte membrorum officialium,quia in illis ſuperuenit ægritudo ordinis, hoc eſt, ut prius fiat poſterius. Verùm hic adeo animum occupauit in vniuerſalibus, vt ad ea, quæ ſub ſenſum cadunt, non fuerit intentus,& vniuerſalia raro particularibus applicauerit: negat in inſtrumentis ordinem peruerti,& prius fieri, quod erat poſterius: at ne recedamus ab eius exemplo, cùm in ſtaphylomate vlcerato, & aliis etiam morbis vuea procidit extra corneam,nonne ordo peruertitur,& quod poſterius erat, fit prius. Præterea eius reſponſio deſtruit illam Galeni propoſitionem, tot eſſe genera vitiorum, quot virtutum,

quæ

quæ veriſſima eſt: neque hoc exemplum poteſt eam labefactare; nam ſi in ordine partium ſtat inſtrumenti virtus, ab eiuſdem peruerſione orietur eiuſdem vitium: vnde aſſerendum eſt morbum etiam eſſe in ordine, ſed ſub poſitu comprehendi, quod inde euenit, quia cùm partes ordinem peruertunt, ſitum etiam commutant: cùm procidit vuea, ordinem peruertit, quia cùm cornea poſterior eſſet, prior fit, non tamen poteſt ordinem peruertere, niſi ſuo de loco dimoueatur, Dices, cur non uocauit morbos poſitionis, vel ſitus morbos ordinis? Reſpondeo, quia morbus ſitus latius patet, quàm ordinis: vnde fieri non poteſt ordinis peruerſio ſine ſitus mutatione, at ſitus ſæpe immutari poteſt, ordine nou immutatio, ut apparet in luxationibus. Atqui (inquit magnus ille dialecticus) ordo, & ſitus ſunt diuerſorum prædicamentorum, ergo non poteſt ordo ſub ſitu cōplecti, niſi æquiuoce. Certe argumentum hoc ſimile eſt argumento dialectici illius Patauini, qui uocatus ad conſultandum de curatione ægri, qui uiſum amiſerat, ſuum attulit prognoſticum, nō fore ægrum eum uiſionē recuperaturum, quia à priuatione ad habitum non datur regreſſus. Sed reſpondeo ad argumentum non ſequi ex decreto iam conſtituto, ordinem ponendum eſſe ſub ſitu, quia non dixi morbum ordinis, eſſe morbum ſitus: ſed cùm ordo peruertitur, fieri etiam ſitus immutationem, & ideo morbum ordinis non cadere ſub conſiderationem, quia ſi particulæ ordinem deſtituenti ſuus ſitus reddatur, ordo etiam in integrum reſtituetur: quare ſi uoles ſubtiliter omnia proſequi, erunt tunc duo morbi diſtincti, alter ordinis, alter ſitus, ſed quia ille ſine hoc non poteſt, & curationem non euariat, ideo morbus ſitus profertur, & morbus ordinis tacetur. Nolo nunc in eo etiam immorari, quod aſſerat, ordinem in ſitu non eſſe, quia quidquid ſit, decreta noſtra non infringit; dicam tamen, cùm ordo ſit in prædicamento ad aliquid, poſſe in reliquis omnibus prædicamentis reperiri. Præterea cùm uitium in ordine, ſicuti in ſitu ſit mala diſpoſitio, hac ratione uterque eſt prima qualitatis ſpecies. Cæterum, ut tandem finiam, cùm eſſentia partium ad temperamentum pertineat, ordines, communiones, connexus, & uicinitates morbi ſub morbis ſitus, & conſenſus reponantur, recte conſtituit Galen. quatuor tantum genera morborum in organicis.

Cur ſub conformatione Galen. complectatur figuram, cauitates, aſperitatem, & leuitatem. *Cap.* XXX.

ID etiam in his morbis quæſitu dignum eſt, cùr cùm ſex ſint genera diſtincta, Galc. quatuor tantum conſtituerit. Hoc quærere, nihil aliud eſt quærere, quàm cur figuram, cauitates, & ſuperficiẽ ſub conformatione ſit complexus, & non potius in tria genera diſtinxerit. Cùm Patauij docebam, legebam omnes, tam qui in lucem aliquid edidiſſent, quàm quorum ſcripta extarent. Inueni itaque Curtium virum celeberrimum, qui inter primos poſt Leonicenum enixus eſt Galeni dogmata enodare, ſic huic quæſito ſatisfacientem, Galen. 1. de Facult. Natu. c. 5. & 6. ait generationem conſtare ex duabus facultatibus alteratrice, & conformatrice: alteratrix partes conſtituit ſimilares, conformatrix inſtrumentales: ſi alteratrix producit ſimilares omnes, ſequitur, quòd ſub certo numero & determinata magnitudine eas producat, & ſuo quamque in loco: hinc fit, vt numerus, magnitudo, & poſitio ab illa facultate tradantur: at conformatrix effingens partes organicas ex ſimilaribus figuram illis exhibet, cauitateſque opportunas, & in quibuſdam lenem, in quibaſdam aſperam ſuperficiem effingit. Hæc de cauſa Galen. hæc tria ſub conformatione eſt complexus, cùm conformationis opera ſint: & ex nomine ipſo hæc ſententia confirmari poteſt, nam Galen. tam conformationem, de qua nunc agimus, quàm facultatem ipſam formatricem eodem nomine uocat διάπλασιν. Licèt hic vir propius, quàm alii acceſſerit ad veritatem, eam tamen non attigit, immo verò quædam etiam protulit à veritate aliena: nam quòd ſitum partium aſcribat facultati alteratrici, repugnat loco illi, quem adducit ex Gale. aperte aſſerente, ſitum à facultate formatrice partibus exhiberi, & merito, nam ſi conformatrix figuram, & cauitates, lenitatem, & aſperitatem exhibet, quomodo id præſtet, niſi partes ſuo quamque loco diſtribuat? Quod ſi ſitus à conformatrice traditur, cur non & ſitum ſub ea complexus eſt? Aſcribit præterea aſperitatem, & lenitatem conformatrici, cùm tamen Galen. eo loci id apertiſſime neget, ut antea quoque uidimus,

mus, & diximus, quid ſentiendum ſit. Nec verum eſſe puto, à facultate alteratrice numerum, & magnitudinem exhiberi, cùm ad eam pertineat ſubſtantias gignere, & ſecundas ac tertias qualitates: ex ſanguine enim carnes, & viſcera gignit alteratrix, ex ſemine oſſa, cartilagines, & reliquas ſolidas partes, quarum aliæ ſint duræ, aliæ molles, aliæ aſperæ, aliæ lenes: conformatrix autem, ſi inſtrumenta conformare debet, numerum partium concurrentium deligat, neceſſe eſt: ac tandem cùm ad alteratricem pertineant morbi ſimilarium, ab ea produci tantum ſubſtantiam ſimilarium credendum eſt, & qualitates quę à primarum miſtione oriuntur: cùm verò ad conformatricem pertineant morbi inſtrumentorum, rationi conſentaneum eſt, ab hac inſtrumenta condi: & in ijs condendis deligi numerum partium concurrentium: & ſanè Gale. hanc ſolam vocat artificioſam. Præterea, vt ei concedamus, ab alteratrice exhiberi numerum, magnitudinē & ſitum, certe orietur & hęc dubitatio, ſi ſub conformatione collocat figuram, cauitates, aſperitatem, & lenitatem: quia hæc à facultate formatrice exhibentur, cur ſub alteratrice non eſt complexus numerum, & magnitudinem, ac ſitū, ſi ab alteratrice producuntur? Sumus igitur ex hac reſponſione magis, quàm antea inuoluti. Quamobrem enitamur aliquid nos etiam pro nodi huius diſſolutione in medium afferre. Sciendum itaque eſt vnumquodq; animal duplicem formam ſortitum eſſe, internam alteram, & eſſentialem, quam εἶδος Græci vocant: extremam alteram, atque accidentalem, quæ oculis ſubiicitur, & μορφὴ appellatur, de qua Porphyrius in primis verbis de ſpecie, cùm quæreret quot modis τὸ εἶδος, hoc eſt ſpecies vocaretur, μορφὴν primo vocati ait: & Ariſtot. etiam in quarta ſpecie qualitatis eam cum figura collocauit: vnde 2. Phiſ. 11. innuit aliud eſſe μορφὴν, aliud εἶδος τὸ κατὰ τὸν λόγον, quo in loco Simplicius μορφὴν formam ſuperficialem eſſe ait, quæ comprehenditur colore, figura, & magnitudine: & in 4. lib. 15. de ſententia Alexandri μορφὴν eſſe ait eam, quæ circunſcribit, & terminat materiam. Internam formam parum conſiderant medici, ſenſum enim latet, morbis non corripitur: quare nec curationis eget. Externam plurimum obſeruant: ſuam peculiarem hanc totū corpus obtinet, & ſuam etiam quælibet pars: exoritur à lineamentis, & circumſcribitur figura, meatibus, aſperitate, & lenitate: cùm hæc itaque tria contineantur

neantur ſub forma accidentali, & extrinſeca : mirum non eſt, ſi ea ſimul Galenus copulauit : atque hoc ipſe tam euidenter ſcribit, vt nemo hac de re hæſitare debuerit : ait enim in lib. de Differen. Morb. cap. 4. *ἡ προσήκουσα μορφὴ τοῦ μορίου διαφθείρεται ἢ σχῆμα μὴ δέον, ἢ κοιλότητα λαβόντος, ἢ πόρον ἤ τι τούτων ἀπολέσαντος, ὧν εἶναι δέον, ἐκ τούτου τοῦ γένους ἐστὶ καὶ ἡ τραχύτης αὐτοῦ, καὶ ἡ λειότης οὐ προσηκόντως ὑπαλλαττόμεναι.* Corrumpi hanc formam tribus de cauſis ait, ſi figura partis varietur, veluti cùm efficitur naſus ſimus: ſi cauitates opportunas amittat, quod patet in eadem ſimitate nares occludente : ſi aſpera, vel lenis præter habitum naturalem reddatur, veluti in capillorum defluuio, & ſcabie: & ideo non eſt mirum, ſi hæc omnia ſub conformatione collocauit : non quòd hæc tria tantum ab ea facultate efformentur, ſed quòd hæc tria ſola ad formam extrinſecam conſtituendam concurrant.

Argenterius de Gener. Morborum ca. 4. multos alios morbos partium inſtrumentalium eſſe ait : atque ij ſunt ferè, quos Fernelius materię morbos dicebat eſſe: ſed de hoc nihil dicam, quia idem Argenterius capit. 7. refutat hanc opinionem, & licèt in utroque loco in multis mentiatur, cùm aduerſus Galenum haud procedant ea mendacia, ne omnia complecti velle videamur, ea prætermittamus, & ad ea veniamus, quæ magis ad rem noſtram faciunt.

An partes ſimilares morbis inſtrumentalibus vexentur, & inſtrumentariæ ſimilaribus. Cap. XXXI.

POST explicationem morborum partium ſimilarium, & inſtrumentalium, poſt dubia multa, quæ in his morbis occurrunt, illud etiam occurrit conſideratione dignum : nunquid ſimilares partes laborare poſſint morbis inſtrumentalibus iam enarratis, & inſtrumentales morbis ſimilarium, qui erant ex intemperie. Ad primum dubium dico, cùm in partibus ſimilaribus appareat natura inſtrumentaria: nam vnaquæque pars formam ſuam obtinet, quam diximus conſtare ex figura, cauitate, & ſuperficie, obtinet etiam certam magnitudinem, ſi natura hæc in-

ſtrumen-

ſtrumentaria in ſimilaribus apparens morbo afficiatur, dico, inquam, hunc morbum eſſe inſtrumentalem, non ſimilarem, quia naturam occupat inſtrumentalem. Mouent me Ariſtoteles, & Galenus etiam, qui cor, iecur, & alia viſcera quatenus ex propria quadam carne conſtant, quam Eraſiſtratus parenchyma vocabat, ſimilaria eſſe pronunciant: ratione verò figuræ, quam obtinent inſtrumentalia: figuræ enim, magnitudo, & cauitas, etiam ſi ſint in ſimilaribus, naturæ tamen repugnant ſimilarium: nam ſi ſimilare corpus eſt, cuius quælibet particula toti eſt ſimilis, & totius definitione participat non poteſt figura, & magnitudo ad ſimilaris naturam referri: neque enim minima quæque particula eandem figuram, eandemque magnitudinem obtinet, quas totum obtinet. Hinc ſequitur, ſimilares ſolum temperamentum habere proprium, & vnamquamque id eſſe, quod eſt per temperamentum, vt docet Galenus primo de Vſu part. cap.9. vnde ex primo etiam de Facult. Natural. declaratur oſſa, cartilagines, membranas, neruos, ex ſubiecta materia gigni à facultate alteratrice, figuram verò, & cauitates eis exhiberi à formatrice. Ait igitur cap. 5. Generatio non eſt ſimplex quædam naturæ actio, ſed ex alteratione & formatione compoſita. Vt enim gignatur os, neruus, vena, & aliarum partium vnaquæque, alterari oportet ſubiectam ſubſtantiam, ex qua animal gignitur: ut uerò decentem figuram, ſitum, & cauitates quaſdam, adnata, & coalitus, aliaque huiuſmodi obtineant, formari oportet alteraram ſubſtantiam, quam ſi uoces animalis materiam, quemadmodum nauis ligna, & ſtatuæ ceram, non aberrabis.

Fuit hæc etiam Ariſtotelis ſententia, quam fuſius explicat 2. de Gener. An. cap. 4. vbi ſic incipit. Ortus ſimilarium frigore, calore ve agitur: conſiſtunt, coquunturque alia frigido, alia calido. &c. Sed de ſimilarium natura fuſius agemus in ſequenti libro. Cùm hæc ita ſe habeant, ſtatuendum eſt, ſimilarium naturam pendere ab alteratrice facultate tantum, à qua ſuum quodque ſortitur temperamentum: vnde ſoli morbi ex intemperie proprii ſunt ſimilarium: & ſoli hi morbi uocantur ſimilares, ut patet etiam ex Galeno primo de Locis Affec. cap. 2. ubi aſſerit morbos ſimilares cùm primùm generantur, ſuam habere ſubſtantiam, diſſimilaribus verò ſubſtantiam eſſe poſſe generatione poſteriorem: quapropter ſi partes ſimilares in figura, ca-

uitate

uitate, & magnitudine afficiantur, tanquam inſtrumenta afficiuntur: & morbi illi inſtrumentarij ſunt, non ſimilares, idque eo magis, quod inſtrumenta eodem uitio corripiuntur: cùm enim figura ſimilaris alicuius uitiatur, uitiatur etiam totius inſtrumenti figura. Quare ad primum dubium reſpondendum, partes ſimilares morbis inſtrumentalibus laborare,nõ poſſe quod ſi interdum laborare videantur, non laborare quatenus ſimilares, ſed quatenus organicas. Ad alterum dubium videtur eſſe dicendum, omnino partes inſtrumentarias morbis ſimilarium, qui ex intemperie ſunt, uexari: patet id ex actionum læſione: nulla enim eſt inſtrumentorum actio, quæ non poſſit intemperie vitiari: docet id Galenus primo de Symptom. Cauſ. cap. 2. cùm viſionem, quæ oculi eſt actio, intemperie lædi affirmet: quod ſi vnumquodque inſtrumentum conſtat ex multis ſimilaribus, quarum vna tantum eſt opifex actionis ab eo inſtrumento prodeuntis, quando laborant hæ partes omnes intemperie, vel nuda, vel cum affluxu ſubſtantiæ, nonne oblædetur actio illa? Reſpondendum eſt, non eſſe æſtimandos morbos ab actionum læſione, ſed à propria natura, atque eſſentia: vnde quilibet morbus in conformatione, numero, magnitudine, & ſitu, eſt morbus inſtrumentalis, ſiue ſit in parte inſtrumentali, ſiue in ſimilari, ſiue vitiet actionem aliquam communem ſimilaribus, ſiue actionem propriam inſtrumenti: ſic etiam quilibet morbus ex intemperie eſt morbus ſimilaris, ſiue partem aliquam ſimilarem tantum, ſiue totum corripiat inſtrumentum, ſiue actiones proprias ſimilarium uitiet, ſiue inſtrumentorum. Hinc Gale. de Diff. Morb. 13. cùm brachium luxatum, & inflammatum eſt, luxationem morbum eſſe ait totius inſtrumenti primo, inflammationem nõ primo, nec proprie, ſed ex accidenti: quia particulæ, ex quibus compoſitum eſt inſtrumentum, inflammatio per ſe eſt morbus: opthalmiam etiam morbum eſſe per ſe tunicæ agnatæ aſſerit, per accidens verò totius oculi. Sunt itaque diiudicandi morbi ex actionum læſione, licèt enim morbus eſſe non poſſit, qui actionem non lædat, non tamen ſtatuendus eſt inter ſimilares morbos, qui actiones ſimilarium tantum lædat: nec inter inſtrumentales, qui actiones inſtrumentorum tantum uitiet: nam ſi ex actionum læſione uis eos iudicare, fallax & lubricum iudicium eſt: cùm enim actiones omnes primo, & per ſe à ſimilaribus emanent;

nent, ab inſtrumentalibus ſecundariò, & per accidens, vt docet Galenus in libro de Conſtit. Art. cap. quinto, ſi ab actionum læſione morbos æſtimaremus, morbi inſtrumentales nullam per ſe actionem læderent, ſed ſecundario, & per accidens. Morbi igitur, qui naturam ſimilarem, quæ à temperamento ſuam obtinet eſſentiam, corripiunt, morbi ſimilarium uocandi ſunt: qui inſtrumentariam, quæ à ſtructura, & compoſitione eſſentiam deducit, inſtrumentales ſunt. Ad dubium igitur propoſitum dico, morbos ſimilarium corripere quidem tota etiam inſtrumenta ſæpiſſime, videmus enim interdum totam manum, totum oculum inflammatione vexari, non eſſe tamen morbum illum inſtrumentalem, niſi per accidens, quia uexat partes omnes, quibus conſtat inſtrumentum: vnde ſicuti quando ſimilares afficiuntur morbo inſtrumentali, non eſt ille morbus ſimilaris, ſed inſtrumentalis, quia ſimilares occupat quatenus participant natura inſtrumentali: ſic etiam quando inſtrumentales laborant intemperie, intemperies illa non eſt inſtrumentalis morbus, ſed ſimilaris, quia inſtrumēta uexat, quatenus ex ſimilaribus compoſita ſunt. Hinc patet, quantum erret, & fruſtra laboret Eraſtus in quarta parte Paracelſicorum, cùm ex morbis inueſtigat, quæ nam ſint actiones ſimilares, & quæ inſtrumentariæ: ſtatuitq; ratiocinationem eſſe actionem mixtam, id eſt tam ſimilarem, quàm inſtrumentalem, quia morbis ſimilarium, & inſtrumentalium lædatur, quod contra Galenum, & veritatem eſt: cum ea functio à temperatura originem trahat: & licèt morbis inſtrumentalibus oblædatur, non ſequitur, ipſam eſſe actionem inſtrumentalem, vt ex iam viſis deduci licet, & tunc dici poteſt principem facultatem per morbos intemperiei lædit in propria eſſentia: per morbos inſtrumentales impediri tantum, ſicuti aſſerit Galenus de facultate concoquente in ventriculo tertio de Sympto. Cauſ. c. 1. Non ſumunt igitur morbi diſtinctionem à læſione actionum, ſed à ſubiecta natura. At imponamus iam finem morbis inſtrumentarijs, & ad morbos ſolutę vnitatis veniamus, in quorum tractatione, cùm diſputamus aduerſus Argenterium, iterum diſcutiendum erit, quomodo ſimilares organicarum, & organicæ ſimilarium morbis corripiantur.

CO-

COMITIS MONTANI
DE MORBIS SOLVTÆ VNIONIS.
Liber Quintus.

De nomine ac natura huius morbi. Cap. I.

HACTENVS à natura partium duo ſumma morborum genera inuenimus, eorumq; differentias: à natura partium ſimilarium morbum ex intemperie, & ſexdecim eius differentias: à natura inſtrumentalium morbum compoſitionis, vel ſtructuræ, cuius quatuor differentiæ ſunt: atque illi ita proprij ſunt ſimilarium morbi, vt inſtrumentalium eſſe non poſſint: hi ita inſtrumentalium, vt ſimilarium non ſint. Reſtat quærere, an vllum præterea ſit genus morbi quod patebit eadem methodo inueſtigantibus: ſi qua enim erit alia natura, à qua probe ſe habente bonæ prodeant actiones vel ſimilarium, vel inſtrumentalium: & à qua uitiata uitioſæ, tertium hinc genus morborum orietur: verùm eſt natura quædam communis tam ſimilaribus, quàm inſtrumentalibus, à quà bonæ, vel malæ earum prodeunt actiones, atq; hæc eſt earum unio, ac continuitas: eſt igitur & tertium morborum genus non proprium amplius uel his, vel illis, ſed utriſque commune; nam vnaquæque ſimilaris ſuam habet vnionem, & vnumquodque inſtrumentum ſuam, quæ cum culpa caret, vtraq; pars recte agit: cùm verò diſſoluitur, vtraque in agendo oblæditur: atque hinc oritur morbus communis ſimilaribus, & organicis. Ex hac vnitate partibus omnibus communi vnaquæq; pars tam ſimilaris, quàm organica vna eſſe dicitur, vnamq; actionem, vnumq; vſum exhibere: quare cùm diſſoluitur, vna amplius non eſt. Sed cùm multis modis vnum dicatur, teſte Ariſt. 5. Metaph. 8. & ſequentibus, & 10. Metaph. 1. deligamus nos modum eum, qui ſit negotio noſtro accommodatus. Vnum igitur dicitur quod continuum eſt: continuum uere, & proprie eſt, eodem authore

Vnu quot modis dicatur.

thore

thore 5.Phyſ.27.cuius extrema vnum fiunt: id patet in partibus diuiſis,quæ iterum ſimul coniungantur:vnde ſi ſit vulnus in parte aliqua,cuius oræ ſimul coniungantur,conglutinentur, coaleſcãt, & vnum fiant,pars illa,quæ dirempta erat, continua ſit,quia eius extrema vnum facta ſunt. Cæterùm continuum aut arte, aut natura eſt,continuum arte multis fit modis,& potiſſimum quatuor, clauo glutine,contactu, & inſitione: at hæc in præſentia omittamus, & de continuo natura agamus. Continuum natura eſt, cuius motus eſt vnus, & indiuiſibilis tempore: vnde licet linea tam recta, quàm flexa ſint continuæ, recta tamen verius natura continua eſt, quia motus eius vnus eſt, atque indiuiduus: nam cùm flexa angulum habeat, fieri poteſt, vt eius motus ſit ſimul, & non ſimul: quod in membris animalium apparet euidenter,ea enim, quæ dearticulationem non habent, vere ſunt continua, quia eorum motus ſimul fit in inſtanti, & partiri non poteſt: ea verò, quæ articulatione copulantur,licèt continua ſint, non ita tamen exquiſite,quia eorum motus eſt diuiſibilis: ſic tibia ſola per ſe ſumpta vere continua eſt,quia vere eius motus vnus,& indiuiſibilis, cùm pars eius nulla moueri poſſit, quin tota eodem in inſtanti moueatur: ſic femur etiam per ſe ſolum conſideratum proprie continuum eſt:at totum crus non ita proprie, quia flexuram, & articulum habet: vnde motus non eſt vnus atque indiuiſibilis: tibia namque moueri poteſt, immoto femore, & contra femur moueri poteſt,immota tibia. Hinc habetur vnum & continuum idem eſſe. Quamobrem Galen. diligentiſſimus Ariſtotelis imitator morbo, de quo nunc agimus, duo nomina impoſuit,ſolutionem vnionis, & ſolutionem continui, quæ nomina ante eum nemo inuenerat. Sunt quidem apud Hipp. multa nomina ſolutionum particularium,veluti vulnus, vlcus, fractura, ſed generi nomen nullum erat impoſitum: teſtis eſt Galen. ipſe multis in locis, ſed vnum aut alterum adduxiſſe ſatis eſto. In lib. de Conſtit. Ar. cap.6. Verùm ſi quis coalitus,inquit, diſſoluatur,non vitioſa tantum huiuſmodi affectio, ſed iam morbus eſt. Vocetur autem hoc genus doctrinæ illuſtrioris gratia unitatis ſolutio: nihil tamen refert, ſi quis etiam continuitatis ſolutionem uocet. Et in libr. de Cauſ. Morb. ca. 11. Equidem uniuerſum hoc genus nominare conſueui unitatis ſolutionem, aut unitatis corruptionem, aut continui ſolutionem,uel quomodolibet aliter, prout ſperauerim ſermonem

monem auditoribus fore perſpicuum. Quippe maiores noſtri nullum ei nomen, quod ſciam, indiderunt, quamuis ipſius ſpecies quaſdam ſuis nomenclaturis dinotauerint. Nomina hæc fuere à Galeno impoſita rei natura deducta: ſed quoniam hic morbus communis eſt ſimilaribus & organicis, hinc factum eſt, vt medici poſteriores uocauerint etiam morbum in natura communi. Arabes nunc imparis, nunc iuncturæ ſolutionem, vel diuiſionem vocant. Communis eſt hic morbus vtriq; generi partium, non quia ſemper in vtroque genere fit, ſed quia vtrique euenire poteſt. Ex quo fit, vt tribus modis excitari poſſit: primo in ſimilaribus ſeorſum, & per ſe: ſecundo in organicis ſeorſum: tertio in utriſque ſimul. Tres hos modos proſecutus eſt Gale. duobus in locis, & in lib. de Diff. Morb. c. 11. & in lib. de Conſtit. Ar. c. 6.

Quare, & nos ad eius imitationem agemus primò de ſoluta vnione ſimilarium, deinde de ſoluta vnitate inſtrumentalium, tum verò de vtrarumque ſimul ſolutione. Quibus explicatis obiectiones Auerrois perpendemus. Poſtremo ad Argenterium veniemus, qui plura in hoc genere morbi Galeno obiecit, quàm in alio quocunque, ſæpe eum carpens in re, & in verbis, à quibus difficultatibus ſi rectè me explicauero, non parum ne conſecutum eſſe putabo. Sed quoniam differentiæ huius morbi ſumuntur à locis diuiſis, & à cauſa diuidente, explicandum ante omnia eſt, quæ, & quot ſint cauſæ continuum ſoluentes, licèt enim hoc videatur pertinere ad tractatum de cauſis, adeo tamen ſunt in hoc morbi genere cauſæ cum morbo implicatæ, vt ſine quadam vniuerſali cauſarum cognitione differentiæ horum morborum haud poſſint explicari. Propterea de cauſis primo agam, deinde reliqua omnia proſequar eo, quo propoſui ordine.

De cauſis ſoluentibus continuum. Cap. II.

DE cauſis continuum ſoluentibus varie, uariis in locis Galen. eſt locutus. 12. Metho. cap. 7. tres affert, eroſionem, contuſionem, ruptionem, quas ipſe ἀνάβρωσιν, θλάσιν, ῥῆξιν uocat: loquebatur ibi de dolore inteſtinorum proueniente à cauſa interna continuum ſoluente, & ideo prætermiſit τρῶσιν hoc eſt vulnerationem, quam reliquis tribus addiderat in 5. lib. c. 2. quo in loco

cùm

cùm loqueretur de ſolutione continui venarum & arteriarum, eam addidit, quia in eis locum habet. Ex his quatuor cauſis nunc enumeratis quædam ſunt particulares magis, veluti vulneratio & ruptio, atque in cauſas magis vniuerſales referri poſſunt, vt videbimus. Ne itaque fruſtra laboremus, ſequemur cauſarum fontes, quos ponit in Ar.Med.c.80. qui late patent, & ad quamcunq; ſolutionem continui pertinere poſſunt, & ſunt quatuor, ſectio, eroſio, contuſio, tenſio: τομὴν, διάβρωσιν, θλᾶσιν, τάσιν ipſe vocat. Sectio fit à ſecantibus & pungentibus etiam: vnde & vulnera, & puncturæ, de quibus videbimus, à ſecantibus fiunt. Eroſio aut intrinſecus ab ipſo animali prouenit, & cauſa erunt humores vitioſi, acres, & mordaces: aut extrinſecus, & tunc prouenit à validis medicamentis, aut ab igne, authore Gale.4.Metho.cap. 1. Contuſio fit à re graui, & dura. Tenſio prouenit à multis cauſis, & potiſſimum à repletione, qua de cauſa venæ nimis repletæ interdum nimis tenduntur, vnde & diſrumpuntur, ſicuti chordæ muſicorum inſtrumentorum, cum humiditate nimia imbuuntur: flatus etiam uim habet extendendi, & extendendo diſrumpendi, vnde dolia plena muſto efferueſcente quandoque rumpuntur: fit etiã tenſio à ualidis, & vehementibus actionibus, ueluti à vehementi curſu, ſaltu, vociferatione, onerumq; grauiſſimorum geſtatione. Sed quoniam in lib. de Conſti. Ar. & de Diff. Morb. videtur alias cauſas connumerare, quæ ſub his quatuor omnino collocantur, videamus, quomodo id faciendum ſit. Cùm itaq; commemoret pungentia, ſecantia, & vulnerantia, ſciendum omnia ſub ſectione contineri, quam τομὴν, & ἐν τομὴν etiam ipſe uocat: diuulſio etiam commemoratur, & ruptio, quæ à diuellentibus, & rumpentibus eueniunt: cùm autem hæc per tenſionem fiant, ſub tenſione ſunt collocanda. Statuantur itaque hæ quatuor ſolutæ unionis communiſsimæ cauſæ, ſectio, eroſio, contusio, tensio.

De partibus ſimilaribus, & primum de nomine. Cap. III.

CVM cauſas continuitatem vel vnitatem diſſoluentes explicauerimus, ordinis ratio ferebat, vt iam cauſas iſtas partibus ſimilaribus applicaremus, ut inde differentias huius morbi inueniremus: ſed quo id commodius fiat, par eſt de partium ſimilarium natura prius differere. Et licèt hæc tractatio opportunius tranſigi uidebatur, antequam ageremus de morbis ex intemperie, qui morbus eſt proprius partibus ſimilaribus, hoc tamen uerũ non eſt: ſatis enim fuit tunc naturam, eſſentiam, & compoſitionem partium ſimilarium in uniuerſum tradere, quippe quæ ſit morbis earum propriis ualde conueniens, cùm ſit temperies ex quatuor elementis, & morbi ſint intemperies ipſæ: & quacunque in parte eueniat, eadem eſt, & eodem vocatur nomine: at ſolutio continui à partibus nominum diuerſitatem ſortitur, ideoque tractatio hæc uidetur hoc in loco eſſe opportunior, atque idonea magis. Ad rem itaque iam aggrediamur: ac primum quidem nomen harum partium explicemus, deinde naturam, tum verò numerum, poſtremò difficultates, quæ ex numero oriuntur.

Quantum ad nomen, poſſunt hæ partes communiſsimo nomine ſimplices, & incompoſitæ uocari, vt quæ ex nullis aliis partibus ſub ſenſum cadentibus componantur: vnde & Ariſtot. 1. de Hiſt. An. c. 1. incompoſitas eas vocat. At Plato, & idem Ariſto. nominibus magis propriis eas uocauerunt, ſit author eſt Gale. in lib. Quod an. mo. cor. temp. ſeq. c. 3. ille πρωτόγονα vocauit, quaſi primæ ſint, quæ generentur: hic ὁμοιομερῆ, id eſt, quæ conſtent ex partibus inter ſe ſimilibus, Gaza ſimilares eſt interpretatus.

Admirabitur fortaſſe quiſpiam, Galenum loco nunc citato, & in præfatione in lib. de Nat. Hum. authorem facere Ariſtot. huius apoellationis, cùm Anaxagoras Ariſtotele antiquior, vt patet ex Ariſt. in 1. Phyſ. ſimilaria hęc introduxerit, & rerum omniũ principia conſtituerit: vnde diuinus non minus poeta, quàm philoſophus Lucretius ſic cecinit.

" Nunc & Anaxagorę ſcrutemur homęomeriam,
" Quam Gręci memorant, nec noſtra dicere lingua
" Concedit nobis patrii ſermonis egeſtas:

Sed

Sed tamen ipſam rem facile eſt exponere verbis. „
Principio rerum quam dicit homœomeriam „
Oſſa videlicet è pauxillis,atque minutis „
Oſſibus, & ſic de pauxillis,atque minutis „
Viſceribus viſcus gigni, ſanguemque creari „
Sanguinis inter ſe multis coeuntibus guttis.&c. „

Poſſumus dicere, ſtatuiſſe quidem Anaxagoram oſſa ex minutiſſimis particulis oſſium, & cartilagines ex minutiſſimis cartilaginum portiunculis, & tandem vnamquanque aliam rem ex minutis quibuſdam ramentis inter ſe ſimilibus, atque in vnum con uenientibus componi, non tamen appellauiſſe minutas has portiones eo nomine, ſed primùm Ariſtotelem id nominis inueniſſe, quod eo poſteriores ſunt amplexati: atque id conſtat ex Simplicio in 1.Phy.32. vbi de hac materia tractans multa verba Anaxagoræ ex libris de Natura adducit, in quibus licet minimas illas particulas, quas rerum principia conſtituebat, ſæpe nominet, nunquam tamen ſimilares, ſed ſemper rerum ſemina appellat.

Dicendum eſt igitur non erraſſe Galenum, cùm aſſeruit huius nominis inuentorem fuiſſe Ariſtotelem,non Anaxagoram. Atque hæc etiam inde cōfirmantur, quia ſi Anaxagoras eo nomine vſus eſſet,Plato qui ſæpe eius decreta increpat, vocem hanc cognouiſſet: nunquam tamen eius meminit.Lucretius autem decreta quidem Anaxagoræ expoſuit,ſed vocibus vſus eſt Ariſtotelicis.

Solet Gale.ipſe has partes elementa etiam ſenſibilia uocare, vt licet uidere 1. de Elementis cap. 6. & 8. cum enim ab initio eius libri dixiſſet,elementum eſſe minimam,& ſimpliciſſimam cuiuſq; rei particulam, admonet non eſſe has particulas ad ſenſum diiudicandas, cùm multa ad ſenſum minima,& ſimpliciſſima uideantur,elementa tamen non ſint, veluti in medicamento cephalico, quod conficitur ex multis medicamentis in puluerem redactis, ſimulque commiſti:s vnusquiſque enim puluiſculus minimus eſt, & ſimpliciſſimus,non tamen elementum, ſic etiam in corpore humano oſſa, cartilagines, ligamenta ad ſenſum quidem ſimpliciſſima ſunt,non tamen uere elementa ſunt, nihilominus elementa ſenſibilia appellantur, quia ſi ſenſui iudicium committatur, elementa uidebuntur. Vocatur hæ partes à Galeno 8. de Decret. Hippocr.& Plat.cap.4.primæ etiam & ſimplices partes, & prima ac ſimplicia corpora. Poſſunt itaque partes hæ cum ueteribus

 philo-

philoſophis, & medicis vocari ſimplices, incompoſitæ, primogeniæ, ſimilares, elementa ſenſibilia, primæ partes, & prima corpora.

De natura, & eſſentia partium ſimilarium. Cap. IIII.

HARVM naturam ita deſcribit Galen. in eo primo de Elementis cap.8. ſenſibilia elementa ſunt, quorum vniuerſæ particulæ eandem omnino formam retinent: atque id patet ad ſenſum: ſi enim ſumatur os, & multas in partes diuidatur, vnaquæque pars eandem formam retinebit, immo verò vnaquæque pars os erit: & ideo 8. de Decr. Hippoc.& Plat.ca.4.ab Ariſtot.ſimilares fuiſſe vocatas ait, quòd omnes earum particulę tum inter ſe, tum toti ſint ſimilares, vt rectè dixerint Ammonius, & alii Græci Ariſtotelis expoſitores, partes ſimilares eas eſſe, quæ nomine, & definitione totius participant, atque hac de cauſa differunt à partibus diſsimilaribus, & organicis: nam harum partes nomine totius haud vocantur, immo verò nomine carent, vt teſtatur Teophr. 1. de Hiſt. Plant. cap.2. nam ſi faciem diuidas, manum, & pedem, tantum abeſt, vt partes illæ uocentur facies, manus, & pes, ut ne ullum quidem nomen ſortiantur: niſi diuiſio perueniat vſque ad minimas, & ſimilares. De his latiſsime egit Ariſt. quamplurimis in locis: primo de Hiſt. An cap. primo, ſecundo de Partibus cap. primo, & ſecundo de Gener. Animal. cap. quarto: ſed quarto Meteor. cap. decimo latius, ubi ſtatuit metalla omnia eſſe ſimilaria aurum, argentum, ſtamnum, æs, & conſimilia: quippe cùm vnaquæque auri particula aurum ſit, & appelletur. In plantis etiam reperiuntur ueluti lignum, cortex, medulla, folium, & alia huiuſmodi: nam vnumquodque ramentum ligni, lignum uocatur, & eſt.

De partibus animantium taceo, cùm multa iam prolata ſint exempla.

De

De numero partium ſimilarium humani corporis ex Galeno. Cap. V.

QVOT numero ſint ſimilares partes, magna eſt diſſenſio inter ſcriptores Ariſtoto.præſertim, Galen. Auic.& Auer.immo Galen. ipſe in hoc non rarò à ſe ipſo diſſentit. Ego cæteris in præſentia omiſſis, Galeni ſententiam diſcutiam. Hic in procœm. de Nat.Hum.ſeptem enumerat,de quibus nulla videtur eſſe dubitatio, & ſunt hæ. Oſſa, cartilagines, ligamenta, membranæ, fibræ. Cum autem fibræ apud medicos & philoſophos duo ſignificent, vt colligitur ex Ariſtot.3.de Hiſt.An.c.6. primò partes quaſdam tenuiſſimas partium ſolidarum, quæ ſunt veluti fila quædam, vnde & commode fila, vel filamenta vocari poſſent: ſecundò partem quandam terreſtrem, & craſſam ſanguinis, ob quam ſanguis cogitur, & concreſcit: fibras hic primo modo capimus, quas Arabum interpretes villos etiam vocant: ſexta pars eſt pinguedo, ſeptima caro: hæc autem eſt multiplex: ſed vere & proprie caro dicitur, ex qua fibris intertexta muſculi conſtituuntur: dicitur etiam caro viſcerum ſubſtantia, veluti cordis, hepatis, pulmonũ, lienis, renum, quam tamen Eraſiſtratus non carnem, ſed παρέγχυμα vocabat, cuius appellationis rationem hanc reddit Galen. 11. de Simpl.Med.cap.1. quòd putaret vir ille in generatione viſcerum ſanguinem effundi extra venas,& circa ipſas concreſcere, ac coagulari, ex eo concreto viſcera conſtitui. Parenchyma igitur quaſi affuſio quædam uocabatur, quam ſententiam fortaſſe Eraſiſtratus à præceptore Ariſtotele eſt mutuatus, qui 2.de Part. Animal.cap. 1.cùm uiſcera ex materia ſanguinea conſtare aſſereret, cor, quia fons eſſet, & principium generandi ſanguinis: reliqua, quia iaceãt ad meatus uenarum,atq; intercapedines, unde ſunt ueluti profuſiones ſanguinis per uenas fluentis: procheumata ipſe uocat, quæ uox idem fere ſignificat, quod uox parenchymata. Ad hæc eſt caro quædam aliarum etiam partium ſuſtantia, ueluti inteſtinorum, uentriculi, uenarum, arteriarumque,ut admonet Gale.10.Metho.cap.11. In ſingulis,inquit, ſimplicium „ ac primarum,quas uocant partium, alia portio ſubſtantię earum „ eſt ueluti fibroſa, alia membranoſa, alia carnoſa, ſicuti exempli „

» cauſa, cùm uena vnam tunicam habeat, & eam tenuem, licèt fi-
» bras in ea inuenire multas, quæ ſint araneoſis quibuſdam interſi-
» tis conteſtæ, quibus utriſque ipſa propria uenę ſubſtantia adna-
» ſcitur. Hæc alia in aliis partibus habetur, nec ullum commune no
» men eſt nacta: cæterum docendi cauſa nihil uetat, eam carnoſam
» ſubſtantiam uoces. Hinc 6. Epid. ſec. 6. comment. 25. Ac carnem
» quidem, inquit, appellat Hipp. non ſolum eam, quæ muſculos ef-
» ficit, ſed eam quoque, ex qua inteſtina, & ueſica conſtant, ſi quidē
unaquæq; particula ex carne ſibi idonea conflata eſt. Commendandus eſt locus hic memoriæ, quia eo utemur in progreſſu ſermonis ad multos difficiles nodos explicandos. Atque hæc de ſeptem partibus ſimilaribus. Hunc eundem numerum recepit Galen. in lib. de Partibus Ar. Med. c. 3. ſi rectè legatur ille locus: proferam eum, vt iacet, & oſtendam, qnibus abſurdis urgeatur, deinde corrigam. Cùm mentionem feciſſet Galen. minimarum particularum, quas ſenſibilia etiam elementa uocari aſſeruit: ſub-
» dit ſtatim. Huius generis ſunt fibræ, è quibus unumquodque in-
» ſtrumentorum contextum eſt, ſicuti arterię, uenæ, nerui, inteſtina,
» uentriculus, uterus, ueſica: hæc enim omnia è tunicis conſtant,
» quæ ex huiuſcemodi fibris contextæ ſunt. Ex his etiam fibris
» ſunt membranæ, ligamenta, & caro, tum ea, quæ ſimplex eſt, tum
» etiam illa, quæ eſt unicuique uiſceri peculiaris, quamq; nonnulli
» parenchyma appellant, quaſi affuſionem quandam dixeris: & eun
» dem ordinem cum his ſeruant os, chartilago, adepsq́ue, ac cætera,
» quæ eiuſcemodi ſunt, quæ poteſt merito quis noſtri corporis ſen-
» ſilia elementa appellare. In his uerbis Galen. proculdubio contradictionem implicat, cùm membranas, ligamenta, carnem ſimplicem, oſſa, cartilagines, & adipem ſenſibilia elementa eſſe teſtetur, & ex fibris eſſe contexta: nam ſi ex fibris ſunt contexta, ſimilaria & ſenſibilia elementa non ſunt. Præterea multa mendacia profert, cùm ex his nullum ſit è fibris contextum, ac ut de aliis taceam, de quibus aliquod poteſt eſſe dubium, certe caro ſimplex è fibris contenta non eſt, nam carnem ſimplicem intelligimus eam, quæ à fibris abiuncta eſt: oſſa uerò, cartilagines, & adipem, quis ex fibris conſtare aſſerat?

Ex hac ſerie orationis id præterea conſequitur abſurdi, quòd ſolæ fibræ erunt ſimilares, & ſenſibilia elementa contra ueritatem & ſententiam Galeni paſſim celebratam, & eodem etiam in loco,

Error à nouis iſtis Galeni correctoribus emanauit, qui locum eum haud percipientes vna tantum immutata particula, totum eum deprauarunt: vbi enim legitur [Ex his etiam fibris] præpoſitio illa [Ex] totum huius loci ſenſum corrumpit: & cùm codice Græco careamus, ex barbara & antiqua trallatione pro [Ex] reponendum eſt [Cum] & ſenſus erit ueriſſimus, atque apertiſſimus, eundemque numerum partium ſimilarium habebimus. quem haauimus ex præfatione in lib. de Nat. Hum. & omnia euitabimus abſurda.

Difficultas in Galeno de partibus ſimilaribus. Cap. VI.

EX duobus his locis conſentientibus colligitur partes ſimilares eſſe ſeptem: ſed cùm in loco ultimo poſt earum enumerationem addat ea verba. E cętera, quæ huiuſmodi ſunt, indicat, alias etiam eſſe partes ſimilares. Vnde 1. de Elementis cap. 6. alias quatuor addit, vngues, capillos, medullam, & neruos: in lib. verò de Inæquali Intemperie c. 2. addit tendines, & cutim. Neque ideo dicendum, Galenum ſibi haud conſentire, cùm in nullo ex his locis ſit ei propoſitum, partes omnes ſimilares deſcribere: quare non eſt mirum, ſi alibi plures commemorat, alibi pauciores. In eo tamen à ſe ipſo diſſentit, quòd in libr. de Partib. neruos inter partes inſtrumentarias enumerat, in aliis uerò locis inter ſimilares: & in eo etiam, quòd in lib. de Partibus venas, & arterias inſtrumentarias partes eſſe ait: & in lib. de Inæquali Intẽp. eas à ſimilaribus excipit, addita etiam ratione, quòd ſimilares non poſſint in aliam ſpeciem diuidi, venæ verò, & arteriæ in fibras & membranas diuidantur: 2. tamen de Elementis c. 1. venas, & arterias inter ſimilares reponit, idemque affirmat in lib. de Differ. Morb. cap. 3. Nec mirum fortaſſe fuerit, eum variis in libris haud conſentire ſibi ipſi, cùm hominis memoria ſit infirma: mirum tamen videtur, quòd in hoc eodem libro cap. 3. venam, & arteriam ſimilares uocet: cap. verò ſequenti eiuſdem libri eas unà cum muſculis ex primis inſtrumentis eſſe conſtituat: qua etiam in re non uidetur ſibi conſtare: ſi namque ex priote libro de Motu Muſculorum cap. 1. muſculi conditi ſunt ex fibris, carne, neruis, ue-

nis, & arteriis, quomodo poſſunt venæ, & arteriæ in eodem ordine inſtrumentorum cum muſculis collocari? magis ſanè conſentaneum videretur, venas, arterias, & neruos primum genus inſtrumentorum ſtatuere, muſculos ſecundum: at hæc difficultas eſt leuior, facileque diſſoluitur ex Galeni verbis, aſſerentis non fuiſſe ſibi tunc propoſitum diſcutere, quæ nam prima exquiſite, quæ ſecunda, quæ tertia, aut quarta eſſent inſtrumenta. Implicatior eſt nodus alter, qui plurimos torſit, dum quęrerent, quomodo nerui, venæ, & arteriæ interdum inter ſimilares; interdum inter inſtrumentarias collocentur.

Argenterij ſolutio, & confutatio. Cap. VII.

ARGENTERIVS in Ar. Med. Galeni c. 8. multa præclare ſcripſit de partibus ſimilaribus: propoſitam verò difficultatem hoc pacto ſuſtulit: quod Galen. pro parte ſimilari interdum materiam, interdum formam intelligat. Quando itaque venam, arteriam, neruumque inter ſimilares enumerat, materiam earum partium: quando verò eaſdem inter diſſimilares, & organicas collocat, formam earundem intelligit: cùm itaque partes hæ poſſint uariis rationibus eſſe ſimilares, & diſſimilares, non eſt mirum, Galenum quaſdam ex ipſis modo inter ſimilares, modo inter diſſimilares reponere. Multa exempla à rebus artificialibus ſumpta id ſub oculos ſubiicere poſſunt: enſis, ſecuris, & alia id genus infinita inſtrumenta ratione materiæ ſimilaria ſunt: ratione formæ & figuræ inſtrumenta: ferrum enim, ex quo conſtant, ſimilare eſt, unde quamcunque partem ſumas, ferrum erit: ratione uerò formæ & figuræ, hęc ſunt diſſimilaria: nam ſi in partes diuidas, non ſeruant eandem formam, & figuram, nec inter ſe, nec cum toto. Confirmantur hæc ex Ariſtot. qui 2. de Part. Anim. in calce cap. 1. cor, iecur, lienem, & reliqua uiſcera ſimilaria eſſe decreuit, conſiderata materia, è qua conſtant, quippe quæ in partes inter ſe ſimiles diuiditur: conſiderata verò figura, diſſimilaria. Verùm licèt hæc ſolutio propoſitam difficultatem prima facie videatur explicare, ſi recte tamē eam conſideres, implicat potius, quàm explicat: atque, vt hæc recte intelligantur, legenda ſunt, quæ demonſtrauimus lib. 4. cap. 35. quando decla-

rauimus, qui nam vere ſint ſimilarium morbi, & qui diſſimilariũ.

Viſum igitur eſt ibi ex Gale. duas concurrere facultates ad componendas partes corporis, alteratricem alteram, formatricem alteram: formatricem exhibere numerum, magnitudinem, figuram cauitates, & ſitum, alteratricem eſſentiam tantum, quod vt facile percipiatur, vtamur pro exemplo eſſe femoris. In hoc generando facultas alteratrix qualitatibus primis agens in partem magis terreſtrem ſeminis genitalis compactiorem, & duriorem ipſam reddit, donec fiat ſubſtantia quædam oſſea, quæ eadem vbique eſt in oſſe femoris, in oſſe tibiæ, in oſſe humeri, & reliquis omnibus, & propterea uere eſt ſimilaris: at facultas formatrix hanc eandem materiam in longum producit, tornat in rotunditatem, excauat, capita, proceſſus, & appendices adiungit, certo in ſitu collocat, & tandem eam exhibet figuram, quam obtinet.

Hoc os ita conditum, & collocatum diſſimilare, & ſimilare nullo pacto eſſe poteſt: nam ſi diuidas partes inter ſe, & cum toto non ſeruabunt aliquam ſimilitudinem: quomodo.n. ſeruent eandem magnitudinem, eundem ſitum, eandem cauitatem, & eandẽ figuram? Hinc fit, ſi hoc os priore modo conſideratum morbo corripiatur, morbum illum ſemper eſſe ſimilaris, & ad intemperiem pertinere: ſecundo verò modo conſideratum ſemper in morbos inſtrumentales incidere. Cùm itaque partes ſimilares ſint ſemper ratione materiæ, ex qua conſtant, quæ in quocunque membro extet, eadem eſt ſemper: hinc neceſſario euenit, vt hęc materia, ſit ſimplex, ac eius diuiſio ſemper in partes ſibi ipſis, & toti ſimiles celebretur: ex quo fit, vt vena, arteria, neruus nullo pacto poſsint eſſe ſimilares nec ratione formæ, quod ipſe etiam negat Argenterius: nec ratione materiæ: cum materia hæc ſimplex non ſit, & ex conſequenti in partes diſsimiles diuidatur, quod omnibus manifeſtum eſt, conſiderantibus harum partium conſtitutionem. Reiicienda eſt igitur ſolutio hæc. Ad exemplum enſis, ſecuris, & aliorum inſtrumentorum artificialium dicas, eam diſtinctionem locum habere, eſſeque ea ratione formæ & figuræ uere diſsimilaria, ratione uerò materiæ uere ſimilaria, quia materia illa ſimplex eſt, ideo in partes vniformes diuiditur: unde in partibus corporis uere ſimilaribus eadem diſtinctio recte procederet: oſſa enim femoris, tibiæ, humeri, & reliquorum omnium membrorum, membrana ſuccingens, peritoneum, & re-

liquæ membranæ omnes ratione materiæ ueræ ſunt ſimilares: ra tione uerò formæ,& figuræ veræ diſſimilares,& organicæ. Idem dixeris de reliquis ſimilaribus,de quibus nulla eſt dubitatio,cùm ex ſimplici materia conſtent. Ad Ariſtot. authoritatem dicas, ſi capiatur propria viſcerum ſubſtantia per ſe ſola, eam uere eſſe ſimplicem,& ſimilarem : ratione verò formæ,& figuræ diſſimilarem & organicam : ſic verò eſſe capiendam docet Gale. 1. de Facult. Nat. cap. 6. qui locus cùm aptiſſimus ſit ad oſtendendum partium ſimilarium naturam, adducendus eſt. Cùm itaque multarum partium ſimilarium mentionem feciſſet, hæc addit. Eſt huius generis,& quæ propria iecinoris eſt caro : nec minus, quæ lienis, renum, pulmonis, & cordis : iam cerebri ipſius proprium corpus,ventriculiq́ue, gulæ, inteſtinorum, & vteri ſenſibile elementum eſt, præterea ſimilare, ſimplexq́ue, ac compoſitionis expers: ſi namque ex ſingulis eorum inſtrumentorum venas,neruos,& arterias exemeris, reliquum corpus, quatenus ſenſu animaduerti licèt,ſimplicex, elementareq́ue eſt. Hinc patet, viſcerum ſubſtantiam per ſe ſolam vere eſſe ſimilarem : vnde in partes ſibi ipſis, & toti ſimiles diuiditur, quod ſimilarium naturã cõſtituit. Non hinc tamen ſequitur, uenas, arterias, & neruos ratione materiæ eſſe ſimilares,quia non conſtant ex ſimplici materia,quæ in partes eiuſdem ſpeciei diuidatur. Eſt igitur hæc Argenterii ſolutio reiicienda.

Fuchſij,& Chriſtophori à Vega reſponſio. Cap. VIII.

FVCHSIVS exponens cap. 3. de Diff. Morb. ait, partium ſimilariũ duas eſſe differentias: aliæ enim ſunt,quarum vniuerſę particulæ eiuſdem inuicem ſpeciei ſunt,atque reuera ſimilares ſunt,de quibus locutus eſt Gal. 1. de ęlen. c. 6. aliæ non reuera, & natura ſimilares,ſed tales ſenſuum iudicio apparent,ſic ſtatuente ipſomet Gale. in lib. de Opt. corp. conſtit. c. 2. Partes,inquit,ſimilares nominantur ad ſenſum, videlicet ſimplices. Et in eodem loco de Dif. Morb. nunc citato,ait. Partes inſtrumentales ex aliis eſſe conſtitutas, quę ſenſus iudicio ſimplices videntur. Primo modo uenæ,& arteriæ ſimilares eſſe non poſſunt: ſecundo modo eſſe poſſunt: cùm itaque Galen. eas neget eſſe ſimilares, rei natu-

ram

ram reſpicit: cùm eſſe affirmat, ſenſum ſequitur. Confirmatur hoc ex eodem Gale.eodem lib.de Morb.Diff.cap.4.vbi cùm ſtatuiſſet, nolle ſe tunc de inſtrumentorum ordine, ac differentiis diſputare, ſubdit. In præſentia non opus eſt tam exquiſito ſermone.Hoc vnum conſideres velim,ſimplex ne ſit particula,quatenus ſenſus iudicat,an compoſita: & hac de cauſa Galen.paſſim vocat partes ſimilares elementa ſenſibilia, quia ſenſus iudicio in alias ſpecies diuidi non queant. Hæc eadem tradidit Fuchſius 1.etiam Inſtit.ſect.5.ca.1. Conciliata hoc pacto repugnantia in Galeni ſententiis Fuchſ. docet, quæ nam ſint rectæ partium ſimilarium definitiones, quæ ſecus: cùm enim multæ ſint, eas comprobat, quæ vtranque diſtinctionem ſimilarium nunc traditam amplectuntur:eas damnat, quæ ad veras tantum ſimilares pertinent: & ideo laudat definitionem traditam ab Ariſtot. 1.de Hiſt. Animal.c.1. Partes ſimplices ſunt, quæ in partes ſibi ſimiles diuiduntur:& traditam à Gale.1.Metho.c.6. Partes ſimilares ſunt, quæ vndique in ſibi ſimiles diuiduntur. Quòd hæ definitiones complectantur,veras ſimilares,nemo negauerit:nam membranę, & oſſa,quæ veræ ſimilares, ſunt diuiduntur in partes ſibi ſimiles: quòd complectantur etiam ſimilares, ita duntaxat ad ſenſum apparentes, affirmat Fuchſ.his verbis. Omnes enim venæ, & arteriæ partes toti venæ, & arteriæ, & mutuo ſibi ſimiles ſunt, damnat verò definitionem illam. Similares partes ſunt, quarum omnes partes eiuſdem inuicem ſpeciei exiſtunt: & illam, quarum omnes particulæ eiuſdem ſpeciei cum toto exiſtunt:quia vtraque ex his definitionibus excludit ſimilares ad ſenſum. Hæc Fuchſ.

At Chriſtophorus à Vega 1.de Ar.Med.in prin.c.3.illud primum reprehendit in Fuchſio, quod eas tãtum ſtatuat eſſe ſimilares,quæ reuera tales ſunt,vt non habeant ex diuerſis conſtitutionem:nam oſſa hoc pacto,quæ vere ſimilaria ſunt,non erunt ſimilaria,quippe cùm ex quatuor compoſita ſint elementis,quæ inter ſe diuerſa ſunt:& licet hæc diuerſitas ad ſenſum non appareat,reuera tamen eam ineſſe, nemo negauerit. Vir hic multum ſibi glorię comparari putabat,ſiquam anſam nanciſcebatur, Fuchſiũ virum celeberrimum carpendi, qua auiditate obcęcatus ſępe fędiſsime labitur, vt hoc in loco: neque enim negat Fuchſius veras ſimilares ex diuerſis eſſe compoſitas,ſed in partes diuerſas diuidi poſſe, vt vis ſolutionis ab eo traditæ ſit huiuſmodi.Venæ & arte-

riæ,

riæ, ſi ſenſuum iudicio committantur, ſimilares apparent: videntur enim compoſitæ eſſe ex vno tantum corpore vniformi, & vndequaque ſimili: ſed ſi ad anatomen confugias, atque eas diuidas, inuenies eas ex fibris, carne propria, & membranis conſtare, quæ parte ſunt diuerſæ: at vere ſimilares ueluti oſſa, & membranæ, & ad ſenſum partes obtinent nullam diuerſitatem habentes, & ad anatomes examen: quomodocunq; enim diſſeces, nullã diuerſitatẽ in partibus reperies: unumquodque enim ramentum oſſis erit os, & unumquodque ramentum membranę, membrana, & numquam diuiſio hæc uim habebit ſeparandi elementa, ut alia pars oſſis, & membranę ſit ignis, alia terra, alia aqua, alia aer. Quare etiam ſi conſtẽt ex his elementis inter ſe diuerſis, ea tamen ad ſenſum non apparent: & ideo obiectio hæc uana eſt, & extra propoſitum. Ait præterea Vega Galenum in lib. de Inæq. Intẽp. aſſerere venas, & arterias non ſolum reuera, ſed ad ſenſum etiam eſſe cõpoſitas, cùm tales eſſe ex anatome apparere affirmet: quæ uerò ex anatome apparent, ſenſui nota ſunt. Idem confirmat ex Gale. 10. Meth. c. vlt. nam & ibi colligitur, partes iſtas in diuerſas diuidi particulas ab anatomicis. Confirmatur hoc uegæ argumentum validius, & apertius ex Gale. 1. de Facul. Nat. c. 6. vbi aſſerit, partes ſimilares non methodo ulla, ſed ex diſſectionibus, & oculorum inſpectione eſſe cognoſcendas. Putans Vega ſe prorſus Fuchſiũ confutaſſe, alio modo repugnantia hanc nititur ſedare, duabus ſimilariũ propoſitis definitionibus, altera affirmatiua, negatiua altera: affirmatiua ſumitur ex Ariſto. 1. de Hiſt. An. c. 1. Similares eſt, inquit, quæ in partes ſibi ſimiles diuidi poteſt. Ex hac definitione uena, arteria, & neruus poſſunt eſſe ſimilares: nam in partes ſibi ſimiles diuidi poſſunt: ſi præſertim in magnas partes diuiſio fiat, & ſic capiebat Galen. cùm venam, arteriam, & neruum ſimilaria eſſe pronunciabat. Negatiua definitio eſt Galeni, in citato loco de Inæq. Intemp. & eſt ſimilares ſunt, quæ non diuiduntur in partes ſibi diſſimiles: atque hæc definitio excludit venas, arterias, & neruos, quia in partes ſibi diſſimiles diuiduntur. Vir hic non ſolet leuiter labi, ſed turpiſsime, ut hoc etiam in loco: nihil enim inſulſius eſt hac eius ſolutione: nam ſi duæ definitiones recte perpendantur, non duæ ſunt, ſed una tantum: & vtraque tam amplectitur uenas, arterias, & neruos, quàm reiicit: nam ſi diuiſio fiat in magnas portiones, portiones illæ erunt

ſibi

ſibi ſimiles: ſi ſimiles,ergo non diuerſæ, & diſſimiles: quare per vtramque definitionem uenæ erunt ſimilares: ſiue enim dicas ſimilares ſunt,quæ in parte ſibi ſimiles diuiduntur, uenarum partes eo modo diuiſæ erunt ſibi ſimiles: ſiue dicas ſimilares ſunt, quæ non diuiduntur in partes diſſimiles, uenæ adhuc erunt ſimilares,quia diuiſio facta eſt in partes non diſſimiles. At ſi diuiſio fiat vſque ad minima, per neutram definitionem venæ erũt ſimilares,non per affirmatiuam,quia partes illæ minimæ nõ ſunt ſimiles, non per negatiuam, quia ſunt diſſimiles. Poſſet alijs modis refutari hæc ſententia: ſed ſatis ſit mihi aperte demonſtraſſe hominis leuitatem, ne nimis longus ſim in re facili, & aperta.

Vera ſolutio difficultatis. *Cap. IX.*

PVTO ego ſolutionem Fuchſij ueram, & ad mentem Galeni eſſe: partes alias vere, & ad vnguem ſimilares eſſe: alias non ad vnguem, ſed ad ſenſum: quod ex his verbis Galeni, patet paulo ante citatis. In præſentia non opus eſt tam exquiſito ſermone: hoc vnum conſideres velim, ſimplex ne ſit particula, quatenus ſenſus iudicat,an compoſita. Atqui Vega obijcit: ſenſus iudicium ex anatome oritur: at ex anatome conſtat Galeni teſtimonio uenas, arterias,& neruos partes eſſe compoſitas, non ſimplices, & ſimilares. Vana igitur eſt ea ſolutio. Reſpondeo,anatomen, aut exquiſitiſſimam eſſe & minima quæque reſecare, aut non ita exquiſitam,nec minima luſtrantẽ,qualis erat anatome Ariſtotelis: ſi anatome illa exquiſita celebretur: venæ,arteriæ, & nerui ſimilares nõ ſunt,quia hæc anatomæ,vbi ſeparauit has partes ab alijs, non acquieſcit,ſed indagat adhuc, an partes iſtæ conſtent ex ſimplici quodam corpore,quod in partes diuerſas ſecari non poſsit, an ſint ex diuerſis ſubſtantiis compoſitæ: ſi uero celebretur rudior anatome, ubi ſeparatæ erunt partes hæ, in hoc acquieſcit: & ideo per hanc anatomen partes hę ſunt ſimilares: quare & Ariſt. non admodum peritus anatome uenas, arterias, & neruos ſimilares eſſe cenſuit,& in partes ſibi ſimiles diuidi. Confirmantur hæc ex Gale.5.de Anat.admin.cap.6.ſic ſcribente. Porro ipſum peritoneum latis araneorũ telis ſimillimum eſt,ſimplex, & tenue

in-

» inſigniter,non vt quidam tendines membranæ modo extenuati, » qui ſi clara luce inſpiciantur, exacte fibras tenues ipſos intercur- » rentes repræſentant: ſed peritonęum aliter habet: eſt enim ſim- » plex, uti diximus,totum ſibi continuum,vnum quoddam ex pri » mis corporibus adamuſſim ſimilare. Ex hoc loco patet, tendines latos,veluti tendines muſculorum obliquorum abdominis, ſi in clara inſpiciantur luce,accurate ac diligenter diſſecentur, non eſ-ſe ſimilares,quia fibras habent intercurrẽtes:cõtra,ſi eos nõ inſpi cias diligenter in clara luce,nec ſedulo, atque accurate diſſeces, ſicuti fortaſſe feciſſet Ariſtot. pro ſimilaribus habebuntur, quia fibræ intertextæ membranis illis non apparebunt: ſi itaque ten-dines illos ſimilares ad ſenſum dicas, recte dices: peritoneum au tem uere,& ad vnguem erit ſimilare,quia nullus in eo,quantũuis diligenter intuearis,& in minima reſpices,fibras inuenies: & pro pterea Galen. etiam uocat ipſum adamuſſim ſimilare: innuens alias eſſe partes,quæ licèt appareant primo intuitu ſimilares,ſimi lares tamen uere, & adamuſſim nont ſint: ſic etiam 3. de Facult. Natural.c.vlt.fibras uocat uere ſenſibilia elementa, innuens alias etiam partes haberi pro ſenſilibus elementis ſaltim ad ſenſum, non eſſe tamen reuera ſen ſibilia elementa. Quanquam locus il-le uitio interpretis, & correctorum iſtorum,qui potius deprauãt, quàm caſtigant,mendoſus ſit: vbi enim ex rei ueritate, & ex Græ co contextu,quem paulo poſt adducam: legendum erat [& vere ſenſibilia elementa] legitur [& vere ſenſibile) nullo plane ſen-ſu, immo contra Galeni ſenſum:non enim ſolæ fibræ, & alię par-tes ad unguem ſimplices ſunt uere ſenſibiles, ſed aliæ etiam om-nes: immo verò quanto magis compoſitæ, ſunt tanto magis ſen-ſibiles ſunt:at fibræ ſolæ,& aliæ partes ad vnguem ſimplices vere ſenſibilia elementa ſunt. Hinc patet recte cenſuiſſe Fuchſium, venas,& arterias non uere eſſe ſimilares,ſed ad ſenſum tantum.

Cæterum in eo errauit Fuchſius,quod ueras ſimilares eſſe cen-ſuit partes omnes,quæ à Gale.enumerantur 1.de Element.cap.6. at nerui ſunt potius ſimilares ad ſenſum,quàm uerè,cum authore Gale.7.de Decr.c.3.ex triplici conſtent ſubſtantia: nec minus er-rat in diiudicandis ſimilarium definitionibus: primum enim dũ anteponit definitionem amplectentem veras, & non ueras ſimila res,non recte facit,cùm anteponenda ſit potius,quæ ueris tantum ſimilaribus quadrat; nam hac propoſita,facile cognoſci poterit,

quæ nam vere ſint ſimilares, & quæ non vere. Præterea nullam extare puto definitionem, quæ vtraſque poſſit amplecti: implicaret enim contradictionem comprehendens partes, quarum particulæ inter ſe conſimiles eſſent, & non conſimiles, aut ſaltem conſtaret ex æquiuocis: & ideo duæ definitiones, altera ex Ariſtot. altera ex Gale. ſolas veras ſimilares cõtinent, cùm hæ ſolæ in partes ſibi ſimiles diuidantur: venarum verò, arteriarum & neruorũ partes ſimiles non erunt inter ſe, & toti, niſi in magnas partes fiat diuiſio, ſed qualiſcunque ſit diuiſio, partes debent eſſe ſimiles, quod innuit, & ipſe Fuchſius iis verbis. Omnes enim venæ & arteriæ partes toti venæ, & arteriæ, & mutuo ſibi ſimiles ſunt. Vnde & in eo decipitur, quòd duas has definitiones diuerſas eſſe cõſtituat à reliquis duabus, quas reiicit, quia ſolas veras ſimilares cõplectantur: certum enim eſt, omnes has vnam, atque eandem eſſe definitionem: nam ſi partes omnes ſibi, & toti ſimiles ſunt, eiuſdem ſpeciei, aut vniformes etiam ſint, neceſſe eſt, nec aduertit, cùm reiicit duas illas definitiones, ſe Galen. reijcere, Galeni enim ſunt, vt principio tradidimus. Hoc autem non feciſſet, ſi Galeni eſſe conſideraſſet, quippe cùm ſe acerrimum eius defenſorem eſſe, præ ſe ferat. Et mirum eſt ſanè, eum adeo fuiſſe negligentem, vt eodem in commento adduxerit antea hanc definitionem ex Gale. & poſtea eandem repudiet. Verùm his omiſſis, ad rem redeamus. Conſtitutum, itaque ſit, partes alias adamuſſim ſimilares eſſe, alias ad ſenſum: quare mirum, non eſt, ſi Gale. pronunciet interdum uenas, arterias, & neruos eſſe ſimilares, interdum inter inſtrumentarias collocet: nam reuera ſimilares non ſunt: prima uerò facie, & primo intuitu ſimilares ſunt.

Dixerit fortaſſe quiſpiam, cur in his partibus explicandis tam uarius fuit Galenus? cur partes, quæ uere ſimilares ſunt, non ſemper ſimilares eſse: et quæ inſtrumentariæ, inſtrumentarias pronunciauit? Dico, ut alias quoque dixi, Galenum de vnaquaque re ſemel ad vnguem ſcribere, alibi uero interdum aliorum opiniones ſequi, modo ne repugnans ſit materiæ propoſitæ. Cùm itaque librum de partibus ſimilaribus compoſuiſſet, quem innuit in præfatione in Hippocr. de Natu. Huma. aperte adducit in 8. de Plac. Hipp. et Plat. c. 5. librum etiam conſcripſiſſet de primis, ſecundis, et reliquis aliorum ordinum inſtrumentis, vt teſtatur ipſe in lib. de Diff. Morb. cap. 4. ſanè ueriſimile eſt, eum in his duobus

libris

libris pleniſſime docuiſſe, quæ nam ſint vere ſimilares, quæ vere inſtrumentales:& ex his,quæ primi ordinis,quę ſecundi,quę tertij,& quæ cęterorum deinceps, vt haberet vnuſquiſq; veram determinationem difficultatum omnium,quæ inde oriuntur: in reliquis verò libris non eam adhibuit diligentiam, ſed ſæpe ſequitur Ariſtotelē,& alios philoſophos, & medicos, qui varie de partibus ſcripſerunt: modo ne diſſentanea ſcriberet materiæ, quàm præ manibus habebat: veluti in lib.de Diff.morb.ca.3. cùm venas & arterias inter ſimilares reponit, id enim nihil repugnat morborum differentiis, quos indagabat.

Alia difficultas, eius ſolutio, cum explicatione loci obſcuriſſimi in Geleno. Cap. X.

SED alia exoritur non contemnenda difficultas ex loco ante adducto ex 3.de Facult.Nat.ca.vlt.cùm enim antea ſtatutum fuerit ex Galeno, membranas, & ligamenta eſſe vere ſimilaria, ex eo tamen loco ita nō eſſe colligitur,cùm ex fibris ipſa etiam „ condita ſint: ſic iacet totus ille locus. Tale quiddam, & cartila„ gini eſt muccoſum illud, quod ei circunfunditur: præterea liga„ mentis, membranis, & neruis, lentus humor,qui in his inſperſus „ viſitur: ſingula namque horum ex multis conficiuntur fibris,quę „ & ſimilares particulæ ſunt, & vere ſenſibiles. Si ligamenta, & membranæ ſicuti nerui ex fibris conſtant, vt hic aperte pronunciat,& fibræ ſunt vere ſimilares,& ſenſibilia elementa,patet ligamenta,& membranas, perinde ac neruos eſſe ſimilaria non vere, ſed ad ſenſum, quare ſibi ipſi apertiſſime repugnat, non ſolum in ordine ſimilarium conſtituendo, ſed etiam, quia hic membranas „ ex fibris conſtare ait,quod 6.de Anat.Admin.negat. Peritoneū „ enim,inquit ibi,nullas obtinet fibras,ſicuti nec quæuis membra„ na,cum quo facit & Veſalius lib.3.c.1.inquiens: membrana ſim„ plex,ac ſimilare corpus cenſetur,& omni ex parte,quomodocūq; „ diſcerpatur, perpetuo membranæ nomen retinet. In difficultatibus, quas alii non diſſoluerunt, immo veræ ne propoſuerunt quidem, omnes meas coniecturas in medium adducere ſoleo: hanc itaque ſic ſum ſolitus explicare, quòd in rebus anatomicis

Galenus

Galenus in dies fiebat doctior ob exercitationem,ut ſæpe ipſe te-ſtatur: vnde in libris anatomicis, quos poſt alios ſcripſit, ſæpe corrigit, & immutat,quæ in aliis antea ſcripſerat. Poſſumus itaq; dicere eum, cùm ſcriberet libros de Naturalibus Facultatibus, putauiſſe ligamenta, & membranas fibris conſtare, quod poſtea deprehendit eſſe falſum, & in ſcriptis reliquit. At inſtabis,ſi progreſſu temporis hoc deprehendit, cur non caſtigauit locum illum ex 3. de Facultatibus Naturalibus? Quod ſi non caſtigauit, locum habebit crimen illi illatum ab Argenterio,libros eum ſuos non emendaſſe,quo de crimine egimus in ſecunda præfatione.

Poſſemus & ad hoc dicere: aut non omnes libros ſuos Galenũ caſtigaſſe, aut interdum memoriæ uitio quædam pretermiſiſſe, quo uitio affecti ſunt ferè ſcriptores oẽs,& ii præſertim qui Gale. ſunt infeſti. Sed rectius fortaſſe dici poteſt, ſi probe locus ille intelligatur,nullã eſſe in Gale.repugnantiã,cũ ibi innuat, ſolos neruos fibris cõſtare,neq; hoc attribuendũ eſt mẽbranis,aut ligamentis.Sed apponamus uerba Greca,vt facilius ſensũ inde eliciamus. *τοιοῦτον τὶ καὶ τοῖς χόνδροις ἐστὶ τὸ περικεχυμένον μυξῶδες, καὶ τοῖς συνδέσμοις, καὶ τοῖς ὑμέσι, καὶ τοῖς νεύροις τὸ παρεσπαρμένον ἐν αὐτοῖς ὑγρὸν γλίσχρον, ἕκαστον γὰρ τούτων ἐξ ἰνῶν σύγκειται πολλῶν, ἅπερ ὁμοιομερεῖς τὲ εἰσι καὶ ὄντως αἰσθητὰ στοιχεῖα.* Interpres hanc orationem in tres diuidit partes: primam claudit vox *μυξῶδες*: vnde ſic conuertit. Tale quiddam, & cartilagini eſt muccoſum illud quod ei circumfunditur: ſecundam clauſit uocibus illis *ὑγρὸν γλίσχρον*, unde ſic conuertit. Præterea ligamentis,membranis,& neruis lentus humor, qui in his inſperſus uiſitur: tertiam partem inde incæpit *ἕκαστον γὰρ τούτων*, quod ita conuertit. Singula namq; horum ex multis conficiuntur fibris, quæ & ſimilares particulæ ſunt, & uere ſenſibiles. Quibus in uerbis duo ſunt inſignes errores,alter de quo antea,alter de quo nnnc,& eſt, quia per ſingula horum intellexit ligamenta, membranas, & neruos: vnde ſequitur neceſſario,ligamenta,membranas, & neruos fibris conſtare,quod difficultatem propoſitam peperit. At ſi aliter interpungas, alium ſenſum elicies, atque hoc eueniet, ſi primam partem claudas voce *ὑμέσι*, vt tota ſeries hæc ſit. Tale quiddam eſt, & muccoſum illud, quod cartilaginibus,& ligamentis, & membranis circumfunditnr: præterea neruis lentus humor, qui in his inſperſus viſitur. Singuli nanque horum ex multis conficiuntur fibris

bris, quæ & ſimilares particulæ ſunt, & vere ſenſibilia elementa. Si ſic interpreteris corrigitur error, de quo antea, & præſens tollitur difficultas: nam ea pars [ſinguli nanque hornm] ad neruos tantum refertur: vnde ſequitur, Galenum de neruis tantummodo aſſerere, quòd ex multis fibris conficiantur. Hoc pacto ſine vlla verborum extorſione ſenſus elicitur, qui Galenum ab inconſtantia uindicet: immo uero ſi ſic interpreteris, res, quæ ibi tractantur, apertius explicantur, & diſtinctius: nam muccoſum illum ſuccum, de quo loquitur, proprie ait circumfundi cartilaginibus, ligamentis, & membranis, innuens allui tantum externam eorum ſuperficiem intro verò eum non penetrare, quia corpora ſunt vere ſimllaria, & vnicæ ſubſtantiæ, nec contexta ex fibris, inter quas muccus ille poſſit peruadere: de neruis verò loquens, ait in his lentum humorem inſpergi, non tantum circumfundi, & ratio eſt, quia confecti ſunt ex multis fibris, inter quas poteſt lentus ille humor ſpargi. Quare ex hoc loco apparet, quam diligentes eſſe oporteat, qui Galenũ interpretantur & oculatos: ſi enim Linacer vir grauiſſimus duos adeo inſignes in hoc loco commiſit errores, alterũ, de quo paulo ante: alterũ, de quo nunc, quid putandum eſt de aliis interpretibus longe Linacro inferioribus? Hinc etiam licet arguere, multos errores, multasque repugnantias Galeno aſcribi, quia Galen. non intelligatur: vnde qui tam faciles ſunt in eo redarguendo, ſi operam darent, ut eum intelligerent, ab his redargutionibus abſtinerent, & maiorem ſibi laudem compararent. Verùm explicatis iam difficultatibus omnibus, concludendum eſt, partes ſimilares ſolidas, quæ ſanitatis & morbi ſunt ſubiectum, ueras & legitimas eſſe oſſa, cartilagines, ligamenta, membranas, fibras, pinguedinem, & carnes ſimplices, quibus addas licet ungues, capillos, medullam, & cutim: non ueras uerò, ſed ita ad ſenſum apparentes tendines, neruos, uenas, & arterias: habent tamen & hæc propriam quandam ſubſtantiam, quam & ipſam carnem uocat Galenus, ut ſuperius cap. 5. admonuimus, quæ uere ſimilaris eſt: totum tamen neruum totam uenam, & totam arteriam etiam ſimilares ad ſenſum uocat. Atq; hæc hactenus de partibus ſimilaribus. Ex his minora conſtituuntur iuſtrumenta, ex minoribus maiora, & ex his adhuc maiora, donec totum conſtituitur, vt etiam uidimus in tractatione de morbis inſtrumentalibus.

De

De ſolutione ſimilarium, & primò oſsium. Cap. XI.

EXPLICATIS iam ſimilaribus partibus, uideamus, quot modis fiat earum ſolutio ſeorſum ab organicarum ſolutione, & quomodo ſolutiones hæ in qualibet parte appellentur ex lib. de Conſtitut. Artis primùm, deinde ex lib. de Diff. Morborum. Ait itaque Galen. ſi os, neruus, uena, arteria, & caro pungantur, erodantur, ſecentur, diuellantur, & dirumpantur, ſimilarium continuum corrumpitur: hæcq́; continui ſolutio, uel diuiſio, uel corruptio à particula diuiſa, & à cauſa diuidente uarias eſt ſortita appelationes: non eſt tamen in vnaquaque particula proprium nomen impoſitum, ut aſſerit 6. Method. c. 1. at quæ nomine carent, aliude id mutuantur. Videamus nos primò, quomodo oſsium diuiſio uocetur. Cumq́ue quatuor cauſas huius diuiſionis ſtatuerimus ſectionem, contuſionem, tenſionem, eroſionem, à quacunque alia cauſa ſoluatur oſsis unio, pręterquam ab eroſione, fractura dicitur: ἄγμα, κάταγμα, & κάτηξιν uocant Hipp. & Galen. dicitur etiam ἀπάγμα eodem authore 6. Metho. cap. 5. Sed tunc ſolùm, cùm os iuxta articulum frangitur: ſic & 3. de Off. Med. 31. ubi ἀπάγματα ἀποκλάσματα etiam uocari aſſerit. In capitis uerò oſsibus diuiſio hæc uarias ſortita eſt appellationes, ut uidere eſt apud Hippocr. in lib. de Vuln. Cap. & Galen. 6. Meth. c. 6. & Paulũ lib. 6. c. 89. Hippocr. in lib. de Vulneribus Capitis non longe à principio quinque modos fracturarum capitis deſcribit, qui partim ſunt ſimplices partim compoſiti, & ſub uariis formis infligun tur. Primus modus ab Hipp. ῥωγμὴ dicitur, quam Galen. in lib. de Cauſ. Morb. ῥῆξιν etiam uocat, & eodem modo prouenire ait, quo fracturo in aliis oſſibus. Ex latinis alii fiſſuram, alii ſciſſuram, Celſus rimam uocat. Eſt autem modus hic compoſitus, quia cùm fiat à telo graui, & retuſo, adiunctam habet φλάξιν, quam alibi φλάσμα appellat, quæ uoces ambæ ſunt Ionicæ: cùm alii Græci θλάσιν, & θλάσμα nocent: à latinis modo colliſio, modo contritio, modo contuſio dicitur, de qua uidebimus inferius: nam ad rimas redeo, quarum quędam tenues adeo, ut ſenſum lateant, & ideo à Paulo uocantur τριχισμοι: alię craſsiores, & latiores: aliæ longius progrediuntur: aliæ ad breue ſpatium, & aliæ rectæ, aliæ obliquæ. Secundus modus ſimplex eſt, & eſt contuſio, in qua os

naturam ſuam retinere aſſerit, & nullam rimam cõtrahere: quod quomodo fiat, difficile eſt intelligere, niſi ad Galenum confugiamus, qui contuſionem fieri teſtatur in partibus carnoſis, & in oſſibus teneris, quæ ab ictu vehementi duri teli in ſe cedunt. Cæterùm cùm hic Hipp. loquatur de affectibus oſſium, de oſſibus teneris intelligendum eſt, quæ ab ictu vehementi in ſe ceduūt: at Hip. negat poſt ictum contuſiones has ſub ſenſum cadere: nulla igitur eſt ceſſio, niſi dicas, eam non apparere, quia poſt ictū ſtatim cutis in ſuum ſtatum reuertatur. Verùm eſt hic quædam diſſenſio inter Galen. & Hipp. nam ſi recte conſideres verba Hipp. in hoc ſecundo modo nulla eſt cõtinui diuiſio, cùm ſine rima contuſionem hanc eſſe ſtatuat: Gale. verò extimam ſuperficiem oſſis ſuam ſeruare continuitatem: in profundo verò multas & paruas diuiſiones reſultare affirmat. Poſſumus dicere, vtrunque euenire poſſe: & Galenum, cùm ageret ibi de ſolutione continui, paruas illas diuiſiones appoſuiſſe: Hippocratem verò, cùm de quacunque vehementi plaga capitis ſcriberet, appoſuiſſe ea etiam, quæ ſunt ſine continui ſolutione: vel dicas Hipp. negaſſe cõtuſionem hanc eſſe cũ ſolutione cõtinui, quia extima caluariæ ſuperficies ſeruet continuitatem integram. Tertius modus compoſitus eſt ex illiſione, & rima, illiſionem dico, quam Galen. ἔνθλασιν vocat, quæ fit, quando poſt ictum vehementem teli duri, & grauis os cedit in ſe ipſum, & non reuertitur in ſedem antiquam: ἔσφλασιν interdum abſolute vocat Hippoc. interdum ἔσφλασιν ἔσω. In hoc modo os contuſum deſidet, hoc eſt intro ſecedit, qua verò parte intro ſecedit, rimam fieri, neceſſe eſt: nam aliter à ſana oſſis parte non ſecederet. Dices hunc modum eundem eſſe cum primo: nam & in eo erat rima cum contuſione. Reſpondeo, modos eſſe diuerſos, quippe cùm hic tertius modus non ſit cum contuſione abſolute, ſed cum illiſione: vnde in primo modo os contuſum ſedem non mutat, in hoc tertio intro ſecedit. Varias huius fracturæ differentias eſſe ait Hip. interdum enim plus oſſis occupat, interdum minus: interdum altius deſcendit, interdum in ſuperficie ſiſtitur. Gale. in 6. Metho. duo genera vehementiſſimarum fracturarum, in quibus eſt rima cum illiſione, deſcribit. Primum eſt ἐγγείσωμα, & eſt deſeſſio, in qua os diuiſum infra ſubit ad membranam authore Paulo. Galen. autem ait in hac fractura os ſecedens medio ſui membranæ duræ inniti. Alterum eſt καμάρωσις, vel καμάρωμα

μάρωμα engiſomati contrarium, cùm mediam partem in modum fornicis exaltatam habeat: cæterùm qua primum ab integris fracturæ partibus diduci ægra cœpit, intro magis recedit, ac membranæ innititur: eſt deſeſſio quædam, & ἐκπίεσμα à Paulo deſcriptum, quando os in multas partes diuiſum eſt, ite ut oſſa fracta infra ſubeant, & duram membranam comprimant. Quartus modus apud Hippocr. ualde eſt compoſitus: quare prius deſcribam quintum, qui ſimplex eſt, deinde reuertar ad quartum: ſic enim facilius deſcribetur, & percipietur. Quintus itaque modus ſimplex eſt, & ab eo ἕδρη vocatur ἕδρα à Gale. Sedem interpretes alii appellant. Linacer. veſtigium. Euenit autem, vbi oſſe in ſuo ſtatu manente conſpicere licet, qua parte telum incubuerit: vnde ſedes fit à telo ſecante, ſic ſtatuente Gale. 2. de Fract. commen. 9. quo in loco inter quatuor cauſas, quæ oſſa frangunt, ſecundam adducens ſic ait. Aut aliquid, quod non tantum cutim, & quæ inter cutim ” ſunt, & oſſa, ſed hæc quoque ſecare poſſit: quem morbum Hippo. ” in lib. de Vuln. cap. ἕδραν appellat. Ἕδρα Galeno dicitur ἐγκοπὴ ” etiam, & διακοπὴ, quæ utraque magnam ſignificat ſectionem: vnde & ipſe Hippocr. διακοπὴν, & ἕδρην idem eſſe ſcribit, cùm vtraque veſtigium teli vulnerantis retineat; vt ἕδρα nomen ſit generalius, cùm complectatur omnia ſectionum genera: διακοπὴ verò magnas tantum ſignificet, vt annotauit Galen. 6. Aphoriſm. commen. 18. Quanquam autem Gale. videatur ſumere διακοπὴν, & ἐκκοπὴν pro eodem: Paulus tamen ſtatuit ἐκκοπὴν eſſe fracturam, in qua os læſum attollitur: quod ſi hoc os læſum à parte ſana excidat ἀποσκεπαρνισμὸς vocatur, ac ſi ſecuri ablata ſit pars illa.

Quartus modus apud Hipp. erat, quando primus, & quintus in vnum concurrunt: nam ſi ſedi rima addatur, contuſio etiam adiungitur: cùm rima non ſine contuſione eueniat, ut apparuit in primo modo: verùm ſi ſedes fit à telo ſecante, contuſio à duro & retuſo, quomodo hęc coire poſſunt? Dicendum eſt, ſi telum ſit ſecans quidem, ſed acie obtuſa, poſſe & ſecare, & contundere: ad contuſionem uerò rima adiungitur: poteſt autem in hoc affectu eſſe & ſedes, & colliſio ſine rima. Hinc patet ſimplices modos fracturarum cranii tres eſſe rimam, contuſionem, & ſedem: & modos compoſitos ab Hipp. traditos conſtare ex his, cùm vel duo modi ſimul coeunt, vel cùm tres omnes, ut facile vnuſquiq; poteſt obſeruare. Atque hi quidem quinque modi noxam infli-

 gunt,

gunt, vbi ictus eſt: ſed euenire quandoque poteſt, inquit Hipp. vt caluaria in alia parte frangatur, quàm vbi percuſſa eſt, quod valde eſt pernicioſum, & euenire poteſt: neque enim hic eſt modus ille, quem ἀπήχημα vocat Paulus, & reprehendit, quanto in parte ictui contraria os finditur, quanquam fortaſſe & hoc defendi poſſet in capitibus, quæ vnam ſolam habeant futuram: ſed ſi ictus forte fortuna fuerit in altero oſſe ſyncipitis iuxta futuram coronalem, & findatur idem os iuxta futuram labdo idem, nonne erit rima in parte ictui contraria, cùm ictus ſit in parte antica, fractura in poſtica? Sunt, & in fracturis aliorum oſſium quædam propria nomina, vt ſcribit Gale. 6. Metho. c. 5. vnde è fracturis ipſis quæcunque partes oſſis tranſuerſim prorſus ſepararunt, eas καυληδὸν factas eſſe dicunt: quando verò per rectitudinem oſſa finduntur, nec prorſus ſeparantur partes, hæ fracturæ dicuntur σχιδακηδὸν eſſe factæ: quod ſi variis modis os frangatur, ῥαφανηδὸν fieri dicuntur, qua voce vtitur & Plinius. Sed curioſam hanc nominum diligentiam Galen. damnat, cùm liceat nobis vnà cum Hipp. ſi propriis & vſitatis nominibus careamus, differentias iſtas oratione interpretari: atque hæc de ſoluta continuitate oſſium ab alijs cauſis. Si ab eroſione verò fiat ſolutio caries vocatur, vt videbimus inferius.

De ſolutione continui in muſculis à tenſione. Ca. XII.

DOCET deinde, quomodo hæc ſolutio in muſculis ob tenſionem facta vocetur: ac cùm muſculi ex duabus potiſſimum ſubſtantiis conſtent, ex fibris, & carne fibris intertexta: ſi ob tenſionem pars carnoſa ſoluatur, quod ſolet euenire in vehemẽtibus exercitiis, & motibus aliis, ſolutio vocatur ῥῆγμα, ruptionem vertunt interpretes, & fortaſſe non inepte eliſionem verterent: ſed ſi ob tenſionem fibræ ſoluantur, ſpaſma dicitur, conuulſionem interpretantur Linacer & alij: quod ambiguitatem parit in animis parum uerſatis in Galeno, cùm σπασμόν, etiam conuulſionem interpretentur. Vnde factum eſt, vt à quibuſdam ſpaſma, & ſpaſmus pro eodem capiantur magno cum errore. Horum diſcrimen oſtendemus inferius in obiectis Argenterii. σπάσμα. Vidius abruptionem vocat non ſine iudicio, vt à conuulſione diſtinguat.

guat. Galen. 3. de off. Med. 30. declarat quid ſit πάσμα his verbis. Incidit autem abruptio, quod πάσμα dixit, quum muſculorum fibræ plurimum extenduntur, ita vt nonnullæ abrumpantur, cuiuſmodi mala recentiores medici ῥήγματα proprie appellant. Hoc in loco errorem non leuem interpretum eſſe puto, cùm hæc vitia ῥήγματα vocari dixerint: nam vidimus ante ῥήγμα eſſe abruptionem non fibrarum, ſed partis carnoſæ muſculorum: præterea ῥήγμα non erat vox recentiorum medicorum, ſed frequentiſſima apud Hippocr. Præterea in codice Græco, licèt mendoſe, legitur τίλεγτα, quæ uox nullam habet ſimilitudinem cum voce ῥήγματα: quare ſi legas τίλματα, vocem ſumes magis ſimilem voci mendoſę, qua veriſimile eſt recentiores medicos vocaſſe σπάσματα, vt σπάσμῷ fortaſſe interſtinguerent. Id colligo ex Gale. 3. Epid. ſect. 3. comment. 76. quem locum eo libentius adduco, quo naturam huius affectus eleganter depingit, & quibus occaſionibus excitetur. Siqua forte pars doleat, inquit primum animaduertes, num ex aliqua externa cauſa dolor euenerit: nam in motibus quibuſdam nonnulli clam læſi ſunt: & dormiendo: qui minus commode partem aliquam compoſuiſſent, & in ſubitis conuerſionibus, ac reuolutionibus rigentes, refrigeratæque partes conuulſionibus, eliſionibusque correptæ maximos dolores creant. Vt etiam fracturæ quibuſdam dolorem afferunt, præcipue autem iis, qui ſicco temperamento ſunt: atq; adeo magis, ſi inclinata ætate, uel ſenes ſint. Pro conuulſionibus eliſionibusque Galen. habet σπάσμασι τὲ καὶ τυλμασι: fracturæ verò apud eum ſunt rhegmata: quare ex illo etiam loco apparet rhegma à ſpaſmate differre: & ſpaſma ac tylma poſſe pro eodem capi: vnde vox illa mendoſa in lib. de Off. Med. mutanda eſt, ſicuti ego mutaui. Solent ſolutiones hæ tam carnis, quàm fibrarum occaſionibus hoc in commento recitatis prouenire, & ab omnibus, quę uim tendendi obtinent, ut in laſſitudinibus deſcriptis in libris de Tuend. Valetud. Proueniunt etiam ex contuſionibus uiolentis, vt indicat in lib. de Diff. Morbor. In his continui ſolutionibus non eſt expectandum, dum ſanguis effundatur, quia integra cute ſolent prouenire.

De ſolutione continui à cauſa ſecante, & pungente. Cap. XIII.

SED ſi ſectione ſolutio fiat, τραῦμα à Galen. à nobis vulnus dicitur, quanquam latius pateat vulnus apud Latinos, quàm τραῦμα apud Græcos: cùm enim ſit ſolutio partis carnoſæ à re ſecante proueniens, vulnus videtur uſurpari pro quacunque ſolutione facta telis: vnde Celſus lib. 5. cap. 26. Vulnus, inquit, malum eſt, quodcunque muſculum, aut neruum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginem læſit: peius eſt quod colliſum, quàm quod tantum diſciſſum eſt, adeo vt acuto quoque, quàm retunſo telo vulnerari commodius ſit. Patet ex his latius patere vulnus apud Celſum, quàm τραῦμα apud Galen. & fortaſſe vulnus abſolute eſt quicunque ictus, & quæcunque plaga, vt patet in principio eius capitis apud Celſum. Reperitur & τρῶμα apud Hipp. quod aliud eſt, quàm τραῦμα, vt annotat Galen. 6. Epidem. ſect. 5. comment. 12. Tromata vocat, inquit, Hipp. magnas noxas ab aliquo extrinſeco inflictas, licèt ſint ſine traumate: quanquam 3. Prorrhet. commen. 36. tromata uocari ab Hipp. aſſerat abſolute læſiones eas, quæ à cauſis externis inferuntur: ſic itaque uocauit Hipp. acromii receſſum primo de Artic. 6. & lib. 2. partic. 17. luxationem maxillæ troma uocauit: quare Galen. in commen. Iones, inquit, quamlibet offenſam τρῶμα dicunt. Sed ad trauma reuertamur, quod licèt proprie diuiſio ſit carnis per ſectionẽ à re acuta, facta, accommodatur tamen diuiſioni aliarum etiam partium veluti uenæ, arteriæ, nerui: cùm enim horum ſolutio proprio careat nomine, aliunde vt ſibi inueniat, neceſſe eſt: & propterea diuiſio in illis facta ſectione trauma, ſicuti facta tenſione rhegma dicitur, vt in carne. Horum omnium author Galen. 6. Metho. c. 1. ante citato: neque id abſque ratione, cùm & hæ partes ſuam habeant carnem, licèt à carne muſculorum diuerſam, vt in partium ſimilarium explicatione vidimus. Sed ſi quod carnemi ſecat, & vulnerat, acutum ac tenue ſit, ſolutio ea vocatur punctio, & punctura, quod nomen transfertur etiam ad ſolutionem neruorum, venarum, & aliarum partium. Plenus eſt tertius liber de Medicamentis Genericis apud Galenum de puncturis neruorum.

De ſolutione à telo duro, & graui. Cap. XIIII.

SI telum vnionem diuidens acutum ſit, & tenue, vidimus, quomodo vocetur ea diuiſio: ſed ſi graue & durum ſit, θλᾶσις, & θλᾶσμα dicitur: contuſionem vocant noſtri: impreſſionem Ariſtotelis interpretes: colliſionem Celſus, vt colligi poteſt ex eius loco paulo ante citato: attritionem. Vidius ſæpe, & præſertim 3. de Articulis 58. Eſt igitur colliſio, vel contuſio, vel impreſſio, authore Ariſt. 4. Meteor. 45. migratio ſuperficiei aliqua ex parte ad profundum, quæ fit impulſu, atque ictu: impulſu fit in re molli, quæ facile recipiat impreſſionem, veluti cera, quam ſi digito comprimas, ſuperficies eius digito impulſa cedit in profundum, ita vt relinquatur impulſus veſtigium, ſicuti euenit, & in hydropicorum cruribus: ictu fit in re dura, veluti in metallis, & in ære potiſſimum: nam ſi malleo percutiatur, ſuperficies cedit in ſe ipſam, & excauatur: ſic ſolet euenire in corporibus etiam noſtris, in illis præſertim partibus, quæ impreſſionem recipiunt, cuiuſmodi ſunt carnes, & reliqua mollia, veluti oſſa tenera in capitibus puerorum, vt luculenter ſcribit Galen. in libro de Cauſis Morborum capit. 11. & eſt proprie θλᾶσις, quando integra ſuperficie partis colliſæ in profundo multæ fiunt, & paruę diuiſiones: quod ſi in parte colliſa cauitas appareat, quam telum percutiens induxit, ἔνθλασις, vt ante diximus, vocatur ea diſpoſitio, illiſionem vertunt interpretes: nam neceſſe eſt partem colliſam à telo ſemper excauari, non tamen ſemper apparet excauatio: immo plerunque pars colliſa, ſi mollis ſit, remoto telo in ſuum ſtatum reuertitur. Quando igitur reuertitur in ſtatum antiquum, colliſio vocabitur: quando cauitatem retinet, illiſio. Si verò non ſolùm intro cedet os capitis colliſum, ſed etiam in ſuperficie extrinſeca diſrumpetur, hæc diſpoſitio ſimplex non eſt, ſed compoſita, & ideo nullum ei nomen ab antiquis impoſitum; quare oratione explicanda potius, quàm barbaris nominibus, quibus vſos fuiſſe, ait Galen. medicos recentiores. Hæc à Gale. cap. illo 11. de Cauſ. Morb. quæ plena ſunt difficultatibus.

Cùm itaq; ait colliſionem eſſe, quando integra ſuperficie partis colliſæ, in profundo multę fiunt, & paruę diuiſiones, quęritur, quando & quomodo hoc eueniat, nunquid in parte carnoſa tan-

tum,

tum,ita vt externa ſuperficie integra,in profundo ſint diuiſiones: an in oſſe ſolo,ita ut & ipſum extrinſecus ſanum appareat, intrinſecus tamen ſit ſolutum, an in parte carnoſa, & oſſe ſimul, ut in crania, ſicuti integre os diuidatur. Credo omnia hæc poſſe euenire. Quod in carne eueniat, patet ex ecchymomate, in quo licet cutis integra appareat, venæ tamen ſub ea diſrumpuntur, & ſanguinem effundunt,ut colligitur ex Gale.2.de Fract. comment. 16. & 4. Method. cap.7. Secundus etiam modus ſolet euenire, aliter fruſtra laboraret Hipp.in lib. de vuln. cap. in quærendo an os capitis violatum ſit, quando denudatum nullam noxam ſub oculos repræſentat,id facit Hipp.context. 21. & quibuſdam ſeq.

Quod tertius etiam modus eueniat, indicat Paulus, cùm aſſerit, integra cute rimam in cranio factam, deinde abſceſſu ſuccedente,& diſſecta cute,inuentam. Hoc pacto propoſitis quæſtionibus ſatisfactum eſſe puto. Sed quando aſſeris, ſi os capitis colliſum intro cedat, & in extrinſeca ſuperficie diſrumpatur eam eſſe compoſitam diſpoſitionem,& oratione interpretandam potius,quàm barbaris nominibus: ſi quæras, qui nam ſit hic affectus,dicam eſſe primum Hipp.modum, & eſſe rimam cum colliſione: hac enim oratione eſt modus hic explicandus, non vnico verbo, quia apud ueteres nullum eſt verbum inuentum,quod cõpoſitum hinc affectum ſignificaret: recentiores verò plura confingebant nomina,quæ barbara erant, ut paſſim annotauit Gale. à quibus ipſe abhorrebat. Verùm in ſecundo modo Hipp. ſuperius expoſito, in quo aſſerit,os collidi,& in ſtatu ſuo ſeruari,& ſine rima eſſe: quæritur, an hæc ſit fractura, & ſanè fractura non videtur eſſe: nam fractura eſt ſoluta vnio in oſſe,hic uerò unio nõ ſoluitur: idem dubium locum habet in quarto eius modo, cùm ait collidi os, cùm inciditur,poſſe ſine rima; vnde duo ſunt affectus tantum, ſedes,& colliſio: nam cum ratione colliſionis nulla adſit continui ſolutio, colliſio non uidetur eſſe fractura. Vt his ſatisfiat,ſciendum,colliſionem non eſſe fracturam, aut oſſium ſolutionem tantummodo, ſed aliarum etiam partium: vidimus namque carnes collidi: vnde & Hipp. poſt adductum locum ſtatim ſubdit.
» Ex telis autem id poſſitimum os findit rimis, & la-
» tentibus,& conſpicuis,collidit,& ita perrumpit, vt deſidat, quod
» teres eſt,orbiculatum,planum, retuſum,graue, & durum: idem
» quoque carnem collidit, maturat, & lacerat. &c. Hac de cauſa

Galen.

Galen.in lib. de Cauſ. Morb.non videtur meminiſſe colliſionis inter oſſium fracturas, ſed poſtea inter cæteras ſolutiones continui. Præterea ſciendum eſt, colliſionem eſſe ad partes internas ceſſionem,vt uidimus ex Ariſtot. At poteſt intro aliquid cedere, & non diuidi aut rumpi, veluti plumbum,atque æs: & ideo dico colliſionem de ſui natura non eſſe ſolutionem continui: qua de re Paulus, Colliſio, inquit, non eſt oſtis diuiſio, & hac de cauſa „
iure quiſpiam aſſeruerit, huiuſmodi diſpoſitionem non eſſe fra- „
cturam: ſed eſt impulſus,& reflexio caluariæ introrſum ſine con- „
tinuitatis ſolutione, quemadmodum in vaſis æreis, & coriaceis „
extrinſecus, percuſſis euenit. His præmiſſis,dicimus colliſionem „
de ſui natura nec fracturam,nec ſolutionem continui eſſe. Dices, cur igitur Gale. inter morbos ſolutæ vnionis colliſionem numer.t? Reſpondeo, Galenum reſpexiſſe, quod ſolet euenire: quapropter cùm in colliſione & ſubter cutim diſrumpantur venæ,vnde ecchymomata oriuntur,& in oſsibus idem eueniat, colliſionẽ inter mobros ſolutæ unionis enumerauit: cum tamen ſi rei naturam perpendas,colliſio cum ſolutione continui diſpoſitio ſit compoſita, ut ex ante enarratis patere potuit. Colliſio autem interdum apparet & tunc dicitur illiſio, quia pars colliſa eſt excauata: non apparet verò,quando pars intro pulſa in ſuam ſedem reuertitur, quæ vere colliſio eſt. Poteſt itaque interdum eſſe colliſio ſine ſoluta vnione, veluti in oſſibus tenellis puerorum.

De carie. *Cap. XV.*

VIDIMVS hactenus, quomodo appellentur omnes ferè ſolutiones partium ſimilarium deriuata de nominatione à parte læſa, & à cauſa lædente: & quæ nam ſolutio à tribus cauſis proueniat, ſectione, tenſione, & coneuſione uidimus iam. Reſiat nunc, vt videamus, quid eroſio pariat. Si itaque ab eroſione partes ſimilares diuidantur, idq́ue in oſſe proueniat, caries dicitur,ſi in alijs partibus ulcus. De carie prius, deinde de vlcere agamus. Caries τερηδὼν à Gale. dicitur: in qua voce in lib. de Cau.Morb.redundare ait literã [ε] cſi enim à uoce τρῆμα deducta ſit,quod foramen ſignificat,analogia recta poſtulat, vt τρηδὼν vocetur: cariem uocãt interpretes ad imitationẽ Celſi lib. 8.c.2.

ſed

ſed non inepte teredo diceretur,deducta appellatione ab animalculo,quod in lignis vetuſtis gignitur,eaque erodit, de quo Plin. lib.16.cap.4. Cùm oſſa eroduntur, exoritur primò inæqualitas quædam,& aſperitas, in eorum ſuperficie,qui morbus eſt conformationis: ſed procedente eroſione fit morbus ex ſoluta unione, cui etiam adiungitur morbus in magnitudine imminuta, teſte Galeno quarto Methodi cap. 1.

De vlcere. Cap. XVI.

SI in aliis partibus, quàm in oſſibus continuum ab eroſione ſoluatur,vlcus eam ſolutionem appellari diximus,quod ἕλκος Galen. uocat. Per alias partes, omnes ſimilares accipiendas puto, exceptis oſſibus tantum, niſi & cartilagines excipias, quæ cùm magis oſſium naturam ſapiant, quàm aliarum partium, rectius meo iudicio earum eroſio caries uocabitur, quàm vlcus ſicuti etiam cùm diſſoluuntur ab aliis cauſis, quàm ab eroſione, mutuatur earum uitium appellationẽ ab oſſibus, & fractura dicitur ab Hipp.2.de Artic.47.vt annotauit Galen.in eius loci expoſitione. Si itaque caro, venæ, arteriæ, nerui, membranæ erodantur, hæc eroſio vlcus appellanda. Sed in hoc ſibi repugnare Gale.videtur,quia alibi ſæpe vlcus in parte carnoſa tantum fieri affirmat: vide 3.4. & 6.Metho.cap.vbique 1. Poſſumus reſpondere,ut antea,vlcus quidem proprie partium eſſe carnoſarum, venas,arterias,neruos,cùm propria nomina non habeant,à carnoſis mutuari, vel per carnem intelligi, non tantum muſculorum carnem, ſed uiſcerum etiam ſubſtantiam, atque aliarum partium: quare venæ,arteriæ,& aliæ partes ſuam habent carnem,ut docuimus cap.5.ex Galen.quæ ſententia confirmatur ex 2.de Temper. cap. 3. & 2. de Fract. comment.9.quo loco χρῶτα lingua Ionica vocari,ait partem corporis carnoſam, quo in genere potiſſimum ſunt cutis, & muſculi,deinde membranæ, & uiſcera: genus verò oſſium χρῶτα non vocant,nec cartilaginũ,nec ligamẽtorum: nam hæc carnoſa non ſunt. At ſi hæc ſic ſe habent,ligamentorũ eroſio erit ne ulcus,an caries uocanda? Quod partes omnes qualicunq; carne præditas cõplectatur Gal. indicat ipſe in li.de Dif. Morb.& li.de Cau.Morb.cũ afferat ſolutionẽ cõtinui in oſsibus fracturã,

in

in omnibus verò partibus carnoſis communiter vlcus dici:dicens enim in omnibus partibus carnoſis,& addens præterea illud [cõmuniter] innuit eſſe multa genera carnium, ſeq́ue ea omnia com plecti. In lib.de Cau.ait contuſionem fieri in omnibus partibus carnoſis, & in oſſibus etiam teneris,vnde proculdubio partes omnes intelligit,quæ impreſſionem poſſunt recipere : quod non caro tantum muſculorum, ſed aliarum etiam partium pati poteſt. cùm hæ partes nomen carnis mutuentur à muſculis, non eſt mirum,ſi ab eiſdem nomina etiam morborum capiant: quod ſi cutis diuidatur, nonne appellabitur hæc diuiſio vlcus ? Profectò: quia habet & ipſa propriam ſubſtantiam, quæ caro dici poſſit, vt ex 2.de Fracturis nũc citato patet: vnde cùm Plato in Timæo ait. Dura eſſe, quibus caro noſtra cedit : mollia,quæ cedunt carni, per carnem cutim intelligebat, ut aſſerit Galen. 5. de Simpl. Med.cap.4.Sed alia exoritur non minor difficultas : nam ex lib. de Conſtitu.Artis habemus,vlcus eſſe ſolutionem partis carnoſæ ab eroſione prouenientem: in lib. tamen de Diff.Morb. ſolutionem non ab eroſione tantum, ſed a quacunq; alia cauſa in carne factam vlcus eſſe ait: ſic enim pronunciat ſolutionem continui in oſſe fracturam dici: in omni genere carnoſo communiter ulcus.

Ad hoc reſponderi poteſt,Galenum in lib. de Diff. Morb. eſſe diminutum,quare ſupplendum quod deeſt ex lib.de Cau.Morb. vbi ſolutionem continui in parte carnoſa vlcus,& vulnus appellari ait, dicas tu vlcus ab eroſione,vulnus à ſecantibus, & aliis cauſis prouenire: poſſumus etiam aliter reſpondere , vocem hanc uſurpari cõmuniſſime,communiter,& proprie:cõmuniſſime vſurpauit Hipp.in 3.de Fract.34.ubi eſſe quoſdã aſſerit, qui morbos omnes appellent vlcera : quem locum ſignificauit Gale.in lib.de Inæq. Intemp. cap. 6. cùm dixit. Ex iis fortaſſe nec illud durius dici videatur : quod Hipp.alicubi ait, omnem morbum vlcus eſſe : quippe vlcus vnitatis eſt diuiſio. Ex quo loco certe per vlcus quæcunque ſolutio continui intelligenda videtur: & Hipp. ipſe librum ſcripſit de vlceribus, in quo complectitur ferè omnes ſolutiones continui: & in lib.de Vuln.Cap.ſæpe vulnera illa vocat vlcera. Communiter pro quacunque ſolutione continui partium carnoſarum , à quibuſcunque cauſis proueniente, vſurpat Galen.in lib.Metho. quod licet colligere ex lib.3. cap. ult. in quo ulcerum tradit differentias. Proprie uerò dicitur ulcus par-

tium

tium carnoſarum ab eroſione proueniens: ſic conſtituit Galen. in lib. de conſt. Art. poſt alios libros conſcripto: unde, & de ſolutione continui diſtinctè magis agit, quã alibi. Quare cũ animaduerteret, & ipſe voces iſtas aliter ab alijs uſurpari, & aliter etiam à ſe alibi vſurpatas fuiſſe, vbi explicauit partium omnium ſimilariũ „ ſolutiones, ſubiunxit. Atqui liceat, & hæc aliter nominare. Dicas igitur in lib. de Diff. Morb. ulcus communiter capi: in lib. de Conſtitu. Artis propriæ. Habuimus hactenus omnia genera ſolutæ unionis in partibus ſimilaribus, quorum nomina ſumuntur, & à cauſa diſſoluente continuum, & à parte diſſoluta. Repetamus itaque ſummatim omnia, vt memoriæ facilius commendentur.

Si in oſſe, & cartilagine fiat ſolutio ſectione, tenſione, & contuſione fractura dicitur. Si eroſione, caries vel teredo: in reliquis ſimilaribus diuiſio facta à re acuta, & tenui punctura dicitur: à ſecante vulnus: à graui & dura non relinquente ueſtigium contuſio, uel colliſio, vel impreſſio: à relinquente ueſtigium illiſio: ab erodente ulcus: ab extendente, atq; id in carnoſa parte, rhegma: in fibroſa & neruoſa, ſpaſma, à Hræcis: à V idio abruptio: poſſet etiam dici diſtractio. Atque hę quidem ſunt ſolutiones partium ſimilarium. An uerò ſint ſolutiones ſimilarium tantum, & non inſtrumeutalium, an alias conditiones requirant, facilius cognoſcemus, ubi notum fuerit, quæ nam ſint ſolutiones partium inſtrumentalium tantummodo, ſimilaribus ſeclusis.

De ſolutione continui inſtrumentorum propria. *Cap. XVII.*

GALENVS in lib. de Diſt. Morb. aſſeuerat apoſpaſmata eſſe morbos partium organicarum tantùm: in lib. de Conſtitu. Artis expreſſius ſolutionẽ in organicis fieri ait, cùm dirimitur coalitus partium diuerſi generis, & uocari hæc omnia apoſpaſmata. Ex hoc loco habemus apoſpaſma eſſe ſeparationem coalitus partium diuerſi generis: vnde io 3. de Off. Med. 31. apoſpaſmata eſſe ait, cùm quæ ſimul coniuncta & continuata ſunt, à ſe inuicem ſeiunguntur, dſtractis, diuulſiſque ligamentis, quæ ea
„ coniungebant: verba Galeni ſunt hæc. τὰ δὲ ἀποσπάσματα τῶν
„ ὀςῶν γίγνεται, ὅταν τῶν συνδούντων αὐτὰ διασπασθέντων ἀποχωρισθῇ πλεῖςον

πλεῖςον ἀπ' ἀλλήλον συνεχόμενα πρότερον. Et quoniam exemplum affert acromi, videamus quid de hoc dicat Hipp. 1. de Artic. 61. Ὅσοισι, inquit, *τὸ ἀκρόμιον ἀποσπαστῆ, τετέτρισι φαίνεται ἐξέχον τὸ ὀςέον τὸ ἀπεσπασμένον, ἐςὶ δὲ τοῦτο ὁ σύνδεσμος τῆς κληῖδος καὶ τῆς ὠμοπλάτης.* Acromium, ait Galen. eſſe os cartilaginoſum ſuperincumbens clauiculæ, & ſpatulæ, qua ſibi cohærent, membranas à ſeſe emittens, quæ illas ſimul annectant. Si itaque auellatur acromium, vt in palæſtra luctanti Galeno euenit, ſolet ſecum trahere clauiculam: quare ſpatula, & clauicula à ſeſe inuicem diducuntur: atque hæc eſt ſolutio continui in membro organico, quæ fieri non poteſt aliter, quàm ſi membranæ illæ acromii connectentes clauiculam, & ſpatulam aueliantur, atque extirpentur: quare Hippocr. eam negat eſſe luxationem, & recte, cùm ſolutio ſit continui: nam cùm ex connexione acromii, ſpatulæ, & clauiculæ fiat coalitus diuerſarum partium in vnum inſtrumentum ad hanc, vel ad illam motionem idoneum: ſi ſoluitur hic coalitus, auulſis, & extirpatis membranis acromii, exoritur continui ſolutio partis inſtrumentariæ. Huius affectus ſæpe mentionem fecit Galen. etiam in 1. de Off. Med. comment. 1. Neque hoc in ſolis articulis, ſed in aliis partibus omnibus euenire ſolet. Non longe abieris, cranium eſt inſtrumentum conditum ex cute, pericranio, oſſe cranii, & dura etiam meninge per multa ligamenta huiuſmodi oſſi adhærente: coaleſcunt omnes iſtæ partes ſimul membranulis, & fibris eas colligantibus: quare difficulter à ſe inuicem dirimuntur: ſi itaque auellas, & extirpes membranulas, & fibras, per quas cutis & caro ſubdita cuti coaleſcit pericranio, erit hoc apoſpaſma: præterea ſi pericranium à cranio ſepares, vt ſæpe fit à medicis, cùm cranium terebraturi ſunt, id etiam apoſpaſma eſt, quia extirpantur membranulæ, & fibræ, per quas cranio coaleſcit pericranium: idem eueniat, ſi duram etiam meningē à cranio ſepares, diuulſis ligamentis, per quæ ei coaleſcit: quod itidem in excindendo oſſe cranii ſcalpris lenticulatis fieri ſolet, vt docet Galen. 6. Metho. c. 6. nam dum os excinditur, lenticula quæ ſcalpri cuſpidem occupat, incumbens membranæ, dum impellitur ſcalprum, ſeparat membranā ab oſſe, ſi qua adhæret, ſine ullo diſcrimine, illud ſeparare, & dirimere membranam à caluaria Galen. uocat *ἀποσπᾶν*: quare & ea ſeparatio apoſpaſma eſt: dirimit enim coalitus partium diuerſarum. Sic & Ariſtot. 1. de

Hiſt.

Hiſt. Animal.c. 1. vſurpat hanc uocem, quando ſpongia à ſaxis auellitur,quibus adnata eſt : uide & lib.4.cap. 9. ubi ait polypos auelli non poſſe, ſed truncari . Cùm itaque vnumquodque inſtrumentum ex diuerſis partibus ſit compoſitum oſſibus,ligamentis,membranis,muſculis,venis,arterijs, neruis, quæ partes inter ſe coalitu connexæ ſint,quando altera ab altera diducitur, diuulſo coalitu, ſemper id eſt apoſpaſma ; & ex conſequenti ſolutio continui inſtrumentorum. Hoc diſci poteſt ex libris anatomicis apud Gale.& pulcherrimus eſt locus in 3.lib.c. 2. vbi docet membranam carnoſam ſeparare à cuti,& ab aliis corporibus ſubiectis: ſeparari eam à corporibus ſubiectis, facile ait, quia adhæret eis tantum,nõ coaleſcit,& ideo ſine ſcalpello ſolis manibus excoriatur : à cute verò ſine ſcalpello diuelli non poteſt, quia cuti coaleſcit, & ideo eius ſeparatio à cuti apoſpaſma vocari poteſt , quia coalitus partium diuerſi generis ſeparatur. Ad hæc medicus in exciſione uaricum,ſtrumarum, in exemptione calculi, partes ſimul coaleſcentes ſolet diducere, & apoſpaſmata committere : 5.etiam de Simp.Med.cap.1.apoſpaſma elegantiſſime deſcribit, dum actiones frigidi deſcribens ſic ait . Frigidum ſpiramenta cuncta in raris corporibus ſubiens, qualia ſunt vlcerata omnia, oculique & nares,ac os,uenterque omnes refrigerandorum corporum partes circumquaque amplectitur : & quodammodo multis circumquaque anſis eas contrahens, atque condenſans a continuis auellit : τοῦ συνεχῶν ἀποσπᾶ, licet quidam codices habeant τὸ συνεχὲς, quod planius adhuc eſt . Atque hæc eſt continui ſolutio ad ſola pertinens inſtrumenta,in qua,ut apparet, neceſſe eſt auelli,& extirpari ligamenta,per quæ partes coaleſcunt, ſiue ſint conſpicua,ſiue obſcura : In articulis enim ſunt inſignia, & conſpicua: in aliis partibus obſcura, vt in quibuſdam ſint fibræ tenues, veluti aranearum filamenta. Sed vbicunque per hæc corpuſcula fit coalitus partium diuerſarum,per earum auulſionem fit inſtrumentorum diſſolutio. Si enim partes inſtrumentum componentes integræ permanentes a ſe inuicem diducuntur, non potes dicere,ſolui continuum partium ſimplicium , ſed neceſſario ſolui continuum inſtrumenti,cum partes eius non coaleſcant amplius. Quod ſi vbi ſunt inſignia ligamenta,fiat ligamentorum diſſectio, ita vt pars vna ligamenti oſſi huic, altera oſſi oppoſito adhæreat, hanc non eſſe ſolutionem inſtrumentorum propriam, videbimus

poſtea,

poſtea, quia principalis diuiſio eſt in ligamento, quæ pars ſimilaris eſt: & propterea non oportet diuidi ligamentum, ſed auelli prorſus ab altera parte, & cohærere adhuc alteri parti oppoſitæ, quod ex rei natura colligi facile poteſt, & ex apoſpaſmate acromij ante ex Hipp.& Galen. adducto. Galen. in lib. de Diff.Morb.c.8. dum ageret de morbis communibus numero deficienti, & magnitudini imminutæ, hoc ſolere euenire, ait in apoſpaſmate, quia cùm partes diſtractæ, & auulſę coaleſcere amplius haud valeant, abſcinduntur: vnde exoritur numeri, & magnitudinis imminutio. Atque hæc de ſolutione inſtrumentis propria, quæ ſolùm apoſpaſma eſt: cùm ſolutio ſimilarium partium varias, & multiplices habeat differentias. Sit itaque ſolutio inſtrumenti, quando partes inſtrumentum componentes auelluntur à ſe inuicem, quod plurifariam poteſt euenire: vnde ſi cutis à partibus ſubiectis auellatur, & excorietur, ſi arteria, ſi vena à partibus ambientibus, ſi muſculi ab aliis partibus, & à ſe inuicem, vt oſſa taceam, de quibus iam conſtitit, omnia ſunt ſolutiones continui inſtrumentorum, quæ uocantur apoſpaſmata. Et licèt multa attulerimus exempla diuiſi coalitus inſtrumentorum, aliud tamen pulcherrimum exemplum ex 1.de Locis aff.ab initio adducere non grauabimur, vbi aſserit bronchia, quæ ſunt partes quædam aſperarum arteriarum, interdum tuſſi reijci: reijciuntur enim, quia à reliquis bronchijs ſeparantur: & ſeparantur, quia vincula membranoſa, per quæ ſimul coaleſcunt, diſsoluuntur. Diſsolutio illorum vinculorum apoſpaſma dici poteſt, & ſolutio continui in aſpera arteria, quę inſtrumentum eſt. Quod in uincula hęc membranoſa alicuius bronchij vtrinque diſsoluantur, & qua ſuperiori bronchio, & qua inferiori coaleſcit, ab aliis ſeparabitur, & tuſſi reiicietur: vnde ſequetur, quod diximus ex Gale.cap.8.de Diff.Morb, ex apoſpaſmate imminutio etiam in numero, & magnitudine. Hinc ratio reddi facillime poteſt, cur Galen. in Art. Med. cap. 90. ſcripſerit, ſcopum curandi continuitatem diuiſam eſse vnionem, quæ in partibus inſtrumentariis impoſſibilis eſt: nam cùm ligamenta partes ſimul copulantia auellantur, fieri non poteſt, vt amplius parti, unde ſunt auulſa, coaleſcant. Expoſitores uerò eius loci longe à Galeni ſententia aberrant, & inter cæteros Argenterius, qui licèt aliorum expoſitiones recte confutet, nihil tamen ipſe affert, quod ſcopum attingat: vt enim uerum ſit, unionem fieri à partibus,

quatenus ſunt ſimilares,non quatenus ſunt inſtrumentariæ,cùm vnio fiat à temperamento partium : non ideo ſequitur vnionem inſtrumentalium eſſe impoſſibilem, quia ſi non coaleſcent iterũ, quatenus inſtrumentales, coaleſcent ſaltem, quatenus ſimilares: vnde ſi non per ſe,ſaltim per accidens,iterum vnientur,quod contendit Argenterius : vnde ait. » Quod ſi vniuntur cum aliis organis,id accidit propter vnionem ſimilarium partium, ex quibus in- » ſtrumentariæ ipſæ conſtant. » At cùm Galen.dixerit, hanc vnionẽ eſſe impoſſibilem, indicat eam nec per ſe, nec per accidens fieri poſſe : atque ita eſſe conſtat ex ijs, quæ iam dixi, cùm ligamenta non poſſint amplius vniri parti, vnde ſunt auulſa, & huius rei ignoratio inde exorta eſt, quod nemo nouit, quid eſſet apoſpaſma,ideſt propria ſolutio coalitus partium inſtrumentalium, quod me adeo plane aperuiſſe puto,vt ab omnibus percipi poſſit.

Quod verò ait Argenterius, locum habebit in morbis ſequentibus, qui communes ſunt ſimilaribus & inſtrumentarijs : nam ſi tunc vnionem diuiſarum partium fieri licebit, tanquam ſimilarium, non tanquam inſtrumentalium licebit : quare vnientur inſtrumentariæ non per ſe, ſed per accidens, & ſecundario. Quod verò inſtrumentalium vnio ſit impoſſibilis, inde etiam patet, quòd Gale.in libris Methodi nullam de ea fecit mentionem, ſed docuit tantummodo, quomodo ſimilares partes diuiſæ iterum vniantur. Hæc attuli pro expoſitione loci illius Artis Medicæ, vbi Galenus aſſerit, ſolutionem continui in partibus inſtrumentalibus vniri non poſſe,quæ ſi non placebunt,perpendenda erunt, quæ Leonic. in pulcherrima quæſtione affert pro eius loci enucleatione, quam amiſſam ſi inuenero,in lucem dabo.

De acromio quadam. Cap. XVIII.

QVONIAM verò inter ſolutas vniones inſtrumentorum recenſuimus apoſpaſmata acromii, & ex Gal eno deſcripſimus acromium, contra cuius ſententiam Veſalius lib. 1. cap. 21. inuehitur, videamus quid obijciat,& an rectè obiiciat. Ait igitur acromium eſſe totum illum articulum, quo ſuperior ſcapulæ proceſſus cum clauicula committitur,& acromium vocari,id eſt, ſummum humerum,quia eſt ſupra articulum humeri, & ſcapulæ,

& ideo

& ideo erraſſe Galenum eo, quem citauimus loco, cùm aſſeruit acromium eſſe tertium quoddam os cartilagineum pręter proceſſum ſcapulæ, & clauiculam, quod clauiculæ contextui ad illum ſcapulæ proceſſum inſternitur, & à quo membranæ ligamentaque pronaſcuntur, quorum beneficio contextus iſte validius committitur: & in hoc damnat etiam Galeni inconſtantiam, qui cùm duas opiniones de acromio in lib. de Oſſibus cap. 14. adſcripſerit, nunc in hanc, nunc in illam abierit: ſic enim ait eo loci.

„ Os ſcapulæ maiore ex parte chartilagine, ſed vberius in imo „ contegitur, à ſpinaque tenue inchoatur, paulatimque plenius effi „ citur, donec ad acromii locum peruenerit, ibique cum iugulo „ coarticulatur: hanc ipſam compactionem nonnulli anatomes „ periti acromion vocant: alii præter hæc ambo, quæ coniungun- „ tur, tertium os eſſe inquiunt, quod in ipſis tantummodo homini- „ bus deprehenditur, id cataclida, & acromion appellant. Ex his duabus opinionibus priorem veram, alteram falſam eſſe ſtatuit Veſalius, quia nuſquam tertium os reperitur. Atqui mea ſententia debuerat potius Veſalius Galenum excuſare, quàm accuſare, & adeo vehementer accuſare, vt fateatur ipſe ſeſe in Galen. eſſe impium: & excuſatio erat facilis, quia cùm anatome ea longa & aſſidua inſpectione perficiatur: fatetur Galenus plerunque ſeſe multa ignoraſſe, quæ longo vſu poſtea didicerit. Poſſum itaque mihi perſuadere, eum quandoque tertium illud os exiſtimauiſſe ad conſtituendum acromium concurrere, cùm præſertim id ſcriptum inueniſſe apud anatomicos, ſed poſtea deprehendiſſe, priorem opinionem eſſe veriorem: vel dicas, licèt ibi duas proferat opiniones, proculdubio priorem alteri ab eo anteponi, quod colligitur ex alijs locis: non longe abieris, 5. de Admi. Anat. cap. 2. acromium eſſe aſſerit concurſum ſcapulæ, & clauiculæ: cùm enim conſtituiſset duo trianguli latera, alterum ex clauicula, alterum ex ſpina ſcapulæ, verticem horum duorum laterum, qua ſimul concurrunt, acromium eſse ait in hæc verba. At quod „ veluti vertex eſt duorum laterum, vbi coeunt inuicem, ipſum „ acromium eſt: qui locus cùm mendoſus ſit in codice Græco, in „ cauſa fuit, cur interpretes etiam errarent in eo vertendo. Mendũ autem eſt in vnica voce: vbi enim legitur [ὑπὸ] codex meus manu ſcriptus habet ἀυτὸ: In eandem ſententiam 13. de Vſu Part. cap. 10. ſcripſit, & acromium eleganter deſcripſit, cùm dixerit.

Hac ipſa rurſus ſpina[ſcapulæ videlicet] recte ad aliud etiam vti-
» tur : leniter enim finem eius ſuperiorem adaugens, & rectum at-
» tollens,atque ibi clauiculę coniungens,acromium,id eſt ſummum
» humerum, quod vocant, effecit, quod eſſet ſimul quidem operi-
» mentum, ac præſidium humeri inarticulationi : ſimul autem &
» prohiberet,ne caput brachii parte ſuperna excideret: poſt autem
» efficeret, ne ſcapula ipſa à thorace digrederetur. Hinc patet
Galen. priorem opinionem & à Veſalio laudatam eſſe amplexa-
tum. At inquit ipſe, in commentarijs de articulis & alibi ample-
xus eſt ſecundam opinionem, cùm tertium ſuum illud os inuexe-
rit. Si fatear eum ibi erraſſe, & alibi errorem ſuum agnouiſſe,
atque emendaſſe, ſatis excuſatum putauerim Galenum: at aſſero,
neque in hoc alienum eſſe Galenum à Veſalio : vult enim os hoc
connectens ſcapulam & clauiculam cartilaginoſum eſſe, & mem-
branas à ſeſe emittere, quæ vtrunque os ſimul connectant. Vi-
deamus, quomodo hæc oſſa ſimul connectat Veſalius, & in quo
» diſcrepet à Galen. ait autem. Huic [hoc eſt proceſſui ſcapulæ]
» modice prominens clauiculæ capitulũ articulatur, validiſſimisq;
» ligamentis conſtringitur. Interueniente hic peculiari cartila-
» gine illi prorſus ſimili, quam in articulis maxillæ inferioris cum
» capite obſeruari retulimus, quæ ſcilicet utrinque qua oſſa ſpectat,
» leuis & lubrica eſt,ligamentisque articulum amplectentibus dun-
» taxat continuatur. Certe nullum aliud eſt diſcrimen inter Ve-
ſalium, & Galenum,niſi quòd Veſalius cartilaginem, Galenus os
cartilaginoſum vocat,quia fortaſſe durius inuenerat, quàm com-
muniter cartilagines inueniantur : uel potius os appellauit, quia
ſic appellat Hippocr.in eo loco: & quia videbat Galen. illud verũ
os non eſſe, os cartilaginoſum vocauit, in quo non ſolùm non er-
rauit,ſed miro artificio Hippocratem, & veritatem ſimul conci-
liauit: at hoc quomodocunque ſit,non euariat morbi naturam,nõ
euariat eius dignotionem, nec curationem : vnde, ſiue cartilago
vera ſit,ſiue os cartilaginoſum, debuerat potius Galen. explicari
eo candore, quo ipſe Hippocratem explicat, quàm adeo impie
increpari. Quod ſi recte conſideres, tota illa accuſatio eſt contra
Hippocr.non contra Galen.cùm eius opinionis author ſit Hippo.
cuius expoſitor eſt Galenus. Sicuti igitur Veſalius hic carpendi,
auiditate errauit, ita in pluribus aliis locis, vbi Galenum taxat,
eum erraſſe credendum eſt.

Quando ſolutio continui ſit ſimilarium tantùm, quando tam ſimilarium, quàm inſtrumentalium ſimul. Cap. XIX.

TRIA erant diſcutienda de continui ſolutione: primum, quando ſit in ſimilaribus partibus tantum: ſecundum, quando in ſolis inſtrumentalibus: tertium, quando in vtriſque ſimul. Vidimus in prima parte, quomodo vocaretur vnaquæque ſolutio deducta denominatione à cauſa diuidente, & à ſimilari diuiſa, ſed non vidimus tunc, eſſet ne illa diuiſio ſimilarium tantum. Vidimus ſecundo, quando hæc diuiſio ſit inſtrumentalium duntaxat, atque hanc vooari apoſpaſma. Quare reliquum eſt, vt doceamus, quando ſolutio eſt ſimilarium tantùm, & quando ſimilarium & inſt rumentalium ſimul: atque horum vtrunque ſimul colligitur ex loco Galeni de Conſtit. Artis, quem adhuc ſecuti ſumus: nam poſt expoſita apoſmaſmata ſubiungit. Sed ſi ſimilaris quępiam particula in totum diſſecetur, affectio illa partim illius, quæ ſecta eſt, dicetur: partim totius inſtrumenti: quamuis nonnunquam huius non niſi ex accidenti dicenda ſit: cùm uel muſculus, vel aliqua alia eiuſmodi particula patitur: quandoque tamen etiam primum, vtpote, cum ligamentum. Summa huius ſententiæ eſt. Si pars ſimilaris integre diſſecetur, morbum illum eſſe tam partis ſimilaris diſſectæ, quàm totius inſtrumenti: ſed eſt morbns inſtrumenti, interdum ex accidenti, veluti cũ muſculus & aliæ partes conſimiles ſecantur: interdũ primo veluti cũ ligamentum. Hinc collige, quando pars ſimilaris non ex toto diuiditur, morbum illum eſſe proprium partis ſimilaris, quod clarius expreſſit Galen. in lib. de Diff. Morb. Hæc ſummatim Galeni ſententia eſt. Sed nullus vnquam difficilior hoc mihi locus occurrit, & in quo magis laborauerim: Ac Patauij cum diſcebam, & cum docebam, & toto tempore, quo vſque in hanc idem artis opera exercui: ſæpe mecum ipſe hunc locum examinaui: ſæpe dubia, quæ occurrebant, cum viris doctiſſimis communicaui: & nihil adhuc inueni, in quo acquieſcam. Nam primum videtur rei naturæ repugnare: quod ait, ſi ligamentum ex toto diuidatur, diuiſionem illam primò eſſe totius inſtrumenti: quis enim nou vi-

deat, hanc ſectionem primo eſſe partis ipſius diſſectæ? vnde rectius diceretur, hanc ſectionem primo eſſe ligamenti, ſecundario verò totius inſtrumenti. Præterea Galen. ſibi ipſi repugnat, cùm in lib. de Diſ. Morb. aliter omnino ſentiat, vbi ſtatuit, ſi diuellatur ex toto arteria, & ligamentum communem eſſe affectionem & totius inſtrumenti, & partis diuulſæ: & rationem addit, quia partes inſtrumenti non amplius copulatæ & vnitæ ſunt: ideoque ſoluta inſtrumenti continuitas, partis diuulſæ ſolutio eſt, quia ex vna factę ſunt duæ. At ſi non integra fiat diuulſio, hic non eſt totius inſtrumenti morbus, niſi ex accidenti. En, quomodo hoc in loco quando pars ſimilaris ex toto reſecta eſt, morbum communem eſſe afferat, & partis reſectæ, & inſtrumenti, & rationem reddit vtriuſque: nec vllum diſcrimen ſtatuit inter partes, immo uero ligamentum cum reliquis enumerat. Valeriola vt has effugeret difficultates, uel potius, quia oſcitanter conſiderauit hunc locum Galeni, ſic eum eſt interpretatus. Itaque ſimilari aliqua ex toto diuiſa, eius ſanè affectus ipſe fuerit, itemque totius inſtrumenti, interim ſecundum accidens, veluti cùm vel muſculus, vel alia pars ſimilis affecta fuerit, interim primario, vbi ligamentum male habuerit. Atque locum hunc, vt in pauca contraham, ſic exponit. Si pars ſimilaris, veluti vena, arteria, ligamentum per ſe ſola diuidatur, tunc diuiſio illa primario eſt partis ſimilaris: cùm verò inſtrumentaria pars vnitatis ſolutionem patitur, ueluti muſculus, tum ſecundum accidens & ſecundario ſimilaris pars affici dicitur: ac ſic totum Galeni ſenſum tranſponit, qui docet, quando pars inſtrumentaria ex ſimilaris diuiſione diuiſa eſſe intelligatur, aut ex accidenti, aut primo: at ipſe oſtendit, quando pars ſimilaris primo diuiſa eſſe intelligatur: quando ex accidenti & ſecundario: & in hanc venit ſententiam, quia cæpit muſculos, & alias partes conſimiles muſculis pro inſtrumentis: ligamentum verò, venas, & arterias pro ſimilaribus: vnde ſi diſcindatur muſculus, qui conflatus eſt ex fibris, carne, neruis, venis, & arteriis: partes ſimilares ſecundario, & ex accidenti erunt reciſæ, quia totum inſtrumeutum reciſum eſt: ſi verò ligamentum ſolùm per ſe, vena ſola per ſe, & arteria per ſe ſola diſcindantur, ſolutio illa primo erit partis ſimilaris. Quæ expoſitio ſi vera eſt, concidit prima obiectio: non enim ait Galen. ſectionem ligamenti primo eſſe inſtrumenti, ſed ligamenti ipſiuſmet, tanquam partis ſimilaris:

concidit

concidit & ſecunda,nec ſibimet repugnat Galen.non enim aſſerit ſectionem ligamenti ex toto, eſſe primo inſtrumenti, ſed partis ipſius ſimilaris. At hæc expoſitio præterquàm quòd extorta eſt, non conſiſtit: quia ut concedamus ſumi hoc in loco à Galen.muſculum pro parte inſtrumentali, nunquam tamen vere dicetur,ex eius ſectione partes ſimilares eum conſtituentes ſecundario eſſe diſſectas, muſculum vero ipſum totum primario: cùm enim quæ ſecundario patiuntur, id partiantur,quia participant affectu aliarum partium,vt colligitur ex Gale.1.de Loc.aff.hic ſimilares ipſæ non dicuntur participare affectu inſtrumenti, ſed potius inſtrumentum participare affectu ſimilarium: neque enim neruus, uena, arteria, caro componentes muſculum, dicuntur diuiſæ, quia muſculus diuiſus eſt: ſed potius muſculus diuiſus dicitur, quia partes ſimplices diuiſæ ſunt. Pręterea licet muſculus reuera ſit pars inſtrumentalis. vſurpatur tamen à Galen.vt ſimilaris, & ſimplex non in eo cap.6.de Conſti. Art.tantum, ſed in duobus etiam præcedentibus. Præterea apertiſſime Galen. proponit hic integram partium ſimilarium ſectionem,quam ait eſſe & partis ipſius diuiſę, & totius inſtrumenti: vnde quando ait, hanc eſſe quandoque ſecundum accidens, quandoque primo, de hac eadem intelligat,neceſſe eſt: at nunquam dixeris integram partis ſimilaris ſectionem interdum eſſe ipſius partis diſſectæ primo, interdum ex accidenti: quare oportet omnino, hanc diſtinctionem cadere ſuper partem inſtrumentalem,quæ ad ſectionem integram partis ſimilaris interdum ex accidenti ſecta dicatur, interdum primo. Quod ſi uerba Græca Galeni legas, deprehendas alium ſenſum non poſſe elici. Cùm itaque expoſitio hæc longe abeat à Galeni mente, obiectiones aduerſus eum allatæ non conciderunt. Quare enitamur nos eas diluere. Quantum itaque ad primum, cùm Galen. aſſerit, ſi diuidatur ligamentum, eum affectum eſſe primo inſtrumenti, dicas, uocem illam [primo] uſurpari improprie: & primo uoluiſſe Galenum intelligere non ex accidenti, ut diſtinctio eius hoc pacto procedat, ſi diſſecetur alia pars ex inſtrumentum conſtituentibus,quàm ligamentum, affectus ille inſtrumenti erit ex accidenti. Sed ſi ſecetur ligamentum, ille affectus erit & inſtrumenti, non ex accidenti: ſolet enim Galen. has uoces ita uſurpare: unde in cap. præcedenti eiuſdem libri, cùm dixiſſet, actiones inſtrumentorum primo ac maxime proprie eſſe

partium ipſarum ſimplicium, totius vero inſtrumenti ex accidenti: nec ſibi placeret vox illa [ex accidenti] addidit, vel ſecundariò: & cùm hæc etiam non probaretur, quia durum videtur, dicere inceſſum eſſe crurium actionem ex accidenti, vel ſecundario, ſubdidit vel non primo: nam reuera inceſſus actio eſt muſculorum primo, totius vero cruris, ſi non ex accidenti, ſi non ſecundario, ſaltim non primo. Ac ne quis magnam vim poneret in huiuſmodi verbis, ſubdidit, aut quomodocunque appellare libeat. Vt igitur ipſe quod ex accidenti vel ſecundario fit, non primo fieri aſſeruit: potuit etiam quod non ex accidenti fit, primo fieri aſſeuerare. Erit itaque ſenſus. Si qua pars ſimilaris ex toto recidatur, quæ ligamentum non ſit, affectus ille erit & partis ipſius, & totius inſtrumenti: ſed partes ipſius primo & per ſe: totius inſtrumenti ex accidenti, & ſecundario: ſi verò ligamentum ſit, affectus ille primo qnidem erit ligamenti, ſed inſtrumenti non ex accidenti, nec ſecundario, quare ex æquo, vt ex æquo hæc ſolutio ſit tam ligamenti, quàm totius inſtrumenti. Poſſemus etiam dicere Galenum recte protuliſſe integram ſectionem ligamenti primo eſſe inſtrumenti, quia cùm ſenſu careat ligamentum, & alium uſum non præſtet, quàm connexionem partium inter ſe: ſi diſſecetur nullo afficitur dolore: nulla priuatur propria actione: ſed eius ſectio tollit inſtrumenti actionem. Quare merito hæc ligamenti ſectio primo eſt inſtrumeuti. Vera eſſe quæ diximus de ligamento, patet apud Galen. 1. de Decret. Hippocr. & Plat. cap. 9. id autem in integra partium aliarum ſectione non euenit: ea enim ſectio primo priuat partem illam actione propria, quæ priuatio noxam infert actionibus inſtrumenti: quare ea noxa eſt inſtrumenti non primo, ſed ex accidenti & ſecundario.

Dices, cur in lib. de Diff. Morb. dixit hanc ſectionem eſſe communem toti inſtrumento, & diuulſæ particulæ enumerans ligamentum inter reliquas particulas, & nullum ſtatuens diſcrimen inter eius diuulſionem & diuulſionem arterię, aliariumque partiũ conſimilium? Reſpondeo Galeno propoſitum ibi fuiſſe, oſtendere ſolutionem continui eſſe communem partibus ſimilaribus, & inſtrumentarijs, idque exemplo arteriæ & ligamenti demonſtraſſe: verum enim eſt ſolutionem continui eſſe vtriſque partibus communem, nec opus fuit tunc ad viuum omnia reſecare: ſed poſtea in lib. de Conſtitu. Art. tradidit has ſolutiones diſtinctiores.

ctiores. Hæc habui quæ dicerem in hac tam ardua difficultate, ex quibus concidit & ſecunda obiectio, ſi recte perpendas.

Riſiſſet Argenterius, ſi hæc legiſſet, inanemq; eſſe dixiſſet hanc meam diligentiam, & laborem, ſeq; paucis explicaſſet, arguendo Galenum inconſtantiæ, & erroris: ego verò omnem lapidem mouendum cenſeo, vt veritas eruatur. Quod ſi hic eam eruere non poſſum, certe tantum abeſt, vt Galenum erraſſe putem, vt potius pro comperto habeam, me eum haud intelligere.

Indicata à me difficultate hac, extabit aliquando quiſpiam, qui eam enodabit.

Obiectiones Auerrois, & Conciliatoris, quòd non ſit ſolutio continui in organicis. Cap. XX.

CVM explicatum fuerit, qui nam ſint morbi ex ſolutione continui ſimilarium ſeorſum, qui inſtrumentalium, & qui tandem vtrarumque partium communes ſupereſt, vt in medium afferamus, quæ contra Galen. protulerunt & ueteres ſcriptores, & recentiores. Quæ cùm conſidero, ſubit mihi magna admiratio tantæ uarietatis, quanta apparet humanis ingeniis.

Hinc etenim videbimus Auerroim contra Galeni decreta aſſerentem, morbum ex ſoluta vnione eſſe in partibus ſimilaribus tantum, in organicis nullo pacto eſſe: inde Argenterium contra affirmantem in ſolis inſtrumentalibus hunc morbum habere locum, in ſimilaribus nequaquam. Sed videamus prius, quid dicat Auerrois. Hic 3. Coll. c. 14. ait ſolutionem hanc eſſe duplicem, alteram veræ continuitatis: alteram contiguitatis: prior nõ poteſt eſſe in organicis, quia in organica non ſunt uere continua, cùm continuum id ſit, cuius extrema ſunt vnum: at extrema partium ſimilarium organicas componentium non fiunt vnum: non poteſt igitur eſſe hæc ſolutio in organicis, niſi ex accidenti, quia videlicet ſit in partibus ſimilaribus componentibus. Ad id declarandum hoc affert exemplum Conciliator Diff. 75. paries eſt conſtructus ex lapidibus, lateribusque multis inter ſe calce coagmentatis: proculdubio vnuſquiſque lapis continuus & vnus eſt: ſed nec lapis cum lapide, nec lapis cum latere continuus eſt: licèt enim ſimul ſint coniuncti calce, eorum tamen extrema vnum

non fiunt: quare attigui potius ſunt, quàm continui, ſic membra organica compoſita ſunt ex ſimilaribus, quæ vere ſunt continuæ: muſculus tamen in inſtrumento non eſt continuus muſculo, nec venæ, nec arteriæ, nec neruo, nec aliis, quia licèt ſimul connectantur, eorum tamen extrema vnum non fiunt: cùm itaque in organo non ſit vera continuitas, ergo nec continuitatis ſolutio fieri poteſt. Verùm ſi ſoluatur contiguitas, hic eſt morbus ſitus, & compoſitionis, cùm ea, quæ ſimul erant connexa, & conſociata, diſiungantur, & diſſocientur. Cùm itaq; hæc etiã ſolutio cõtiguitatis ſit de alio genere morborum, hinc ſequitur, in organicis, nullo pacto eſse morbum ſolutæ continuitatis veræ, vel non veræ. Hinc Conciliator Diff. iam citata conſtituit, morbum hunc eſſe in ſimilaribus primo, & principaliter: in organicis ex accidenti, & ex conſequenti tantummodo, quatenus eſt in ſimilaribus componentibus inſtrumentum: vnde & ſic arguit. Hic morbus principaliter parti illi euenire debet, in qua vera eſt continuitas: ſed membrum ſimilare eſt huiuſmodi, cùm ſit vnum per eſſentiam, & non per colligantiam, vt eſt organicum. Præterea illi non principaliter accidit morbus, cui nunquam poteſt contingere, niſi & naturæ occurrat alteri, talis autem eſt morbus communis: nullo enim modo poteſt naturæ organicæ contingere, quin & ſimilari contingat: contra verò poteſt accidere. Hæc Auerr. & cum eo Conciliator.

Reſponſio Fernelij, & confutatio. *Cap. XXI.*

FERNELIVS 1. Patholog. c. 9. cùm videret totam vim argumentorum inde pendere, quòd partes ſimilares, ex quibus conſtat inſtrumẽtum non vere inter ſe continuẽtur, ſed tantũmodo adhæreſcant: reſpondet, hanc non eſſe inſtrumenti naturam, & propterea turpiter erraſſe Auerroim, quia ignorauit naturam inſtrumentalium: natura enim organi non conſtat ex connexione partium ſimilarium, ſed cùm idonea figura ſit inſtructũ. vt demonſtrauit ipſe 2. Phyſiologiæ cap. 1. hinc liquido apparet, poſſe vere ſolui continuitatem inſtrumenti vitiata conformatione: vnde ſic cnncludit. „ Quoniam igitur continui ſolutio rei figuram, „ & conformationem vitiat, ac peruenit, ipſa quidem per

ſe,

ſe, & primùm inſtrumenti morbus eſt, huicque perinde ac ſimi- „
lari per ſe accidit. Si rectè perpendantur omnia Fernelij verba, „
nullũ inuenias, quod non peruertat totam Galeni diſciplinam, & totam rei naturam: & mirum eſt id in primis, quòd dum conatur aſſerere hunc morbum In organicis, eum ab organicis prorſus ſecludit. Quis enim non videat, ſi ſolutum continuum ſit morbus inſtrumenti, quia conformationem inſtrumenti vitiat, uitiatam conformationem morbum eſſe, & ſolutam unionem non morbũ, ſed cauſam morbi? Vt hoc pacto aſtruat opinionem Argenterii, qui ſolutam continuitatem cauſam morbi, non morbum eſſe voluit. Dicet elegantiſſimus hic vir hic duos eſſe morbos, ſolutam vnionem, & vitiatam conformationem: & licet ſoluta vnio cauſa ſit vitiatæ conformationis, non idcirco deſinit eſſe morbus, quia certa eſt Galeni diſciplina morbum morbum parere. Reſpondeo, ſi duo hi ſunt morbi ſoluta continuitas, & vitiata conformatio: quomodò poteſt eſſe ſoluta continuitas, ſi Auer. contra quem diſputas, negat in organicis eſſe continuitatem? Non poteſt igitur reſpondere Fernelius, duos hic eſſe morbos, nam ſe ipſum deſtrueret, qui vt declinaret argumentum Auerrois, parauit ſibi confugium illud portentoſum, quòd ſoluta vnio vitiaret conformationem inſtrumenti: unde uidetur cum Auerroi conſentire, non eſſe hanc in inſtrumento continuitatem, nam uera reſponſio ad argumentum Auerrois eſt, demonſtrare hanc continuitatem: unde hæc Fernelij reſponſio deſtruit Galeni demonſtrationem, qua aſſerit ſolutam unionem eſſe morbũ communem ſimilaribus, & inſtrumentalibus: dicebat enim, ſi eſt communis quædam natura ſimilarium, & inſttumentalium, à qua bene ſe habente earum laudabiles prodeant actiones, à male ſe habente malæ: in hac erit morbus communis, ſed hæc eſt continuitas, ergo in continuitate ſoluta ſtatuendus eſt morbus iſte communis, quod cùm haud fecerit Fernelius, immò uerò totam hanc corruperit diſciplinam, à nobis eſt reiiciendus. Taceo poſitionem illã eſſe falſiſſimam, quòd inſtrumenta non conſtent ex coagmen ratione ſimilarium, & alios errores, qui ad præſens inſtitutum nihil faciunt.

Auerrois, & Conciliatoris confutatio. Cap. XXII.

LEONICENVS doctiſſimus in pulcherrima quæſtione de morbo in natura communi, cùm videret Auerroim, nulla alia ratione redargui poſſe, quàm demonſtrando in organicis eſſe veram continuitatem, quæ ſi ſoluatur, morbus in organicis excitetur, magna cùm diligentia inuenit hanc continuitatem: nam magna arteria ſiniſtro cordis ventriculo continuata eſt, cùm eorum extrema in vnum coaleſcant: eodem pacto vena caua cum iecoris gibbo: ſic & vaſa vrinalia in ſui exortu cum renibus, in fine cum veſica coaleſcunt. His alia multa poſſunt adiungi, nam & vena porta cum cauo iecoris, meatus felleus cum veſica fellea, vena deferens fecem ſanguinis cum liene, vena caua cum dextro cordis ventriculo, vena arterialis, & arteria venalis cum eodem corde coaleſcunt, & continuantur. Si quod igitur horum vaſorum per magnas tenſiones à ſuo principio auellatur, hoc erit uerum apoſpaſma, & uera diſſolutio organicæ continuitatis. Sed cùm ſolutiones hæ raro eueniant, ſenſum lateant, nec à medico curentur: præter hæc apoſpaſmata à Leoniceno inuenta ſunt, & illa multa, quæ nos adſcripſimus, in quibus ſoluitur coalitus partium diuerſi generis: coalitus autem continuitatis quædam eſt ſpecies authore etiam Ariſtot. 5. Phyſ. 27. & 28. Cùm itaq; pars parti coaleſcat per fibras, & membranulas, adeſt ibi continuitas, quia fines vinculorum illorum vnum fiunt cum partibus, quas ſimul copulant, & coniungunt: & propterea Galenus ſolutionem organicam eſſe affirmat, quando ſoluitur coalitus partium diuerſarum: atque id ad Ariſtotelis imitationem. Dicent Auerr. & Conciliator hanc non eſſe ſolutionem continui, ſed contigui: hæc autem ſolutio ab illa diſtincta eſt, & diuerſa, vt annotat Gale. 2. de Off. Med. comment. 25. ſic ſcribens. Vnitas abeſt omnibus
" fracturis, vlceribus, rhegmatibus, id eſt abruptionibus, contuſis.
" Contactus verò abſceſſibus, finibus, inflationibus, tumoribus.
" En in abſeſſibus diſſolui partium contactum, quia pus ſeparat muſculum à muſculo, muſculum à membranis, membranas à ſe inuicem, cutim à partibus ſubditis, & partes ſubditas à ſe inuicẽ: idem euenit in ſinibus: idem in inflationibus per flatus interpoſitos: idem tandem in tumoribus omnibus præter naturam: cùm

materia

materia eos excitans effluat ex venarum oſcillis inter ſpatia partium ſolidarum aliam ab alia ſeparans, vt vidimus, cùm oſtendimus, quomodo fiat in partibus inæqualis intemperies, phlegmones exemplo. Reſpondeo, ex Ariſtot. quæ ſe tangunt, non habere adiunctum coalitum neceſſario: & propterea eorum ſeparationem non eſſe continui ſolutionem: at in apoſpaſmate non ſolum contactus partium dirimitur, ſed coalitus etiam, cùm diſcerpantur ligamenta, per quæ pars parti coaleſcit: quare cum aliud ſit contactus, uel contiguitatis diremptio: aliud coalitus: ſequitur coalitus diremptionem veram eſſe continui ſolutionem, & iinſtrumentorum morbum. Verùm qualiſcunque ſit hæc continuitas, videndum eſt, an eius ſolutio morbus ſit ab aliis morbis diſtinctus: nam ſi diſtinctus eſt, corruit alterum Auer. argumentum, quo probat hunc morbum eſſe diiunctæ ſocietatis, non autem ſolutæ continuitatis. Et ſanè ſi conſideremus, quæ ante ſcripſimus ex Gale. in lib. de Diff. Morb. c. 10. Morbus ille ſocietatis, & hic ſolutæ vnitatis vnus atque idem videtur eſſe: eum enim fieri dicebat, cùm ligamenta, quę partes coniungunt, aut laxantur, aut intendũtur, aut abrumpuntur: illa abruptio ligamentorum, & apoſpaſma, quid differant, non video: quare etiam ſi primum Auerr. argumentum conciderit, ſecundum validius eſt redditum. Reſpondeo, abruptionem illam non eſſe apoſpaſma: nam in apoſpaſmate, vt vidimus, ligamenta non diuiduntur, ſed integra ab altera parte colligata auelluntur: at abruptio diuidit ipſum etiam ligamentum, & eſt affectus ille communis ligamento & inſtrumento, vt vidimus antea: verùm cùm hoc euenit, manifeſtum eſt, non vnum eſſe tantum morbum, ſed duos: alter eſt ſolutio continui communis ligamento, atque inſtrumento: alter eſt morbus ſocietatis: & primus morbus cauſa eſt ſecundi, per illam regulam, Morbus morbum parit. Quando itaque abrumpitur ligamentum, ſiue ex parte, ſiue ex toto abrumpatur, illa proculdubio eſt continui ſolutio, quatenus verò partes, quæ ſimul cohærere ſolebant, diducuntur, conſenſus etiam partium vitiatur: nam & in oppoſito huic morbo, quando videlicet partes, quæ ſuapte natura diductæ ſunt, coaleſcunt, veluti cum oris labia ſimul conglutinantur, geminus adeſt morbus, alter in conſenſu, alter in cauitate, vt ante demonſtrauimus: nec ſemel tantum, ſed ſæpius, & ſæpius in explicatione morborum uidimus,

unum & eũdem affectum multos eſſe morbos, ſed diuerſis rationibus. Quare non repugnat, adeſſe morbum in conſenſu, & in ſoluta continuitate ſimul. Sed ſi in abruptione ligamenti morbus eſt geminus, eadem ratione & in ſoluta vnione inſtrumenti, quæ apoſpaſma dicitur, duplex erit morbus: primus apoſpaſma ipſum deinde vitiatus conſenſus. Quare concludendum eſt, apoſpaſmata eſſe veras ſolutiones continuitatis partiũ inſtrumentaliũ, & ex deductis facile colligitur ſolutio argumentorum Cõciliatoris.

Solutionem continui eſſe cauſam morbi partium inſtrumentalium tantùm ex Argenterio. Cap. XXIII.

ARGENTERIVS in lib. de Gen. Morb. ter agit de ſoluta vnione: primo in cap. 2. vbi aſſerit eam non eſſe morbum, ſed cauſam morbi, ea ratione, quòd non ſit mala conſtitutio, vel compoſitio: ſed potius cauſa, quæ partium corporis compoſitionem vitiet: deinde in cap. 12. fuſius demonſtrat, ſolutionem continui vitiare conſtitutionem partium inſtrumentalium tantum, & ideo eſſe cauſam morbi partium inſtrumentalium, non ſimilarium: poſtremo in 13. cap. enumerans, qui & quot morbi ex ſolutione continui proueniant, in ſingulis ferè Galenum carpit. Ego primum diſcutiam, quæ tractat in cap. 12. deinde ad 13. veniam: nam argumentum in quo capit. 2. probat ſolutam vnionem morbum non eſſe, iam diſſolutum eſt in lib. cùm demonſtrauimus ſolutam vnionem eſſe diſpoſitionem malam, ſicuti ſunt, & alii morbi omnes.

Quod ſolutio continui non ſit cauſa morbi ſimilarium, vt vim argumentorum, non verba omnia eius in medium producam, ſic probat. Si ſoluta vnio eſſet cauſa morbi in partibus ſimilaribus, earum conſtitutionem, & actiones vitiaret, ſed neutrum efficit: ergo non eſt cauſa morbi partium ſimilarium: probat deinde aſſumptum. Et quoniam conſtat ex duabus partibus, videamus prius, quomodo probetur, non vitiari conſtitutionem ſimilariũ: deinde quomodo probetur, non vitiari actiones earundem.

Quantum ad primum ſic arguit. Temperies eſt ſimilarium conſtitutio, ſoluta vnio non vitiat temperiem, ergo ſoluta vnio

non

non uitiat ſimilarium conſtitutionem . Et quoniam utranque ex his propoſitionibus puto eſſe ueram , non adducam , quæ ipſe affert pro earum confirmatione , & tranſibo ad alteram partem aſſumpti , quod ſoluta vnio non lædat actiones ſimilarium . Probat igitur ſic . Actiones naturales attratrix , retentrix , & cæteræ ſunt ſimilarium partium actiones : ſoluta vnio naturales actiones non uitiat , ergo ſoluta unio non uitiat actiones partium ſimilarium . Hic probandum erat, ſolutam vnionem non lædere actiones naturales : Sed Argenterius , antequam id faciat,interponit argumentum Galeni , quo demonſtrauit,ſolutã vnionem eſſe morbum communem ſimilaribus , & inſtrumentariis,atque id non ſine artificio : nam qua ratione confutabit hoc Galeni argumentum eadem confirmabit , ſolutam vnionem non uitiare actiones ſimilarium . Apponit ipſe Galeni rationem his verbis . Eſt porrò ratio , qua utitur Galenus huiuſmodi . Si quid ſit ſecundum naturam commune ſimilaribus , & organicis partibus, quod animanti aut fuuctionem,aut vſum aliquem præſtet , eo uitiato communis morbus ſtatuetur . atqui vnitas communis eſt his partibus,quum ab ea vnaquæque illarum vna dicatur , & vnam edere functionem, unumq́ue uſum præbere : in ea ergo cõmunis morbus ponendus . In hac ratione id primum reprehendit,quòd uſum actionibus adiunxerit , nam in definitione morbi læſionem tantum actionum poſuit , nulla facta uſus mentione : immo uerò ait de ſententia Galeni affectum , qui actiones lædat , eſſe morbum : affectum, qui uſum impediat , eſſe cauſam morbi : perperam itaque in explicanda morborum natura uſus facta eſt mentio : deinde argumentum nullius ait eſſe momenti , nam licèt inſtrumenta,& ſimilares in hoc conueniant : quòd continua ſint , non ſequitur tamen , ſolutam continuitatem eſſe morbum utrorumque communem : nam conueniunt etiam in hoc ambæ partes,quod figura,magnitudine,& connexione ſunt præditæ nõ tamen morbus figuræ & magnitudinis, & connexionis eſt vtriſq; communis,ſed proprius & peculiaris inſtrumentalium . Cùm male itaque argumentatus ſit Gale.docet Argenterius,quo argumento uti debuerit : debebat autem eò potiſſimum reſpicere,ut probaret ſolutam unionem lædere actiones partis utriuſque: ſed ait non potuiſſe hoc probare Galenum, quia ſoluta unio non lædit actiones partium ſimilarium : atque hoc deinceps probat , ut

uno

uno,atque eodem tempore refutet argumentum Galeni, & ſuum confirmet, quod intermiſimus. Cùm itaque quatuor actiones naturales ſint propriȩ actiones ſimilarium: putat eas non lædi ex ſolutione continui,quia ſi ſola adſit ſolutio continui ſine inflammatione,ſine intemperie,& tandem ſine alia aliqua circunſtantia pars diſſoluta obtinebit actiones iſtas omnes integras, ut antea: vnde, & in vulnere proba caro generabitur pro glutinatione,& ſi deperdita erit,reſtituetur,quod non eueniret,ſi ſoluta vnio actiones iſtas læderet.Quod ſi, inquit, uelis omnino interdum à ſoluta unione lædi actiones ſimilarium,nõ ſtatim ſequetur, morbũ eum eſſe, aut cauſam morbi ſimilarium: nam morbi uere inſtrumentales lædunt interdum actiones ſimilarium, non tamen ſunt morbi ſimilarium. Hactenus confirmatum eſt aſſumptum primi argumenti Argenterij, ſolutionem ſcilicet continui non lædere conſtitutionem,nec actiones ſimilarium. Arguit denuo, & ſic. Si ſoluta vnio eſſet cauſa morbi ſimilarium,ſequeretur,nunquam poſſe reperiri morbum ex ſoluta vnitate in parte inſtrumentali, quin in ſimilari etiam eſſet: at Gale. ipſemet fatetur, eſſe morbũ ex ſoluta vnione in inſtrumentarijs tantum,quare etiam ſi ſoluatur unio ſimilaris,non eſt morbus,aut cauſa morbi ſimilarium.

Atque his confectum eſt,ſolutam vnionem non eſſe cauſam morbi in ſimilaribus. Reſtat demonſtrare, ſolutam vnionem eſſe cauſam morbi inſtrumẽtalium,quod facillimum eſt ex actionum lȩſione: nam ſi ſoluitur continuum in crure, læditur inceſſus,quæ eſt cruris actio: ſi in manu,læditur apprehẽſio: ſi in oculo, viſio: ſi in lingua,locutio: & ſic in reliquis omnibus. Cùm iam probatum ſit ſolutionem continui eſſe cauſam morbi inſtrumentalis, deducitur in multis erraſſe Galenum, & tunc maxime, cùm protulit,ſectionem totius arteriæ eſſe morbum tam arteriæ, quàm inſtrumenti,in quo ſita eſt: ſectionem verò portionis eius eſſe morbum arteriæ tantum: nam vtraque ſectio pertinet ad inſtrumẽtum,cùm eius lædat actionem,altera plus,altera minus,& prout ſectio maior,vel minor eſt. Id etiam taxat in Galen.quod dixerit,arteriæ, & ligamenti diuulſiones eſſe paſſiones totius inſtrumenti, & partis ſimilaris:apoſpaſmata verò inſtrumenti duntaxat: nam vt ſimilarium diuiſione inſtrumentum, ſic quum id auellitur,ſimilares pati neceſse eſt. Reiecta Galen.ſententia Argenterius in prin.cap.13.morbum, qui naſcitur à continui ſolu-

tione

tione, proprium eſſe ſtatuit inſtrumentalibus: vnde non quatuor tantum, ſed quinque eſſe putat, ex quibus inſtrumentorum ſtructura conficitur, conformationem, magnitudinem, numerum, coniunctionem, & vnionem partium componentium. Erit itaq; ſoluta vnio propria inſtrumentariis partibus non communis ſimilaribus, & inſtrumentariis.

Iulij Alexandrini reſponſio ad Argenterium, & eius confutatio. Cap. XXIIII.

Libet in hac extrema parte, tanquam in extremo actu artificioſas reſponſiones in medium afferre Iulij Alexandrini. Argumentabatur Argenterius, ſolutam vnionem non lædere conſtitutionem partium ſimilarium, nec actiones ab ea prodeuntes, quo conficiebatur, ſolutam vnionem non eſſe morbum, nec cauſam morbi partium ſimilarium. Alexandrinus in Antargentericis reſpondet, hoc eſſe falſum, nam eſſentia ſimilarium in vnione conſiſtit, quod inde liquet: quia cùm conſtitutio, & eſſentia ſimilarium ſit temperies: & temperies miſtione conſtet, miſtio autem ſit miſtorum immutatorum vnio, vnitã eſſe temperiem oportet: ſed quia Argenterius in Reinerio validiſſimis rationibus demonſtrat de hac vnione non poſſe intelligi, cùm verba fiunt de morbis ſolutæ vnionis quas vnuſquiſq; apud eum legere poteſt, Alexandrinus in defenſione Antargentericorum ſic nititur obiectis omnibus ſatisfacere. Solutam vnionem lædere temperiem, ſoluendo eam, ac diuidendo, ſicuti ſoluit, & diuidit partem ſimilarem, cuius eſt temperies: ſed ſi ſoluta vnio lędit temperiem, non videtur aliter eam poſse lædere, quàm mutando ad intemperiem: quod ſi ſic, duo tunc erunt morbi in parte ſimilari, & ſoluta vnio, & intemperies: hoc ipſe negat: & conſtanter repetit, nullam aliã eſse læſionem temperamenti, quàm eius diuiſionem. Non poſſum uitare, quin eius verba adducam: quibus hæc ſententia explicatur. Poſt multos itaque dialogos habitos cum aduerſario hanc tandem longiſſimam, & confuſam colligit concluſionem.

" Quærit quomodo different morbi temperaturæ, & ſolutæ continuitatis, ſi quidem temperatura continui ſolutione offendetur. Reſpondeo, verùm meminerit prius, cùm offenſam ſolutione hac

„ vnitatem temperamenti dico, offenſam vnà quoque ſubſtantiæ „ corporeæ vnitatem exiſtimare me,eandemque ſemper vtriuſque „ rationem ducere: nam aliter, vt dixi, nec fieri, nec cogitari po- „ teſt. Facta igitur in ſimilari parte ſolutione hac, ſimilaris ſtatim „ partis natura atque eſſentia,quam vnitam eſſe oportere monſtra- „ uimus, perit: ideoque & forma eius,quæ temperatura eſt, ſolui- „ tur, quod cùm præter naturam illi contingat, nihil ſanè mirum, „ ſi in affectu huiuſmodi morbus orietur ab intemperiei morbo „ alius.Quum enim duo ſint, quæ ſimilarium eſſentiam vnde actio „ earum prodeat,conſtituant, primum quidem in ſubiecto ſemper „ ſuo temperamentum, quæ qualitas eſt: nec minus in ſubiecto iti- „ dem ſuo temperamenti ſemper vnitas ac continuitas, vtrocumq; „ modo affectis partibus illis lædatur actio,morbum eas incurrere, „ neceſſum fuerit: itaque quoties ſolutionem vnitatis tempera- „ menti dicimus, aliud omnino, ac diuerſum dicimus ab intempe- „ rie, in qua qualitas tantum quædam in ſubiecto ſuo ſpectatur. „ Hoc ſi inſpicere non poſſunt hi,nimis profecto cæcutiunt.

Hæc ille,& alia huiuſmodi multa, quę poterant vno verbo cō- plecti. Negas Argenteri ſolutam vnionem lædere temperiem, mentiris: quia me iudice ſoluta vnio lædit temperiem ſoluendo, & diuidendo ipſam, perinde ac partem, cuius eſt temperies, nec dico ea læſione eam mutari ad intemperiem, ſed ſolum diuidi,& diſſolui.Machina certe eſt hæc portentoſa, & monſtruoſa, quæ fa- bulā claudit, & difficultates omnes diſſoluit: ſed eam perpenda- mus aliquantulum. Diuiditur pars ſimilaris,& diuiditur in par- tes duas, ergo & temperamentum in duas partes ſecabitur, quæ nam actionis ſequetur læſio? ſanè ſi temperamentum non immu- tatur,ſolita ſua fungetur actione, ſed actio etiam ipſa diuidetur: habebimus itaq; ex vna parte duas: ex vno temperamento duo: ac ex conſequenti ex vnica actione duas. Sed plura non dicam de hac opinione: nam præterquam quod nihil affert cōtra Argenterij argumenta:neminem futurum puto,qui riſu abſtineat, cùm cali- ditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem gladiis pungi, ſecari, & diuidi audiat, & Alexandrinum repente immutatum, atque ex peripatetico factum ſtoicum, qualitates in corpora im- mutaſſe: atque hoc pacto omnia incommoda, omnes difficulta- tes euaſiſſe.

Reſponſio

Reſponſio Fuchſij, & confutatio. Cap. XXV.

FVCHSIVS 3.Inſtit.ſect.1.cap.6.cùm premeretur argumentis Argenterij, confugit ad Alexandrinum, & eandem penitus attulit reſponſionem: nam vbi demonſtrauit, temperiem quatuor elementorum eſſe partium ſimilarium ſubſtantiam, atque eſſentiam, & hanc etiam in ſolutione vitiari ſubiunxit hæc. Quum autem corrumpi ſimilarium partium eſſentiam per continui ſolutionem dicimus, non intelligimus eam ita corrumpi, vt in alteram ſpeciem tranſmutetur, nam id ſolius eſt primæ qualitatis opus, ſed quod vnita ſubſtantia ſeparetur. Pudet Fuchſium aperte pronunciare, vt pronunciauit Alexandrinus, in ſolutione continui diuidi temperamentum, & verborum diuerticulis id tantum ſignificat: nam per ſeparationem vnitæ ſubſtantiæ ex prędentibus Fuchſij verbis nihil aliud poſſumus intelligere, quàm diuiſionem, & ſolutionem temperamenti: nec Fuchſium ſolum, & Alexandrinum ad has ineptias impulerunt Argenterii argumenta, vt aſſererent in ſolutione continui temperamentum diuidi, ſed Eraſtum etiam, qui in quarta parte Paracelſicorum duas vnitates confixit, alteram συμφυΐαν, id eſt vnitatem, alteram συνέχειαν hoc eſt continuitatem: & prior, inquit, conſiſtit in ſimilitudine, ſiue vnitate naturę, & temperamenti: poſterior in cohæſione partium ſpectatur. Sed reuertamur ad Fuchſium, qui hoc pacto putat ſe confutaſſe Argenterii argumentum, quo probabat ſolutionem continui non eſſe cauſam morbi in ſimilaribus, quia ſimilarium conſtitutionem, quæ temperies eſt, non lædit. Quare tranſit ad aliud argumentum, quo probabat ſolutionem continui ſimilarium actiones non lædere: & quoniam id demonſtrat Argenterius inde, quia partes diſſolutæ nutriuntur, & carnē gignunt, vt prius, hoc ſic euertit Fuchſius. In membro diuiſo ſunt partes diuiſæ, & integræ: integræ integras adhuc edunt actiones, diſſolutæ nequaquam: quare ſi nutriuntur, & carnem gignunt, ope integrarum id conſequuntur: vnde ſic ait. Quod enim caro in vulneratis partibus procreatur, id non partibus diuiſis acceptū referendum erit, ſed ſubiectæ potius carni adhuc ſanæ, & integræ. Nihil vnquā legi imperitius, nihil à ratione, & ſenſibus alienius: quod vt facile appareat, proponamus nobis ante oculos vlcus

magnum, & cauum. Hoc proculdubio antequam conglutinetur carne eſt replendum: carnem natura generat: ſummotis à medico impedimentis, ſiqua ſunt: quæ nam igitur natura generabit hanc carnem deperditam? non natura partium diuiſarum, inquit Fuchſius, ſed natura carnis ſubiectæ: & per carnem ſubiectam intelligit integram, & non diuiſam: neceſſe eſt itaque carnem hanc ab vlcere eſse remotam: ſi itaque gignit hæc carnem pro replendo vlcere, neceſse eſt, ut iam genitam eò tranſmittat: at quæro tranſmittit ne paulatim, an ſimul totam? ſed quomodocunque tranſmittatur, quæro, quid nam eam apponat, & agglutinet partibus diuiſis, & cauis? nunquam dixerit hanc carnem ſe ipſam apponere: Sed credo iam hominis imperitiam apparere: quare nõ laborabo amplius in ea patefacienda: nam certum eſt, partes ipſas diſsectas attrahere nutrimentum, & ſui ſubſtantiam conuertere, & carnem deperditam gignere, vnde admonet Galen. ſemper partis diſsectæ conſeruandam eſse, aut, reuocandam, ſi immutata eſt, temperiem: hæc enim ea eſt, quæ carnem producit: iubet etiã medico, vt remoueat impedimenta, non à carne ſana, atque integra, ſed à diſsecta, ut probe poſſit nutriri. Stant itaque adhuc Argenterij argumenta inconcuſsa. Verùm cùm probaſset Argenterius per enſtaſim, ſolutam vnionem non lædere actiones partium ſimilarium, deinde per antiparaſtaſim, etiam ſi lædat, nõ ideo morbum eſse ſimilarium, Fuchſius enſtaſi confutata eo modo, quo vidimus, ſe confert ad antiparaſtaſim. Atque in hoc argumento cum aſserat Argenterius, etiam ſi concedatur lędi poſse actiones ſimilarium à ſoluta vnione, non ſequi tamen ſolutam vnionem eſse morbum ſimilarium, nam morbi etiam inſtrumentales lædunt actiones ſimilarium, & tamen morbi ſimilarium non ſunt: Fuchſius hic primò prolixa oratione demonſtrat rationem diuerſitatis inter morbos conformationis, magnitudinis, numeri, & compoſitionis, ac morbos ſolutæ vnionis: vnde illi non poſſunt vllo pacto eſſe morbi ſimilarium: hi uerò eſse poſsunt, immo uero magis proprie ſunt ſimilarium morbi, quã inſtrumentaliũ: & ideo argumentũ Argenterii concidit: ſed de Fuchſij reſponſione paulopoſt agemus. Deinde nititur probare morbos inſtrumentales non lædere actiones ſimilariũ, atq; id falſo: ſæpe enim ante eſt nobis demonſtratũ, morbos inſtrumentales lædere actionem ſimilariũ, & ſimilares actionẽ inſtrumentalium, nam quis neſciat per

magnas

magnas inflammationes lædi actiones naturales, quæ ſimilarium propriæ ſunt? Ac poſtquam diu laborauit Fuchſius, licet rationes Argenterij non refutauerit, tamen exultat tanquam victor, & concludit adeo eſſe propriam ſolutionem continui partium ſimilarium, vt impropriè attribuatur inſtrumẽ talibus: citatq; Auer. & in eius abit ſententiam, in organicis eſſe potius contiguitatem, quàm continuitatem: atque hoc pacto cùm haud euertat Argenterii argumentum, Galenum, cuius patrocinium ſuſcepit, indefenſum deſerit. Cùm præterea Auerroim approbet, eodem tempore Galenum Auerrois calumniis obnoxium eſſe confitetur.

Pergit deinc Fuchſius aliis argumentis reſpondere, & quoniam recte reſpondet, reiiciam hanc reſponſionem in præſentia, paulo poſt eam loco opportuniore repetiturus, ne eum honore ſuo defraudem: qui vtinam fęliciori fuiſſet ingenio, & melius in philoſophia exercitatus: cùm enim valde eſſet propenſus ad veritatis inquiſitionem, rectius eam inueſtigaſſet.

Expoſitis ac conceßis ab Argenterio colligi ſolutionem continui eſſe morbum, & partium etiam ſimilarium. Cap. XXVI.

CVM Argenterius aſſerat, ſolutionem continui non eſſe morbum, ſed cauſam morbi, præterea non eſſe morbi cauſam in ſimilaribus, ſed in inſtrumentalibus: ex ijs, quæ in tota ſua diſputatione concedit, cogitur, uelit, nolit, aſſerere ſolutionem continui eſſe morbum, & eſſe morbum non minus partium ſimilarium, quam inſtrumentalium. Concedit primo in ſolutione continui partium ſimilarium vnionem diſſolui: deinde ab hac diſſolutione lædi actiones partium inſtrumentalium. His poſitis, ac conceſſis tanquam ad ſenſum manifeſtis, ſequitur, ſolutionem continui eſſe morbum, ex illo principio iam toties ſtabilito, quidquid lædit actiones primo, morbum eſſe: ſequitur deinde, hanc ſolutionem eſſe morbum ſimilarium: quia licèt lædat actiones inſtrumentalium, nihil prohibet, quo minus ſit morbus ſimilariũ ex alio principio à nobis conſtituto poſt explicatos morbos inſtrumentales: genera morborum videlicet, & differentias ſumi à

propria eſſentia, non ab actionum læſione: ſic enim morbi ſimilarium proprii ſumuntur à propria eſſentia, quæ temperies eſt, nō ab actionum læſione: nam ſi ab hac ſumerentur, ſequeretur, quod interdum eſſent morbi ſimilarium, interdum inſtrumentalium, cùm lædant tam actiones ſimilarium, quàm inſtrumentalium: ſic contra morbi inſtrumentalium conſtituuntur, & ipſi à propria eſſentia, quæ cōpoſitio eſt, non ab actionum læſione: ſic enim quandoque eſsent morbi ſimilares, cū ſępe actiones ſimilarium lædant. Morbus itaq; ex intēperie ſemper eſt morbus ſimilariū, ſiue ſuarū ſimilarium vitiet functiones, ſiue inſtrumentalium. Sic morbus in cōpoſitione ſemper eſt inſtrumentalis, ſiue actiones ſuas inſtrumentales, ſiue actiones ſimilarium corrumpat. Ex hoc principio à me antea demonſtrato, & ſtabilito conſtare iam puto, ſolutionem continui ſimilarium, cùm ſit in earum eſsentia, earum eſse morbum, etiam ſi lædat actiones inſtrumentorum tantum. Quo fit, vt argumenta omnia, & reſponſiones omnes Eſerniorum, & Pacidianorum noſtrorum ſint extra propoſitum, & propterea pro nihilo habenda. Maior erat vis in argumentis Auerrois, quia ab eſsentia rei ea deſumebat: cùm enim negabat eſse ſolutionem continui in organicis, à propria eſsentia id arguebat, cum diceret in organicis continuitatem non eſſe. Sed licèt ex ſe concidant iam argumenta omnia, ne quid dubii in animo alicuius relinquam, ea ſingillatim refutabo.

Confutatio argumentorum Argenterij. Cap. XXVII.

CVM itaque negat ſolutionem continui eſse morbum, quia morbus eſt compoſitio, quòd Conciliatoris fuit argumentum, cum Conciliatore refutemus, dicentes morbum potius, eſſe diſpoſitionem præter naturam, quàm compoſitionem quare cùm ſolutio continui ſit, & ipſa diſpoſitio præter naturam, morbus ſit, neceſse eſt: licèt enim ſoluta vnio non videatur eſse diſpoſitio, cùm partes habeat diſiunctas, & ſeparatas: dico tamen, & eam conſtare ex partibus poſitionem habentibus, ut in primis libris demonſtraui: cùm itaque ſit diſpoſitio præter naturam, ſi lædat actiones, morbus erit neceſsario: ſed concedit Argenterius eam lædere actiones inſtrumentalium, erit ergo ſaltim morbus inſtrumentalium

mentalium per ipſum, vnde ſanè mirum eſt, cùm conetur tueri poſitionem hanc, ſolutionem continui non eſſe morbum, quod paſſim tamen fateatur, eam actiones lædere, nec animaduertat ſe hoc pacto ſæpe implicare contradictionem: implicatio enim eſt maxima ſolutio continui lædit actiones, & ſolutio continui morbus non eſt. Ad argumentum quo probat ſolutionem continui non eſſe cauſam morbi ſimilarium: nego aſſumptum, quod erat ſolutionem continui non lædere conſtitutionem, nec actiones partium ſimilarium. Dico igitur hoc eſſe falſum, quia conſtitutionem lædit, quod facile probatur, cùm enim duplex ſimilarium ſit conſtitutio, altera propria, quæ temperies eſt: altera communis, quę vnio eſt: dico lędi hanc communem conſtitutionem. Concedit, & ipſe vitiari, & lædi partes ſimilares, vnde quæram de ipſo, quid nam ſit vitiũ hoc, & læſio hęc: cùm enim ſit præter naturam, morbus ſit: aut cauſa morbi, aut ſymptoma, neceſſe eſt. Symptoma eſſe non poteſt, nam nec actio læſa eſt, nec ſuppreſſa, aut redundans excretio, nec mutata quæpiam qualitas: reſtat igitur, aut morbum eſſe, aut cauſam morbi, quod vtrunque contra eum eſt. Nam ſi cauſa, cauſa eſt in ſimilaribus: ſi morbus eodem pacto morbus in ſimilaribus: at ipſe negat ſolutam vnionem eſſe morbum, aut cauſam morbi ſimilarium. Vidimus iam vitiari conſtitutionem communem, quæ vnio eſt: demonſtremus deinceps actiones etiam vitiari. Ex ſoluta cruris vnitate læditur inceſſus, quæ cruris eſt actio, ſed nõ actio cruris totius, immo verò muſculorum tantum, & ex partibus muſculorum, fibrarum tantum, diſſectio harum fibrarum lædit inceſſum, actionem primo, & per ſe à fibris emanantem. Habemus hic itaque, & læſionem conſtitutionis, & læſionem actionum: quare aſſumptum negans in ſoluta continuitate ſimilarium lædi earum conſtitutionem, & actiones, falſum eſt. At, inquit ipſe, in argumento meo non ſum complexus hanc cõſtitutionem, nec has actiones, ſed temperiem, quæ eſt propria ſimilarium conſtitutio, & actiones à temperie manantes, & demonſtraui nec temperiem, nec actiones à temperie prodeuntes, à diuiſa vnitate ſimilarium lædi. Reſpondeo ſatis mihi eſſe, demonſtraſſe in hac ſolutione vitiari, ſi non propriam ſimilarium conſtitutionem, ſaltim communem cum organicis, & lædi ſimul actiones ab hac communi conſtitutione prodeuntes: nã cùm hæ fibræ vnitæ ſunt, contrahi poſſunt, atque extendi, &

ſic inceſſus celebratur : ſi diuidantur, nec contrahi poſſunt, nec extendi, quare inceſſus impeditur. Præter itaq; primam rationē ſatis hoc mihi eſſe deberet, ad proſternēdam vanam poſitionem tuam. Sed quia per conſtitutionem, ſignificabas temperiem, quæ propria eſt ſimilarium conſtitutio:per actiones,naturales ab hac temperie manantes, atq; in hoc plurimum exultabas:demō-ſtrabo temere te exultare:immo verò tuo te ipſum telo confodere. Nam ſi conceſſero ego, ſolutionem continui ſimilarium non lædere temperiem,nec actiones à temperie prodeuntes,& tamen conſtat ex iam dictis,te ipſo etiam fatente, eam lædere actiones, ſequitur, quòd primo, & per ſe lædit actiones eas, & propterea morbum eſſe. Quòd ſi tu aſſeruiſſes ſolutionem hanc lædere temperiem, & ex conſequenti actiones à temperie prodeuntes, nullo pacto hæc ſolutio poterat eſſe morbus, quia non primo læderet actiones,ſed interuentu lęſę temperiei,& propterea hoc argumentum totum cōtra poſitionem tuam progreditur, vnde apparet,quàm inepte laborauerint Alexandrinus,& Fuchſius in refellendo hoc argumento, vt Argenterii poſitionem refellerent: nam confutatio huius argumenti, poſitionis Argenterianæ comprobatio eſt,ſicuti eius admiſſio, eiuſdem poſitionis eſt refutatio: tantam habet vim dogmatum ignorantia. Argumentum itaque illud concedendum erat, quia verum eſt, & nullo pacto infirmari poteſt: vnde mirum non eſt, ſi ad eas ineptias deuenerunt, vt dicerent qualitates vulnerari, pungi, contundi, diſcerpi, & laniari, vt refellerent, quod refelli minime poteſt: veriſſimum enim eſt ſolutionem continui non lædere temperiem, cum liceat videre partes multas vulneratas ſeruare ſuam temperiem:quod ſi quandoque eam amittant, id ob ſolutionem non euenit, ſed alias ob cauſas: nam ſi ſolutio ſui ratione læderet temperiem, ſemper læderet. At quanquam ſolutio continui non lædat temperiem, lædit tamen actiones naturales per ſe attractricem, retentricem, & expultricem potiſſimū: cùm enim actiones hę per fibras exerceantur, quis non fateatur, diſſectis fibris actiones haſce vitiari? Quod ſi & concoctricem lædi aſſeras, rationi non repugnabit: cùm enim læduntur reliquæ,neque hæc integre ſuo fungitur officio. Sed non aduertebam me prætergreſſum eſſe ordinem obiectionum Argenterij: quare eò redeundum, vbi demonſtrationem Galeni in aſtruendo morbo communi carpit. Carpit autem

primum,quod aſſeruerit,conſiderandum eſſe in qualibet particula,quem vſum,& quam exhibeat actionem, nam vſus mentio nō erat facienda, cùm de morbis diſputetur, in quorum definitione facta eſt actionis mentio,non vſus. Quædam de hoc dixi in definitione morbi, vertens in dubium, cur in ea non addiderit vſum actionibu s,cùm morbus non actiones tantū, ſed vſum etiam impediat: & reieci quæſtionem illam ad hoc tempus:ſciebam enim Argenterium id Galeno obijcere. Nunc itaque vtrique ſatisfaciam quæſtioni,& facillime ex ijs,quæ ante à me ſunt demonſtrata,cùm de actionibus egi inſtrumentorum. Repeto igitur vnumquodq; inſtrumentum ex multis partibus ſimplicibus coagmentatum eſſe,quarū vna ſola ſit actionis auctor, veluti humor chryſtallinus viſionis in oculo:cæteræ partes vſum tantummodo afferunt huic actioni, eumque diuerſum, vt ibi declarauimus. Porrò ſi quo morbo corripitur illa particula,ſiue intemperiei,ſiue compoſitionis,ſiue ſolutę vnionis, lęditur actio illa proculdubio: ſed ſi vitietur aliqua pars vſum prębens,atque id vitium lędat actionem inſtrumenti, nulla illata noxa particulę opifici actionis, vitium illius particulę vſum præbentis morbus eſt, propter illud principium æternum & inuiolabile. Quidquid primo, & per ſe lædit actionem morbum eſſe. Sed ſi vitium particulæ vſum præbentis lædat actionem inſtrumenti illata noxa parti opifici actionis,non morbus amplius, ſed morbi cauſa eſt,ob eandē rationē, quia non primo, & per ſe lædit actionem,ſed interueniente noxa particulæ illius principalis. Atque hinc error inſignis apparet Argenterii,qui Galeno aſcribat, vitiū particulæ vſum præbentis eſſe cauſam morbi, non morbum: nā, vt hic demonſtrauimus, & ſuperius, tam morbus eſſe poteſt, quàm cauſa morbi. Cùm itaq; vnumquodq; inſtrumentum vnam ſolam contineat particulam opificem actionis, multas verò vſum præbentes, mirum non eſt, nec reprehendendum in Galeno, cur vſus mentionem fecerit, & hic,& aliis multis in locis, veluti in lib. de Conſtit. Art. c. 5. ſed mirum potius eſt, cur non ſemper vſus mentionem faciat, & cur in definitione etiam morbi vſum non collocauerit. At ex iam demonſtratis huic etiam quæſito facile ſatisfaciemus. Non appoſuit itaque vſum definitioni morbi, quia poteſt eſſe morbus ſine vſus impedimento:nam cùm particula actionis pręſes veluti humor chryſtallinus primo, & per ſe morbo corripitur, tunc actio

viſionis

viſionis obleditur ſine interceptione vſus alicuius. Præterea vſus inceptio non ſemper eſt morbus, ſed quandoque cauſa morbi, nec quando particulę vſum præbētis noxa morbus eſt, diceremus eam eſſe morbum, niſi actionem impediret. Cum itaque morbus actionum ſemper impediat, uſum non ſemper, meritò ſola actio in definitione includitur. Hæc qui recte attendet, quæ con fuſe diſputantur ab Argenterio, & Alexādrino in altercatione de vſu, & de actione, facile diſtinguet, & quid ab vtroque recte, quid ſecus dicatur, percipiet, ne conteram fruſtra tempus in eorum rationibus diſcutiendis. Taxat deinde Galeni methodum in inueniendo morbo cōmuni tanquam nullius momenti: licèt enim ſimplices, & organicæ partes in hoc conueniant, quòd continuæ ſint, non ſequitur tamen, ſolutionem continui eſſe communem vtriſque morbum, nam ſequeretur etiam, morbum conformationis, magnitudinisq; eſſe vtrique communem, cùm in hoc commu nicent, quòd ambæ conformatione, & magnitudine ſint præditæ.

Ad hoc reſpondeo cum Fuchſio, ſimilitudinem non procedere nam licèt ſimilares ſuam habeant conformationem, magnitudinem, & ſitum etiam, ſicut organicæ, id habent ratione inſtrumen torum, quare nihil pertinent ad eſſentiam ſimilarium conſtituendam: nam quotcunque ſint numero oſſa manum conſtituentia, quacunque figura, & magnitudine prædita, & quocunque in loco collocata, ſemper oſſa ſunt, & ſimilaria: at ſi hæc non ſint ſortita, vt decet, morbus ſtatim exoritur inſtrumētalis, id eſt manus ip ſius. At unio, & continuitas per ſe ſimilaribus ineſt, per ſe etiam inſtrumentalibus, ac proprie magis ſimilaribus. Cùm itaq; ſimilares partes noxam ſubeunt in unione, in eſſentia ſua læduntur: cùm in cōformatione, magnitudine, numero, ac ſitu, nequaquam.

Dices, ſi non procedit ſimilitudo in conformatione, procedit ſaltim in magnitudine: nam ſimilares quatenus ſimilares ſuam habent magnitudinem, ſicuti habent, & inſtrumentales: immo verò Auerr. 2. Coll. cap. 5. magnitudinem magis propriam vult eſſe ſimilari parti, quàm inſtrumentariæ, cùm inſtrumentum nunquā menſuram magnitudinis excedat, niſi aliqua ex componentibus ſimilaribus magnitudinis menſuram exceſſerit. Ad hoc etiam reſpondeo, magnitudinem non pertinere ad ſimilaria: nam ſi quatenus ſimilaria, certam haberent magnitudinem, ramentum aliquod minutum partis ſimilaris non poſſet dici ſimilare, quia ma-

gnitudine careret determinata. Magnitudo itaque certa in ſimilaribus exigitur propter naturam inſtrumentariam, & propterea cùm excedunt limites naturæ in magnitudine, morbus ille eſt inſtrumentalis. Nec ratio Auer. magni eſt facienda, nam ſi teneret, omnes ferè morbi inſtrumẽtales eſſent ſimilarium, cũ poſſint omnes in inſtrumento excitari uitio vel huius, vel illius ſimilaris, vt facile patere poteſt per omnes morbos inſtrumentales excurrenti. Non eſt itaque Galeni methodus contemnenda, cùm eadem ſit, qua eſt uſus in adinueniendis morbis proprijs ſimilarium, & inſtrmentalium: cum enim inueniſſet à moderata temperie partium ſimilarium prouenire laudabiles earum actiones, & a moderata compoſitione diſſimilarium laudabiles itidem actiones: & contra ab immoderata intemperie uitiari actiones ſimilarium, ſicuti à compoſitione indecenti vitiantur inſtrumentalium actiones, hinc conſtituit malam temperiem ſimilarium, & malam compoſitionem inſtrumentalium morbum eſſe, & vtriuſq; indagauit differentias à natura partium: ſic & hic proponit, ſi communis quædam natura ſit ſimilarium, & organicarum, à qua recte ſe habente earum rectæ prodeant actiones, à male ſe habente malæ, in hac excitabitur morbus communis vtriſque. At, inquit Argenterius, debebat Gale. demonſtrare, quem vſum præbeat hæc continuitas parti vtrique, & quibus actionibus proſit, vel obſit. Sanè vir hic non ſolum caret ſcientia, ſed etiam peritiæ illius habitu, quàm in ſcriptoribus deſiderat Ariſto. in prin. librorum de Partibus Animal. quærit enim demonſtrationem, vbi demonſtratione opus non eſt: vult demonſtrari, quas actiones lædat ſoluta vnio, cùm hęc læſio ſenſibus pateat, & ſenſibus obſeruanda ſit. Non demonſtrauit Gale. intemperiem lædere actiones, nec malam cõpoſitionem, nec ex morbis indagauit actionum læſiones, ſed contra potius ex lęſis actionibus morbi definitionem, & morbi genera, ac differentias inueſtigauit, cùm actionum noxa ſit notior, quã morbi eſſentia. Sed cùm demonſtratum ſit à nobis, non quia rei natura id poſtularet, ſed ut homini reſponderemus ſine arte, & diſciplina argumenti: cùm demonſtratum inquam ſit, à ſoluta vnione ſimilarium vitiari multas actiones, ſi non aliud requirit Argenterius, ratio illa Galeni robur ſuum iam eſt conſecuta.

At cùm videret homo peruicax, ſolutionem continui ſimilariũ lædere actiones ſimilarium, non idcirco eam eſſe morbum pronũ

ciandum

ciandum eſſe aſſeruit: quippe cùm morbi uere i nſtrumentales actiones ſimilarium lædant interdum, morbi tamen non ſint ſim lares. Ex his, quæ paulo ante diximus, facile reſpondetur, ex actionum lęſione demonſtrari, adeſſe, vel non adeſſe morbum: ſed non diſtingui morbos, cùm à natura rei ſumatur diſtinctio: vnde cùm morbus inſtrumentalis lædit actiones ſimilarium, ex illa læſione colligimus morbum adeſſe, non tamen vel inſtrumẽtalem, vel ſimilarem, uel communem: nam hoc quærendum à natura partis læſa: & propterea ſi appareat læſa inſtrumentaria natura, dicemus morbum eſſe inſtrumentalem: ſi ſimilaris, ſimilarem. Hæc itaque argutia potius eſt à me, quàm contra me: cùm enim inuenio actiones læſas, & quærenti, vnde proueniat ea læſio, occurrit ſoluta vnio partis ſimilaris, iudico eam ſolutionẽ, morbum eſſe: & mirũ ſanè eſt virũ hunc adeo excecatum fuiſſe hoc ſuo nõ paradoxo, ſed paralogo, vt antea negauerit ſolutionem ſimilarium eſſe morbum, quia lædit actiones inſtrumentales, nunc neget eandem eſſe morbum, quia ſimilarium actiones à morbis læduntur inſtrumentalibus: nam hoc argumento ſe ipſum iugulat: ſi enim concedit morbum eſſe inſtrumentalem, etiam ſi lædat actionem ſimilarium, cur negat eſſe morbum ſimilarem eum, qui lædat actionem inſtrumentorum? Obiiciat hic mihi quiſpiam, peraertere me, ac corrumpere artem cognoſcendi morbos: nam ſi ex actione ſimilarium partium læſa, non poſsum concludere, morbum eſſe in parte ſimilari, quomodo morbum hunc cognoſcam? Idem dixeris de actione inſtrumentali: idem de actione ab vnitate proueniente. Reſpondeo, dogma traditum à me eſſe verum, & neceſſarium: vnde conſequitur, non poſſe medicum ex lęſa actione genus morbi noſſe: cognoſcit quidem, læſionem illam à morbo procedere, ſed à quo genere morbi, non cognoſcit: quare alijs indicijs inueſtigandum eſt morbi genus: ſed nunc nõ eſt his locus, de morborum differentijs, non de dignotione agenti.

Quàm verùm ſit, quod nunc protuli, cognoſcet, qui Galenum leget in 1. de Loc. Aff. loquentem de ægro illo, cui triduum ſuppreſſa fuerat vrina: aderat ibi actio læſa, aut potius penitus intercepta, nec tamen notus erat morbus actionem illam intercipiens: vnde alia multa proponit Gale. ad inueſtigandum morbum conducentia. Quod ſi ex actione læſa cognoſceretur non ſolũ morbum adeſſe, ſed etiam quis nam eſſet morbus, aliis non indige-

remus

remũs indicijs,& ars facilior,& breuior eſſet . Cùm verò arguit, ſi ſoluta vnio ſimilarium morbus eſſet,non poſſet eſſe morbus ex ſoluta vnione in organicis , quin eſſet etiam in ſimilaribus, cùm haud diuidi poſſit unio inſtrumentalis,quin aliqua ſimilaris diuidatur,recte reſpondet Fuchſius,ſequelam eſſe falſam, quippe cũ diuidi poſſit continuitas inſtrumentorum,nulla ſimilari diuiſa, veluti in apoſpaſmate: immo uerò nulla vnquã in apoſpaſmate diuiditur ſimilaris. Sed ignorauit Argenterius proculdubio quid eſſet apoſpaſma. Cùm deinde demonſtrat ſolutionem continui parere morbũ in inſtrumentalibus,non in ſimilaribus,quia actiones ſemper lædat inſtrumentales,infirmata eſt iam hæc demõſtratio cum viſum fuerit ſolutionem in ſimilaribus lædere actiones ſimilarium, & præterea demonſtratum fuerit, etiam ſi læderet ſolas actiones inſtrumentalium,quod adhuc eſſet morbus.

Præterea ubi ex his, quæ deduxerat, colligit quoſdam Galeni errores,cùm demonſtratum ſit deductiones illas falſas eſſe, ſequitur,Galenum non erraſſe. Cùm poſtremò ait in apoſpaſmate neceſſe eſſe ſimilares pati innuit apertiſſime, quid apoſpaſma ſit, ſe ignorare. Atque hæc ad duodecimum eius caput, nunc ad tertiumdecimum accedamus.

Prima Argenterij obiectio,quòd Gal.in enumerandis differentijs ſolutæ vnionis varius,atq; inconſtans ſit, eiuſq; reiectio. Cap. XXVIII.

CVm crediderit Argenterius ſe in cap. 12. demonſtraſſe,ſolutionem continui pertinere ad ſolas partes inſtrumẽtarias, concludit eam ſolutionem parere morbos inſtrumentales tantum, vnde cauſam eſſe morborum inſtrumentalium & propterea cauſas iſtas non eſſe quatuor tantum, vt ſtatui Galen. ſed quinque, conformationem videlicet,magnitudinem,numerum,coniunctionem,vnionem : nam & reliquas quatuor, ſicuti quintam vnionẽ in c. 2. ſtatuerat eſſe cauſas morbi,non morbos, vt in lib. 4. viſum eſt. His conſtitutis, volens inueſtigare,qui, & quot morbi ex ſoluta unione proueniant,quoq; appellentur nomine, ait Galen. in hoc adeo eſſe varium,vt confuſionẽ paria,cùm de horum morborum

rum numero, ac nomine non idem perpetuo ſentiat. Quantum enim ad numerum, in lib. de Diff. Morb. quinque ſolutionum generat enumerat, vlcus, fracturam, conuulſionẽ, ruptionẽ, & auulſionẽ: ſed 4. Metho. cap. 1. his addit anaſtomoſim, & diapedeſim: in lib. de Conſtit. Ar. c. 6. eroſionem contuſionem, puncturam.

Magna in hac obiectione deprehenditur Argenterij ignorantia, qui cùm adeo diligenter Galenum legerit, vt eius etiam verba enumeret, non potuit tamen mirum eius percipere artificium, quod nunc patefacientes, omnem ab eo calumniam ſummouebimus. Dixi morbos iſtos à cauſa, & à loco affecto denominari; & propterea Galen. in lib. de Diff. enumerauit morborum illa ſumma genera, quæ à loco affecto vtplurimum deducunt nomen: his addidit alia genera in lib. de Cauſ. Morbor. quæ à cauſa ſumerent appellationem: in lib. verò de Conſtit. Art. poſt hos conſcripto, vbi in explicandis his morbis ſupremam adhibuit diligentiam, enumerauit omnia genera ſimul, tam quæ à cauſa denominãtur, quàm quæ à loco affecto, & ab vtroque ſimul, & ſi quid alibi prętermiſit, id etiam addidit, vt paſſim facere ſolitus eſt. Quod ſi quid etiam in his libris prætermiſiſſet, reprehendendus non eſſet, cùm ſumma genera ita ſit proſecutus, vt ex illis, quæ prætermiſſa ſunt, poſſint inueniri, & explicari. Præterea valde hoc difficile erat, cùm ob inopiam nominum ab antiquis impoſitorum, tum ob multiplicitatem eorundem nominum ineptorum, ab barbarorum à iunioribus inuentorum: & quam difficile hoc ſit, expertus eſt ipſe Argenterius, qui etiam ſi Galenũ, alioſq; multos præ oculis haberet, multum tamen laborauit in cuſtodiendis ſummis generibus ſolutionum. Sed quia in tribus his locis à me commemoratis Galen. non eſt complexus anaſtomoſim, & diapedeſim, quas inter ſolutiones continui reponit in 4. Meth. in hoc etiam patefit craſſiſſima Argenterij ignorantia, qui in hoc arguat Galenum incõſtantiæ, cùm anaſtomoſis, & diapedeſis nõ ſint ſolutæ vniones, nec vnquam inter morbos huiuſmodi à Galeno recenſeantur.

Sed velum obdit ignorantię Argenterij error magni viri Linacri, qui perpetuam eum locum eſt interpretatus. Sic ait Galenus Linacro interprete. „ Quæ verò ecchymoſis Græce dicitur, plurimum vnà cum contuſione, ruptioneq; incidit. Eſt autem aliquãdo & ex oris vaſorum apertione, quam anaſtomoſim vocãt, & ex ea, quæ à nonnullis diapedeſis dicitur: aliud vtique tunc ſolutæ

conti-

continuitatis genus. Error Linacri eruditiſſimi viri eſt in vltimis verbis, ſi modo is Linacri error eſt, & non potius horum Galeni correctorum, qui ſæpius deprauant, quàm emendant: quod olim deprehendi, cùm mihi plus erat otij: conferens enim interpretationes, quæ è manibus interpretum prodierant, cum editionibus nouis inueni plus eas iacturæ, quàm lucri feciſſe. Sed ad rem.

Dico in poſtremis verbis inſignem eſſe errorem, cum enim Galenus dicat ἑτερόν τι γένος συνεχείας λύσεως ὑπάρχουσαν τὴν ταῦτα, „
vertendum erat: diuerſum utiq; tunc à ſoluta continuitate genus. „
Reſpondeat Argenterius ἕτερον uocem eſſe ambiguam, & recte fuiſſe à Linacro conuerſam, & temere eum a me reprehendi. Reſpondeo, ex alijs Galeni locis, & ex rei natura colligi, recte me eam vocem eſſe interpretatum, Linacrum perperam. A rei natura, quia vt uidimus in morbis cauitatis, anaſtomoſis eſt de eo genere morborum, non autem vnitatis ſolutio, quod comprobat idẽ Galen. 5. Metho. cap. 2. ſic ſcribens ἐπεὶ δὲ καὶ κατὰ ἀναστόμωσιν „
τὲ, καὶ τὴν καλουμένην διαπήδησιν αἱμορ῾ραγίαι, γίνονται, διὰ τὸν κοι- „
νωνίαν τοῦ ἰαμάτων οὐδὲν χεῖρον ἐν τῷδε μνημονεύειν αὐτῶν, εἰ καὶ δοκοῦσιν „
ἐξ ἑτέρου γένους εἶναι νοσημάτων. Agebat tunc Gale. de ratione com- „
peſcendi pro fluuium ſanguinis proueniens à ſoluta vnione arteriarum, nenarumque, ſed propter communionem curationis, ait ſe uelle complecti etiam profluuium proueniẽs ex a anaſtomoſi, & diapedeſi, licèt uideantur eſſe generis diuerſi à morbis iis, de quibus tunc agebat: quo ex loco patet apertiſſime anaſtomoſin, & diapedeſim eſſe diuerſum genus morbi à ſoluta vnione, non autẽ genus quoddam ſolutæ vnionis, vt ſomniat Argenterius: & Linacer recte eum locum ſic conuertit. Quoniam autem, & per ana- „
ſtomoſin, & per diapedeſim, vt mox docebimus, profluuia huiuſ- „
modi fiunt, non alienum ſit, propterea quod curationem cõmunẽ „
habent, etiam hoc loco de ijs meminiſſe, tametſi ex alio eſſe mor- „
borum genere uideantur. In hoc errore uerſatur, & Fernelius, cũ oſculorum uenę, & arteriæ apertionem inter morbos ſolutæ vnionis enumerat primo Pathologiæ cap. 9. Obijcit hic alia quędam de diapedeſi Argenterius, quæ reiicio ad aliam obiectionem, in qua multa de diapedeſi effutit.

Ad obiectionem in nomine conuulſionis. Cap. XXIX.

CREDIDI quandoq; Argenterium peritum fuiſſe Græcarum literarum, & Galenum legiſſe ſua lingua loquentem, ſed obiectio iam exploſa facit, aliter vt credam, & magis adhuc ea, quæ nunc pro ponitur, & quæ poſt hac in medium afferentur: vnde magna eius impudētia detegitur, vt audeat Galenum in nominibus carpere, quę Galeni non ſunt. Notato vir iſte Galeno inconſtantiæ in numerandis generibus ſolutæ vnionis, notat eundem inconſtantiæ etiam in nominibus, & à conuulſione primo incipit, quàm Galen. nunc ſolutionem continui eſſe pronunciat, nunc deprauatum motum, qui ſymptoma eſt: neque minus leuitatis præ ſe fert Galen. etiam, quando conuulſionem ſolutionem continui eſſe pronunciat, nam in lib. de Diff. Morb. ſolis eam neruis aſcribit: in lib. de Conſti. Art. muſculorum fibris: quare & in hoc etiam Gale. errat, qui omnem neruorum ſolutionem conuulſionem uocet, non enim rectè ita appellari videtur, niſi illa ſolutio, quæ fit in motibus conuulſorijs: nam quando ſecatur, & pungitur neruus, ſolutio illa alio nomine appellari debet, & appellatur à Gale. 6. Metho. c. 1. Facile reijcitur hæc obiectio, ut prior, quia ab eadem naſcitur ignorantia: cùm enim duæ ſint uoces Græce, altera σπᾶσμα, altera σπασμὸς, licèt Hipp. σπᾶσμα quandoq; pro σπασμῷ videatur vſurpare, apud Gale. tamen σπᾶσμα ſemper eſt ſolutio continui, & morbus: σπασμὸς verò motus deprauatus, & ſymptoma. Vtranque ex his vocibus omnes ferè interpretes conuulſionem vertunt, atque hoc decepit Argenterium, & alios multos decipere poteſt, qui Græcas literas non calleant, & ingenio careant, ac iudicio. Nec mirum, ſi valeriolam etiam ſenem decepit in expoſitione cap. 4. lib. de Conſtit. Art. vbi valde ambiguus eſt, cur ibi Galen. afferat, in conuulſione muſculorum fibras rumpi, cùm conuulſionis ſit eas tantummodo tendere, & retrahere, ex qua ambiguitate non ſine maximo errore ſe explicat, vt unicuiq; videre apud eum licet. Quod ſi aberrant hi, quid eueniet rudioribus, & Græce neſcientibus: ſed interpretes ſunt huiuſmodi errorum authores. Nam hic boni interpretis eſſet, ſicuti ſunt duo uocabula diſtincta apud Galen. duas res diuerſas ſignificātia, ita etiam duo latina diuerſa inuenire, quæ eis reſponderent,

derent, ne relinqueret in animis ambiguitatem in arte tam nobili,& tam periculoſa ex minimo quoque offendiculo. Ego itaq; hanc vocem,cùm eſt maſculini generis, & motum deprauatum ſignificat,cum Celſo interpretarer diſtentionem, cùm verò generis eſt neutri,& ſolutionem continui ſignificat, tritam iam vocem conuulſionem vſurparem,vel cum Vidio abruptionem dicerem.

Ex eadem ignorantia naſcitur ſecunda,& tertia obiectio, nam Gale.in lib. de Diff.Morb.idem pronunciat quod in lib. de Conſtit.Art.at cùm malæ conuertatur à Copo,Argenterius ab eo deceptus Galenum taxauit. Vera verba Galeni ſunt hæc Rhegma, ” & ſpaſma ſunt de eodem genere,illud carnoſam partem,hoc ner- ” uoſam diuellit. Hoc idem aſſerit in lib.de Conſti. Ar. cùm enim ” muſculi conſtent ex duabus ſubſtantiis,altera carnoſa, altera neruoſa,quæ ſunt fibræ ipſæ,quibus caro eſt intertexta, vt nos ante declarauimus, quando tenſione nimia caro diuellitur, rhegma eſt,quando fibræ,quæ eſt neruoſa pars,ſpaſma: vnde mirus eſt in illis locis conſenſus: vtinam tális eſſet in omnibus: at Copus conuertens locum illum de Diff.Morborum hoc pacto, Ruptu- ” ra verò, & conuulſio ab eodem genere manant, niſi quòd hæc ” neruis, illa verò carni tribuitur, decepit Argenterium verba nu- ” da ſuperficietenus conſiderantem:vnde putauit Galenum vocare ſpaſma ſolutionem neruorum, cùm de neruis non loquatur, ſed de neruoſa parte muſculorum:quare & tertia cadit obiectio nata & ipſa ex mala hac interpretatione: neq; ſolum ſibi conſentit in his duobus locis Galenus,ſed in 3. etiam Metho.cap. 1. ubi idem aſſerit. Sed eſt locus 4.Metho.quem Argenterius non adducit, qui plus hoc in loco faceſſit negotij, quàm Argenterij obiectiones: nam cap. 1.&in princ.ſolutionem continui in carne vlcus,in oſſe fracturam, in neruo ſpaſma vocat: quare repugnat locus ille tribus iam adductis: repugnat & ijs,quę ſcribit 6.Metho. c. 1. ac duobus repugnat nominibus,primum,quia & ibi ſpaſma neruoſarum fibrarum ſolutionem eſſe ait: poſtremo, quia negat ibi ſolutionem uenæ,arterię,& nerui proprio uocari nomine, ſed nomen aliunde mutuari: mutuari autem ait interdum nomen vlceris,interdum vulneris,interdum ruptionis: quare ſi ſectio neruorum nomine caret proprio, & quum aliunde nomen mutuatur, mutuatur interdum nomen vlceris,aut vulneris,aut ruptionis,videtur Gale.in illo 4. Metho.à ſe ipſo fuiſſe alienus: nam aut hoc

dicendum eſt, cùm repugnet iis, quæ in alijs libris varijs aſſeruit, & in eo etiam Metho. quem tunc conſcribebat: aut dicendũ eſt, ſpaſma eſſe proprie ſolutionem fibrarum à tenſione factam, nõ à re ſecante, & vulnerante: ac cùm in neruis potiſſimum ſint huiuſmodi fibræ, ſpaſma in neruis potiſſimum habet locum, deinde in fibris aliarum partium: ſic etiam ſpaſmus, vel diſtentio, qui eſt deprauatus motus fit ab earundem fibrarum retractionem ad ſuum principuum. Cùm itaque dicitur, ſpaſma eſſe in neruis ſolutionem, ſi intelligas de ſolutione fibrarum, in qua tota ferè neruorum vis conſiſtit, facta tenſione nimia, nihil locus ille repugnabit alijs: neque nomen hoc erit proprium neruorum, ita vt omnem eorum ſolutionem ſignificet. Hæc mihi videntur eſſe dicenda in loco hoc admodũ difficili, in quo quum deprauationẽ quandam Fuchſius deprehenderit, de qua poſtea dicemus, poſſemus nos dicere totum eſſe deprauatum. Sed eò confugere nolo, cum putem me ſatis commode eum conciliaſſe cum cæteris.

Ad obiectionem de apoſpaſmate. Cap. XXX.

NOTAT præterea uarietatem eius in nomine apoſpaſmatis: nam in lib. de Diff. Morb. vult propriam eſſe ſolutionem inſtrumentorum, at in 4. Methodi ligamentorum ſolutionem eſſe affirmat. Ligamenta autem ſimilaria ſunt. Sic pronunciaſſe Galenũ patet ex his verbis.
» Eiuſdem generis ſunt & quæ Græci apoſpaſma, & rhegma, & thlaſma dicunt. illud in ligamento, hæc in va-
» ſis, muſculiſque, ex uiolento ictu, vel graui caſu, vel alio quopiam
» ualente motu excitata. Fuchſius, ut difficultatem hanc explicaret, hunc locum mendoſum eſſe ait: nam cùm apoſpaſma inquit ad inſtrumenta perpetuo, nunquam ad ſimilares referatur, & ligamentum ſit pars ſimilaris, apoſpaſma ligamenti eſſe non poteſt. Et ideo eo in loco non apoſpaſma, ſed diaſpaſma legendum eſt: cùm διασπασμὸς, & διάσπασμα diuulſio à latinis dicta ligamenti ſit ſolutio, quod patere ait Galeni authoritate, in lib. de Differ. Morb. vbi loquẽs de ſolutione ligamẽti ait διασπᾶται σύνδεσμος; non ἀπωσπαται. Si ex fide codicis alicuius conſtaret Galenum ſic ſcriptum reliquiſſe, poſſemus acquieſcere: ſed codices immutare, valde eſt periculoſum, & ſi liceret huc confugere, facile dirimerentur

merentur controuerſiæ omnes. Præterea hic modus ſolutionis quem diaſpaſma vocat, non eſt ligamento proprius, cùm Galen. eo in loco non de ligamenta tantum ſolutione, ſed arteriæ etiam loquatur: immo verò in lib. de Conſtit. Art. ſolutionem hanc in alijs multis partibus fieri aſſerit, non connumerato inter eas ligamento, cùm dicat ὀστοῦ, καὶ νεύρου, καὶ φλεβὸς, καὶ ἀρτηρίας καὶ σαρκὸς ἐν τῷ νύττεσθαί τε, καὶ διαβιβρώσκεσθαι, καὶ τέμνεσθαι, καὶ διασπᾶσθαι καὶ ῥήγνυσθαι διαφθοίρεται τὸ συνεχές. Quin & in curſore, cui 2. de Anat. Admin. ca. 4. ſcribit diuulſum fuiſſe muſculum femoris, qui totam tibiam extra abducit, Gal. vtitur ea voce διασπᾶσθαι.

Præterea etiam ſi Gal. ſæpe vtatur verbo διασπᾶσθαι, non video tamen ab eo ſolutionem aliquã vocari διασπασμὸν, nec διάσπασμα. Et propterea nõ auderem ego Galeni verba immutare.

Quare dicerem, reuera apoſpaſma eſſe ligamenti, non quod fiat ſolutio in ligamento, ſed quia auellitur, & extirpatur: nam ſi quęramus in apoſpaſmate, quid primum auellatur, & extirpetur, proculdubio erit ligamentum: at cùm ligamentum integrum auellatur, non dicitur illa ſolutio eſſe ligamenti, ſed inſtrumenti, & duobus modis iudicio meo fieri poteſt hæc auulſio, altero in vero ligamento duo inſtrumenta ſimul colligante, veluti in ligamento humerum ſpatulæ connectente, vel tibiam femori, vel femur coxendici, & in alijs conſimilibus, in qua auulſione inſtrumentum a inſtrumento ſeiungitur: altero in ligamento non uero, ſed fibris & membranulis connectentibus ſimul partes vniuſcuiuſque inſtrumenti, veluti muſculum cum muſculo, cum hoc neruum, arteriam, venam, quæ & ipſæ ligamenta appellantur: latius enim & communius interdum ligamentum ſumitur, vt ſcribit Gale. in 1. de Motu Muſculorum c. 3. Cùm itaque in vtraque ex his primum, quod patitur, ſit ligamentum, vel verum, vel non verum, mihi videtur, quòd apoſpaſmata ſint paſſiones propriæ ligamentorum, per quas oritur ſolutio in inſtrumẽtis: quod autẽ ibi de uero apoſpaſmate intelligat, inde patet, quod hoc fieri ex uiolento ictu ait, uel graui caſu, uel alio ualenti motu, ſicuti etiam fiunt rhegma, & thlaſma: ſic autem fieri apoſpaſmata apparet ex ijs, quæ ante ſcripſimus de apoſpaſmate. Vtcunque ſit, Galen. certe eo in loco tanquam ſæpia ſpargit atramenti quippiam in puriſſima ſua, ac dilucidiſſima diſciplina, niſi dicamus eum non admodum curaſſe de nominibus eo in loco, cum ſæpe admoneat

& præſertim in illis libris Methodi de nominibus curam habendam non eſſe: vel cum Alexandrino poſſumus dicere apoſpaſma duobus modis vſurpari poſſe, pro propria ſolutione inſtrumentorum, & pro ſolutione ligamentorum.

Ad obiectionem de fractura. *Cap. XXXI.*

» AT, inquit, fracturam etiam vocare omnem ſolutionem continui, quæ accidit oſſibus improprie admodum dictum puto: quis enim fractum os eſſe dicet, quod leuiter ſolum eſt vulneratum?

Idem in Art. Med. in expoſitione capitis 9. inquit. Diuiſio, » quæ fit in oſſe recte appellari poteſt fractura, quod ex remediis deſcriptis ad fracturas conſtat, nam Galenus hic ſcribit fracturas oſſium callo interueniente ſanari: at ſolutiones continui, quæ fiunt à rebus incidentibus, aut etiam rimulæ, quæ ſæpe fiunt à cõtundentibus, vix ſenſibiles, non poſſunt per callum colligari, neque enim caro, & ex ea callus in eo ſenſibili ſpatio generari poteſt: quare fractura, de qua hic agimus, ſolùm comprehendit eam diuiſionem, quam vulgus proprie vocat, cùm oſſa dicit eſſe fracta, ideſt in multas partes comminuta, aut certe ita diuiſa ſunt, vt in medio ſenſibile ſpatium relinquatur, in quo poſſit ſanguis colligi, & ex eo caro, & tandem callus concreſcere. Hinc & Fernelius: Oſſis, inquit, ſolutio tranſuerſa fractura dicitur, recta verò filio. Vellet Argenterius fracturas appellari tantum eas, per quas os prorſus in duas partes diuiditur, ſed vſus obſeruandus: vnde cùm Hippocr. ſoleat quamcunque oſſis ſolutionem fractra m vocare, ſic etiam cenſuit Galenus: quare non Galenus ſolum, ſed Hippoc. etiam eſſet reprehendendus. Cùm vſus itaq; ſit pro Gale. vana eſt obiectio Argenterij. Sed & natura rei pro Gale. eſt: nam hæc eſt de numero illarum ſolutionum, quæ à loco affecto ſumunt denominationem: quare ſi ſolutio oſſis fractura eſt, cur uis eam uocare uulnus? cùm ſumptum etiam id nomen ſit à rei natura. Quod apparebit Ariſtotelem legenti in 4. Meteor. cap. 9. qui ſimul agens de frangibilibus, & friabilibus, θραυστὰ hæc, κατακτὰ illa uocat: illa in magna fruſtra diuidi ait: hæc in minimas partes comminui: cauſam eſſe, quia frangibilia magnos, raros, & diſtantes poros habeant, ueluti ligna: friabilia

exiguos, & frequentes, ueluti calx, pumex,glacies, lapis:unde cū quædam ſint,quæ utrunque genus pororum obtineant,hæc in magnas franguntur partes, & in minimas etiam friantur, ueluti fictilia, & uitrum. Cùm itaque oſſa ſint ueluti ligna, & poros habeant magnos,& diſtantes,in magna fruſtra diuiduntur,immo uerò uidemus interdum ea in ictibus oſſium diſſilire, & frangi etiam partes finitimas,quæ telo percuſſæ non fuerint. Rei itaque natura docuit, & uſus obtinuit, diuiſiones oſſium uocari fracturas: ac licèt Galen. dixerit fracturas callo colligari, non ideo excluſit, quin aliæ oſſium diuiſiones, quæ callo non colligantur, fracturę ſint, ueluti rimæ: nam Galen. intelligebat tunc de integris fracturis, quando os duas in partes eſt confractum, tunc enim callo indiget colligante: alię uerò fracturæ aliis indicationibus curantur, vt patet 6. Metho.cap.6.

Ad obiectionem de vlcere. Cap. XXXII.

PERGIT Argentetius, & inquit. Vlceris, & vulneris nomen confundit 3. Methodi, quum vulneris curationem ſub nomine ulceris ſimplicis docet, quin etiam communiter omnem ſolutionem, quæ in carne fit, vlcus uocari paſſim ſtatuit: at in lib. de Conſtit. Ar. quod ab eroſione ſolum in carne naſcitur, hoc nomine appellari iubet, quod verò ex inciſione, vulnus. Diximus ante,vlcus ab Hippocr.communiſſime capi,& communiter: vnde ſic etiam quandoque Galen. capit: ſtatuit tamen in libr. de Conſtit. Art. ſolutionem ab eroſione prouenientem ulcus proprie appellari: ſed cùm ſciret, aliter ab aliis, & à ſe ipſo etiam vſurpatam fuiſſe vocem eam, ſtatim admonuit. Sed liceat,& aliter nominare. Quæ verba excuſant Galenum non in hac tantum appellatione vlceris, ſed in reliquis omnibus. At vis ne tu virum illum diuinum, qui plura ſcripſit, quàm alius legerit, rebus explicandis intentum, nominibus etiam fuiſſe addictum? cùm præſertim tam magna ſit verborum copia apud Gręcos,cumq; eſſent ea tempeſtate innumerabiles medicorum commentarii, quorum alii aliis in eadem re appellanda vtebantur nominibus. Quare Galenus parum de nominibus curabat,vt ſępe admonet ex authoritate etiam Platonis. Idque ſolùm curæ habebat,res ut plane, ac

dilucide explicaret, quibus de agebat. Hac de cauſa licèt varius interdum videatur, in vſu nominum, non eſt id ei vitio dandum, modo nulla ſit in præceptis, atque in rebus ipſis varietas, & diſſenſio: vnde & ipſe præſagiens fore huiuſmodi reprehenſores
" 1.Metho.cap.5.Non oportet, inquit, nominibus ſeduci: nec qui
" in ijs diſſentiunt, hos ſtatim in rebus quoque ipſis diſſentire pu-
" tare. Et ſanè cùm ars iam eſſet conſtituta, cogebatur vti nominibus iam vſurpatis. Quod ſi ſolus & primus artem conſcripſiſſet, maiorem quoque nominum curam, ac rationem habuiſſet: cùm de nominum vſu eodem in loco tradat hanc methodum pulcherrimam. Vt conſcripturus aliquid à rerum incipias differentia,
" non autem nominum: tum oſtendas, quatuor exempli gratia eſſe
" res, quæ in uicino ſunt poſitæ: poſt vt demonſtratione confirmes,
" neque plura eſſe, neque pauciora, quæ in propoſita diſceptatione
" contineantur: poſtremo, vt accommodato rerum cuique ſuo no-
" mine, ſic reliquum ſermonem abſoluas, nec mutans dehinc, nec
" transferens nomen ullum, ſed cui rei ipſe ab initio impoſueris, de
" eadem perpetuò vſurpans, Quippe ita & dilucida doctrina effici-
" tur, atque à cauillationibus, quas homonymia parit, libera: &
" quod fruſtra eſt additum, facile deprehenditur, & quod deficit,
" cito inuenitur, & quæ conſonant, diſſonantq; maxime in eiuſmo-
" di explicationibus exactè diſcernuntur. Pulcherrima quidem hæc methodus eſt, inquit Argenterius, at eam nuſquam Galenus obſeruat: reſpondeo, non potuiſſe Galenum eam obſeruare, quia non erat primus, qui artem conſcriberet, quoniam cogitur uti nominibus iam receptis, & præſertim ab Hippocra. Non longe abieris, nouerat Galen. optime vocem πάθος eſſe motum ad diatheſim, & ideo morbum eſſe non poſſe, quia tamen uidebat ab Hipp. ſæpe pro morbo vſurpari, ipſe quandoque eo in ſignificatu vſurpat, nec ſolum uſurpabat nomina Galenus eo modo, quo uocant medici, ſed etiam quo uulgus, ut 1.Metho.cap.5.teſtatum reliquit: atque hoc ſit exemplum aliarum infinitarum. Verùm ſi aliquando Galenus nomen aliquod nouum facit, methodum ſuam ſemper diligentiſſime obſeruat, ut patet in ſolutione continui, uel unitatis, quod nomen cùm ipſe inuenerit, ſemper retinet maior eſt diſſenſio in Argenterio, qui in rebus & in dogmatibus inconſtantiſſimus eſt, ut ſæpe oſtendimus.

Ad obiectiones de ratione inueniendorum generum diſſolutarum vnionum. Cap. XXXIII.

VBI notauit in Galeno varietatem in vſu nominum quorundam, velletque iam ipſe conſtituere, quot ſunt genera ſolutæ vnionis, & quibus nominibus appellanda, iterum Galenum in multis increpat: & cùm videatur Galen. hæc genera ſumpſiſſe à partibus læſis, hoc primum reprehendit: neque enim à partibus ſumenda ſunt, ſed à cauſis immediatis, ut fecit in morbis ex intemperie: cùm enim quatuor primæ qualitates ſint cauſæ, quæ temperiem mutant, ab his octo morbos in intemperie conſtituit: quod ſi & tunc à partibus genera conſtituiſſet, plura & inutilia genera reſultaſſent, quippe cùm intemperies calida cordis febris appelletur, intemperies calida capitis ęſtu ſolis contracta inſolatio, unde ſi à parte conſtituatur genus, hic duo erunt genera calidæ intemperaturæ conſtituenda, cùm tamen unum ſit genus: utraque enim eſt calida intemperies. Sed quia uidebat Galenum etiam genera hæc à cauſis inueſtigare, cauſas etiam has increpat tanquam deficientes, cùm enim ruptionem, contuſionem, & eroſionem tantum proponat, uidetur ſecantia omittere, & frangentia etiam: neque enim frangentia ſub contun entibus continentur, cùm contundentia ſignificent res graues, & duras, quæ mollia ueluti carnes & oſſa tenera, quæ in ſe cedunt, impulſu afficiunt, & diuidunt: fragentia uerò, quę oſſa cōminuunt: ſed non ſolum corpora dura & craſſa uim habent frangendi, ſed ſi quis ualidus & robuſtus utraque manu os arripiat, poterit inflectendo frangere.

Hæc ille in Galenum. Licet hic Galen. raro intelligat, oſtendit tamen in multis magna in eo legendo ſe uſum eſse diligentia, omniaque obſeruaſse loca, in quibus de una atque eadem re Galenus agat: at in hac obiectione nec Galenum intelligit, & in eo legēdo magnam præ ſe fert negligentiam: cùm enim ait Galenum à partibus conſtituiſs differentias, magno in errore uerſatur: licèt enim à partibus uideatur conſtituere, addit tamen cauſam ſemper. Fractura, & caries ſunt ſolutiones oſſium: uis ſumi has differentias à parte? ualde deciperis: nam ſi ſumerentur à parte, nullum eſset diſcrimen inter fracturam & cariem: ſed cadit inter

eas diſcrimen à cauſis deſumptum, nam caries ſit ab eroſione tantum, fractura à reliquis omnibus cauſis continuum ſoluentibus, præterquam ab eroſione. Sed non à cauſis tantum, verùm & à parte neceſſe eſt oriri diſcrimen: aliter diuiſio, quæ fit à re ſecante, vulnus diceretur tam in oſſe, quàm in carne: quod quamuis ab Argenterio admittatur, legentibus tamen Hippocratem, Galenũ, Oribaſium, Aetium, Paulum, Alexandrum, & reliquos bonos authores ambiguitatem pariet. Præterea caries, & vlcus fiunt ab eroſione, quod nam igitur eſt diſcrimen inter cariem, & vlcus? certe non aliud conſtituas, quàm quod illa in oſſe, hoc in carne: at, inquit, non licet conſtituere differentias à partibus ipſis: ego quidem id concedo: nec uideo quid Galenum cogat aſſerere, hanc differentiam à partibus ſumptam eſſe differentiam, quæ genera diuerſa conſtituat: nam ſi telum ſecans diuidat carnem, & oſſa, licèt in illa vulnus dicatur, in oſſe fractura, vulnus tamen, & fractura non ſunt genera diuerſa, quamuis à parte nominentur, ſicuti nec inſolatio, uel potius ambuſtio, quam ipſe profert, & febres genere diuerſæ non ſunt: parotis, pleuritis, peripneumonia ſunt eiuſdem generis, tamen diuerſitatem quandam ſumunt à loco, quæ ſpecies non uariat: ſic dixeris de carie, atque ulcere, non enim uarias conſtituunt ſpecies, cùm ab eadem cauſa proueniant, at à loco nomen adipiſcuntur. Vnde cùm aſſerit ipſe genera eſſe à cauſis conſtituenda, non ab aliis addicit, quàm à Galeno, ſed infeliciter: nam Galen. quatuor ſummas cauſas conſtituit in Ar. Med. ut nos uidimus, quem locum non uidit, aut ſi uidit, non conſiderauit: nam ſi uidiſſet, & conſideraſſet, tot ineptias haud protuliſſet: ueluti cum ait ſecantia omiſſa eſſe à Galeno, in quo quantum mentiatur, videbunt qui ſecundum caput huius libri legent, in quo de cauſis ſoluentibus continuum ago.

Sed cum contundentibus addit frangentia, nonne aperte pronunciat contra decreta ſua, & cogitor inter frangentia, & contundentia diſcrimen ſtatuere à partibus? nam ſi durum, & craſſum eſt tam qood contundit, quàm quod frangit, unde ſtatues diſcrimen inter contundens, & frangens, niſi à parte, cùm contundatur quod molle eſt, & in ſe cedens, ueluti carnes: frangatur quod durum, & reſiſtens eſt, ueluti oſsa? Sed & in hoc ab antiquorum uſu recedit, cùm fracturam tanum uocari uelit, quæ à re dura, & craſſa fiat, in re dura & reſiſtente: nam diuiſiones oſſium ueteres

à quacunque cauſa inductas, præterquam ab eroſione, fracturas vocabant, quod nō ſolum ab vſu antiquo comprobatum eſſe, ſed etiam à rei natura in alia obiectione refellenda demōſtrauimus: nec quod affert de alio modo frangendi oſſa, prætermiſſum eſt à Galeno ſub quatuor cauſis ſupremis omnia complectente: frangi enim dicat Gale. oſſa à manibus contorta tenſione, cùm motus omnes violenti tenſione partes abrumpant. Sed cùm Galenum increpauerit, qui diſcrimina à partibus ſumpſerit, in ſtatuendis differentijs, neſcit à partibus abſtinere: quam rem proſequerer, niſi ex iam ante explicatis vnuſquiſque per ſe cognoſcere poſſit, in quibus Galenum ſequatur, in quibus ab eo recedat, & quàm grauiter erret, cùm recedit. Cum iterum anaſtomoſim, & diapedeſim inter ſolutiones continui enumerat de Galeni ſententia, vidimus antea, quantum decipiatur: & ipſe etiam videtur id agnoſcere: non perſtat tamen in propoſito: quæ etiam addit de diapedeſi, ſunt extra rem, quia nunquam Galenus iudicauit eam eſſe continui ſolutionem: ſed quia addit quędam de his, quę Galenum videntur carpere, hæc etiam conſideranda. Scribit Gale. quinto Methodi cap.3. diapedeſim tribus de cauſis fieri ob raritatem tunicam venæ, ob tenuitatem ſanguinis, uel ex gracilium vaſorum ore adaperto: ex vltima hac cauſa non prætermittit occaſionem carpendi Galenum: & inquit. Quod ſi diapedeſis ex apertione orificiorum fiat, idem diapedeſim: & anaſtomoſim ſtatuat, neceſſe eſt. Quod ſi Græca verba legiſſet, magis reprehenſionem confirmaſſet, cùm dicat Galen. γένοιτο δ' ἄν ποτε δὶ ἀναστόμωσιν ἀγγείων μικρῶν. quibus verbis patet diapedęſim fieri per anaſtomoſim, quod Argenterio, & aliis ſcrupuloſis anſam reprehendendi facile afferat, ſed qui rerum naturam expendit, cognoſcet, nihil eſſe in Galeno reprehendendum: cùm enim anaſtomoſim contra diſtinguit diapedeſi, ſignificat apertionem oris factam in vena inſigni, vnde etiam largam ſanguinis copiam euomit: cùm verò diapedeſim per anaſtomoſim fieri ait, vaſa minuta, & capillacea intelligit: vnde & exiguus ſanguis, & paulatim emittitur, ſicuti cùm per rarefactas venas tranſcolatur, ideoque dixit Galenus δὶ ἀναστόμωσιν ἀγγείων μικρῶν. Atque hinc diluitur obiectio bis ab Argenterio propoſita his verbis. Cęterum lib.4.de Cau.Sympt.cap.6. eos errare ſcribit, qui diapedeſim cauſam eſſe putant ſanguinis excretionis, & ab aliis diuerſam, quum tamen

quinto

" quinto Methodi eam omnino, & diſtinctam ponat. Attulerat ibi Galenus tres cauſas excretionis ſanguinis, quando à cauſa interna excernitur: prima eſt facultas reſerans ora vaſorum: altera mala vaſorum affectio, vel quia mollia nimis, vel dura, aut gracilia ſint: tertia ob ſanguinis vitium, aut in quantitate, aut qualitate. Si conſideres cauſas, ob quas diapedeſis fit, eædem ſunt, vt paulo ante vidimus: quare diapedeſis pro quarta cauſa ſanguinis excretionis addi non poteſt. Præterea agebat ibi de veri ſanguinis excretione: at diapedeſis, inquit, aut anaſtomoſis eſt vaſorum exiguorum, vnde exigua fit ſanguinis excretio: aut excretio non ſanguinis, ſed potius ſeri ſanguinei: optima igitur ratione negat diapedeſim eſſe ponendam pro quarto cauſarum genere, ob quas fit ſymptoma ex ſanguinis excretione. At cur, inquit, in lib. Methodi de ea ſeparatim tradit? Facilis eſt reſponſio: tradit ibi rationem curandi tam magnos, quàm paruos ictus, & ideo diapedeſim etiam curat, cum præſertim ex ea ecchymomata ſoleant excitari, vt docet etiam quinto de Med. Local. cap. primo. Puto omnia ad vnguem refutata eſſe, quæ Argenterius Galeno obiicit in cap. tertiodecimo: quare nihil mihi reſtat amplius, quod ſcribam, niſi velim errores eius in conſtituendis generibus ſolutæ unionis proſequi. Sed cum in his Galenum imitetur, quem paulo ante reprehenderat, non errat, niſi cum ab eo recedit. Vnde qui noſtra hæc leget diligenter, facile deprehendet, ubi erret. Id tamen præterire non poſſum.

Laborauit hactenus in demonſtrando ſolutam unionem non eſſe morbum, ſed cauſam morbi: hic tamen uulnus, ulcus, fracturam, puncturam, cariem, & reliquas omnes ſolutiones continui morbos eſſe ait: ubi enim eos colligit, ſic concludit. Sed
" hæc ſatis quidem de morbis, qui ſolutione continui proue-
" niunt, & eorum nominibus, quibus ſignificantur. Reſpondeat
" ipſe, licèt uulnus, & ulcus, aliaque ſint morbi, ſolutio tamen continui morbus non eſt, ſed cauſa, unde dixi morbos hoſce à ſolutione continui prouenire. Certe nequeo mentem hominis eius percipere. Sed quæro ab ipſo, uulnus, & ulcus ſunt ne ſolutæ uniones, an non? Præterea ſunt ulcus, & uulnus ſpecies ſolutæ unionis, an non? Certe in uulnere ſolutum eſt continuum, & propterea ſolutio continui eſt: & ſi quis negaret uulnus eſſe ſolutionem continui, ſenſum negaret. Præterea cùm quæ-

ſiueris

ſiueris ſpecies ſolutæ unionis, has inueniſti, vulnus, vlcus, & cætera: quare dicendum eſt, ſi ſolutio continui cauſa eſt morbi, vulnus, & ulcus eſſe cauſas morborum, & eſſe ſpecies cauſarum, non morborum: at cuius nã morbi cauſa eſt vulnus? non malæ intemperiei, non malæ compoſitionis, quia negaſti hoc, & aſſeruiſti vnionis ſolutionem eſſe quintum cauſarum genus morborum inſtrumentalium. Dices, dum fit ſolutio continui morbus introducitur, ergo ſolutio continui cauſa eſt morbi. Certe ego comprehendere hoc non ualeo, quia neſcio à ſenſibus recedere. Et iterum quæro, ab enſe fit vulnus in crure, dices tu, enſis eſt cauſa ſolutæ vnionis in crure, & ſoluta vnio cauſa vulneris: at quid nam diſcriminis eſt inter ſolutionem continui, & vulnus? nõ ne vulnus ſolutio, continui eſt? Quare eodem reuoluimur.

Puto igitur tantam eſſe ueritatis vim, vt ipſum inuitum, atque inſcium impulerit ad pronunciandum vulnera, vlcera, & alias ſpecies ab eo conſtitutas eſſe morbos à ſoluta continuitate prouenientes: noluit dicere eſſe morbos ſolutę vnitatis, ſed à ſoluta unitate prouenientes, ne dogma deſereret: hoc enim loquendi modo adhuc retinet, ſolutam vnionem eſſe cauſam, ſed res ipſa reclamat. Eſt & aliud, quo ſe ipſum iugulat: cùm enim inueſtigat has ſpecies ad imitationem Galeni, à cauſis inueſtigat. Cauſæ autem ſunt quatuor, vt vidimus, ſectio, tenſio, contuſio, eroſio. Hę ueræ ſunt cauſę, quæ ſolutionem continui faciunt: vnde ab his cauſis, & à partibus etiam ſpecies conſtituuntur. Quod ſi ſolutio continui eſſet cauſa, ab ipſa ſpecies eſſent conſtituendæ. Sed nimis immoror in refutanda vaniſſima opinione, quæ nullo innitur fundamento, ſenſui, & rationi, & authori etiam ſuo repugnantiſſima eſt.

PERORATIO.

ARBITROR me hactenus plane oſtendiſſe, medicos omnes, qui à Galeno in morborum explicatione ſeceſſerunt, peſpicue eſſe hallucinatos, ad easque ineptias abiiſſe, quia ſenſa eius non perceperunt. Quare vnicuiq; licebit, qui non ſit prorſus ingenij, & iudicij expers, apud ſe ipſum conſtituere, in alijs etiam artis medicæ partibus Galeni accuſatores eſſe deceptos: & propterea aut eos à ſe abijciet, aut ſi in manus quandoque ſumpturus erit, ita ſe inſtruet, vt eorum mendacia deprehendere ualeat, & redarguere; id quod facillime conſequetur, ſi in ſcriptis Hippocratis, & Galeni eouſque ſe exerceat, quouſque eorum dogmata percipiat, ſibique familiaria reddat. Quod ſi antequam ueram artem, & legimam ſit adeptus, ad Fernelios, Argenterios, Rondeletios, Eraſtosque ſe conuertet, aliosque nonnullos, qui magis operam dant, vt ornate loquantur, quam vt vere, magis horrent ſolœciſmos, quàm paralogiſmos, maiusq; ſcelus putant Priſciano (ut aiunt) caput frangere, quàm hominem iugulare, de eo profectò actum erit.

Nam nouarum hæreſeum, & accuſationum lenociniis quaſi Sirenum cantilenis delinitus incies primum Galenum paruifacere, deinde negligere, & reſpuere, ut nuper euenit ſcriptori paradoxorum neſcio cui, qui cùm præcepta à Galeno tradita, & eorum tradendorum rationem, ac uiam, ne primoribus quidem labiis deguſtauerit, deſumptis ab eius indice potius, quàm à libris propoſitionibus quibuſdam, inde paraloga illa paradoxa concinnauit, in quorum præfatione, ne Argenterio, & Fernelio eſſet inferior, immo uero longe ſuperior, hæc in Galenum euomuit.

„ Quid in Galeni ſcriptis frequentius occurrit, quàm ipſum ple-
„ runque uideri, quod alibi multis rationibus fuerat demolitus, id
„ conſtantiſſime aſſeuerare? Sectator enim Platonis dum eſſet im-
„ modicus, & eius virtutum admirator penè ſcurrilis, Academico-
„ rum hæreſim, qui probabilia duntaxat tanquam aues conſecta-
„ bantur, omnino extergere non potuit. Ita quacunque probabi-
„ litate percellebatur, iu eam ſententiam totus ferebatur, nihil aut
„ parum ſollicitus, quid ipſe alibi ſtatuiſſet, nec æqualium ratio-

num

nũm pondera iudicij ſtatera appendere vnquam ſuſtinuit, ita ,,
enim uſque adeo deſultorium Galenum plerunque eſſe uide- ,,
mus, vt liceat ex eiuſdem ſententia prorſus diſſentanea confir- ,,
mare. Hæc ille, qui ſi uel mediocriter in Galeno verſatus eſſet, tam aperta medacia non protuliſſet, quæ potius cum ſtomacho, & nauſea ſunt proiicienda, quàm refutatione extollenda, cùm à me præſertim, non ideo ſint producta in medium, ut refellantur, ſed ut huius exemplo ſtudioſi diſcant: quàm grauia iis imminęant pericula, qui ante ueræ artis perceptionem in pernicioſis authoribus tempus conterunt. Quis enim ſperet hominem hunc diſertum eo faſtu, & iactantia tumidum poſſe ſanitati reſtitui, ut ægrorum ſuorum ſalutis potius, quàm exitii futurus ſit author? Quare pro certo habeant diuinam hanc artem, quæ ad humanam uitam conſeruandam, & prorogandam inuenta eſt, à probatis authoribus eſſe percipiendam, ſemperq; cogitent ſe non lapides tracturos, & ligna, in quibus ſi errent, exiguæ tantum pecuniæ ſit iactura, ſed hominem animal nobiliſſimum, & diuinum, quem interficient, ſi falſa erunt imbuti diſciplina: atque id in primis conſiderent ſe non hominem quemcunque, aut ignotum, aut inimicum eſſe interfecturos, ſed amicos: cognatos, fratres, & parentes: hi enim primi erunt, qui ſeſe eorum curæ committent, & qui primi interficientur. Hæc ſi ſemper cogitabunt, toto animo ſeſe ad Hippocratem, & Galenum conuertent, eorumque præcepta, quæ paſſim contemni cęperunt, omni ſtudio, & diligentia in uſum reuocabunt, cum ab his proculdubio pendeat uitæ ſalus, ſi obſeruentur: diſcrimen ſi contemnantur.

FINIS.



VENETIIS, MDXCI.

Apud Dominicum Nicolinum, & Ioannem Guerilium.

Ad Signum Saluatoris.

5,00